


1
6
655




















HISTORIOPOLITOGRAPHIA

SIVE

OPVS HISTORICO-POLITICVM DVORVM PRÆCLARISSIMORVM HVIVS ÆTATIS HISTORICORVM,

RODOLPHI BOTOREI Jc. in Magno Franciæ Consilio Aduocati,

nec non

PETRI MATTHÆI IC. Consiliarii & Historiographi Regii:

IN QVO RES TOTO PENE ORBE HISCE PROXIMIS ANnis gestæ, luculentissimis Commentariis Historicis & Obseruationibus simul ac Discursibus Politicis ita illustrantur, vt ab Anno Domini MDXCIV. vsq; ad annum præsentem MDCX. nec quid gestum fuerit prætermittatur, nec quid sequendum aut vitandum sit Summo Pontifici, Imperatori, Regibus, Principibus, vel etiam Ciuibus ac priuatis, non quam diligentissimè annotetur & moneatur.

In hoc Historiarum opere nil reperitur, quod Ecclesiam Catholicam Romanam offendat.





FRANCOFVRTI,

Typis MATTHIÆ BECKERI, Sumptibus vero IOANNIS THEOBALDI SCHÖNVVETTERI.

M. DC. X.

CHRISTIANISSIMO HENRICO IV. FRANCIÆ ET NAVARRÆ REGI.

HÆC HISTORIA, REX CHRISTIANISS. *quam Mi. Tæ. offero, credens se eundem in Mis. Tæ. fauentia, quem in veritatis, locum obtinere, esse gloriatur eam particulam, quæ in curru triumphali desiderabatur. Etenim licet nomen Mis. Tæ. in templo memoriæ, cuspide gladii tui persculptum exstet, annorum tamen vetustate, quâ omnia consumi solent, facile vestigia delebuntur, si calamus fugientia non moretur ac seruet: & maximi quique Principes tanti à morte esse amant, quanti eos facere Historiæ visum. Hostes fudisti, vt Coronam seruares: illa pro gloriæ tuæ immortalitate cum ipso tempore certabit, facietque vt omnes, qualis sis, & quàm à multis sæculis tantum Regem Francia non viderit, intellegant. Illa vires tuas, quæ ex impossibili possibile vt esset fecerunt; Pietatem, pulcherrimum sceptri florem, primamque animi tui virtutem; Clementiam, quâ tam felix adeptus es imperium; Justitiam, quâ ipsius imperii felicitatem tueris, referet. Magnum opus,* REX CHRISTIANISS. *si dif-*

ficultatem cuncta vitæ & regni tui mirabilia, gestaque ingentia, quæ totidem Hercules percellere potuissent, colligendi spectemus. Tu namque vnus fuisti, qui concinnares, vt & Franciæ pax, & paci honos ac securitas ea daretur, vt frustrà fuerint & sint omnes venti ac fluctus, qui naues tuas, quæ iam tuto in portu consistunt, & quas Delphinus iste custodit, impellere conantur. Tantæ autem sunt virtutes tuæ, REX CHRISTIANISS. vt alius, quàm tu ipse, satis dignè commemorare nequeat, quemadmodum nec Cæsaris Commentarios alter, quàm ipse Cæsar, valuit ita, vti res cluebant, conscribere: verumtamen quod ingenii mei respectu magnum videtur, parum est præquàm insigne studium meum in Mis. T^æ. officiis, & debitum tui Historiographi requirit.

NVMINI M. Q. T.

Deuotus

PETRVS MATTHÆVS.



ADMONITIO SVPER TOTO OPERE.

SCRIPTORES & actores rerum, quas aut viderunt ipsi, aut ab alijs accepere, fieri non potest, quin magnas in difficultates dilabantur, ita arduum videtur res gestas scribere; primum, quod earum rerum, quas ipsi oculis non lustrauerunt, relatio sincera adeo esse numquam soleat, vt affectus eorum, qui exponunt, more fontium, venarum & minerarum, quas perfluunt, naturam retinentium, non redoleat: dehinc, quia visarum rerum & cognitarum veritas numquam ita germane exhiberi potest, vt perpetua adulatione careat aut dissimulatione. Difficultas scribendi Historiam huius temporis.

Neutra tamen harum difficultatum me ab instituto huius Historiæ, qua res memorabiles toto orbe sub duobus maximis Regibus gestas exsequor, studio, in quod iam decem annos est quum incumbere cœpi, abducere potuerunt. Curiositas mea colligendi scripta & Commentarios variorum, quæ euenere, negotiorum; & suppetiæ à compluribus honestis viris, atque adeo primarijs huiusce Regni Optimatibus, Regijsque apud exteros Legatis, liberaliter latę, primam illam difficultatem ita mihi facilem reddiderunt, vt nulla alia in re, quam in seligendis & discriminandis consiliorum euentibus, causis prætextuum, & notationibus euentorum, laborandum fuerit. Quod ad alteram attinet; mandatum Regis, & desiderium, quo semper desideraui victoriam veritati de mendacio præbere, gratiam mihi fecerunt sacrificandi Pauori, vt Lybes, aut Inuidiæ, vt Caius: nec potui alterutrius istarum Furiarum conclamationes capessere, sub fide & protectione duorum tam potentium, Regis & Veritatis. Historia ab Auctore instituta de rebus sub Henricis III. & IV. gestis.

Et quamuis ista hæc semper inuisa Regibus, & manu miraculosa opus fuerit ad eam Balthasari Babyloniæ Regi declarandam, nec temere hoc cibo pascantur nisi periti, nec vllius rei maior caritas in Regijs quam veri, certum tamen est, nullum Principem fauere tanto veritati opere, nec ei plus libertatis in negotijs publicis & priuatis concedere, quam ipsum Regem. Princeps Dei timens veritatem amat: etiam Deus ipsa veritas est, qui si posset essentiam suam incompræhensibilem repræsentare in exsistentia visibili, lumen pro corpore haberet & veritatem pro anima. Veritas nō est periculosa sub Regis imperio.

Multa desiderantur in perfecto Historico.

Incœptum autem meum in primis arduum fecit rerum Historiographo necessariarum penuria. quas sat scio & in me desiderari, & ita raras in illis esse, qui ante me scripserunt, vt mihi videatur idea omnium perfectionum in cœlo hæsisse, adeo non facilior inuentu est perfectus Historicus, quam Respublica, Rex, Orator, Dux, Aulicus, Legatus, ita vt à Platone, Xenophonte, Cicerone, Onosandro, Castilionæo, & Tasso definiuntur. Nam quemadmodum perfectiones Historici variæ in varijs notatæ sunt, ita nemo vnus repertus est, in quo cunctæ simul deprehenderentur.

Habeo tamen quod Deo imputem, qui ex omnibus istis ornamentis, quæ in Historico requiruntur, vnum mihi concessit, commune illud quidem omnibus bonis & honestis, rarum vero in ijs, qui res gestas scribunt: id est, vt in huius operis institutione nullis affectibus præ veritate indulgerē, nec mihi alium finem, quam purum & simplex Historici officium, proponerem. Etenim magni ego æstimo scriptorem, qui laudibus ingenij & eruditionis extollitur; maioris, qui famâ iudicij & prudentiæ cluet; maximi, qui hominis frugi fungitur officio, quum bona conscientia nihil minus necessaria sit, quam multa scientia.

Historicus numquam debet alienum à veritate animum habere.

Primum consilium, quod in animum institui, quando calamum cepi in manus, fuit, nihil dicere, ꝙ verum sit, cũctanter; nihil, quod falsum, audacter. Idem votum, quod Pericles concepit Ioui, ego facio Deo viuo, ne sinat quidquam ex ore aut pectore meo incommode proficisci. Si improbi me appellent obtrectatorem, quia mentiri nescio; si imperiti traducant pro mendace, quia nec palpari cuiquam didici neque stomachari, non moror, non fero moleste, dum modo veritati placeam, quæ est multo speciosissima gemma & longe suauolentissimus flos huius coronæ. Hic est primus circulus huius sphæræ; hic ille, qui eam mouet, Dæmon.

Nihil dicere veri cunctanter, nihil falsi audacter.

Nulla re moueri ad mentiendum aut adulandum.

Si perfidiæ crimen habet res falsas scribere, quanto fœdior timiditas erit dissimulare veras? Nullum est periculum tam præsentatium, tam imminens, cuius caussâ debeatur veritas reticeri. atrocissimum, quod in eum, qui reuelat, intentari possit, est ei minitari mortem, quam effugere non potest. Vel maxime mortales ictus nihil poterunt quam immortalem reddere. Et sane, quis honor, animam & religionem susque deque habere, quo magis strennue assentari ac mentiri possis? vendere veritatem pro retrimentis titiuillitiorum, pro vanissimo existimationis fumo, pro cupiditate rerum, quas & difficulter teneas, & impetratas numquam auferas? Quæ res non minus exsecranda est in Paulli Iouij Historiâ, quam

elegan-

elegantia eius admiranda, qui cum propter personam, quam sustinebat, plus obligatus esset veritati & religioni, quam vitæ aut fortunæ, venditare tamen solitus erat, habere se pennam auream pro illis, qui sibi facerent bene; plumbeam pro illis, qui se contemnerent: eoque nomine in Comitem Stabuli fixit, quod annuam pensionem, quam illi Rex præbebat, ei præciderit, vt notauit Præses Thuanus in Historia sui temporis.

Et Bodinus in Method. histor.

Historia omnium oculis exposita, sed non omnes sunt idonei ad eam dijudicandam.

Sat scio, multa desideratum iri in hac Historia, igitur præuenire cupio, & præbere spongiam. in quam, vt Augusti Aiax, incumbant omnia loca, quæ deformia obseruabuntur in hoc opere: quod ego oculis hominum expono prudentium, non imperitorum, qui oculos tantũ in facie, & iudiciũ in oculis ferunt, atq; vt Apellis sutor vltra crepidã iudicare præsumũt. Nihil mihi indignius ferendũ videtur, quã pati vt aliorũ, atq; intellegentiũ, censuræ me submittam.

Erunt forte qui dicant, me laudare Regem, eique adblandiri. Non nego, si puræ laudes pro blanditijs habendæ sunt. Fieri enim nequit, quin viuentis principis gesta scribens nonnunquam blandius de eo loquatur. Vt Deos thymiamatis & thuribus odoriferis, ita Reges dictis mulsis placare, nimio plus æquum est. Verba cum Rege, inquiebat Cyri mater, debent esse tota serica. Et tuum animum quæso, quis potest male loqui de eo Rege, qui tam bene fecit? tam bonus, vt ipsos sedecim regni sui annos, præter vnum, interficiẽdum curarit neminem? tam clemens, vt multi essent miserrimi, nisi eius inimici extitissent? Nec male dici in Herculem, nec triumphari sine effigie Herculis, nec repræsentari vlla res præclara potest: sine exemplo huius Herculis Gallici, qui pro duodecim laboribus quos prisco illi tribuunt, sustinuit & absoluit amplius duodecim mille, vt vi armorum acquireret id, quod iure diuino, naturali & ciuili siue Reipublicæ ei debebatur.

Qui viuentis Principis historiam scribit, non potest quin alicubi blanditias adspergat.

Et quamuis gloria tanti Principis ad cælos vsq; pertingat, ego tamen, nisi veritas iusserit, eam nõ tangam; nec me plus obnoxium existimabo, quam subiectum esse decet suo Regi. Nã postquam me de sententia Cancellarij & Villaregij suum Historiographum legit, occasionẽ magis & rationem ostendit illustrandi Historiã istã admirandis Regiarũ eius virtutũ speciminib. quã liberalitatis suæ opera.

Suspecta est calami nimis obligati & mercenarij laus.

Si quis mihi objiciat, me nõdũ omnia dixisse, ei ego respõdeo, malle me repræhendi quod pauca, quam pœnitere quod nimia dixerim. Rogo dicaces istos vt porro pergant, & considerẽt, nullũ esse herũ tã mitem, qui nõ indignetur, si minister ei studeat facinora sua palã enarrare. Et hoc est, cuius me oportune monuit magnus qui-

Magnates nolunt publice repræhendi.

dam

dam Regis minister, imo quantum est magnorum maximus, cuius beneficio bonam huius operis partem debeo. Qui vnus à me impetrauit, vt proximo anno hanc Historiam ad finem perducerem, tamquam Leæna Cuprea Athenis, aut tamquam Magnes, qui vires suas præsente Adamante nequit exserere.

Vbi extraneos Principes laudo, fit hoc propter eorum merita, quæ in nemine non laudabilia sunt. Principes sunt Principes, & offenduntur verbis contumeliosis aut parum honorificis, quæ in Principes, licet hosteis, proferuntur.

Verba iniuriosa & satyrica Historico indigna.

Maledicentia est fumus oculis odiosus, & fimetum putidum magnanimorum naribus. Si nihil dicendum est præter quod dictat veritas, cuius virtute laborant omnia dissertationum mearum, quæ æstimari possint, vitia, non reperientur vlla exempla, quæ describo, à conditione sua differre, aut me plus tribuere paradigmati, quam rei gestæ: non affingo illis fictas victorias, vt fecerunt Latini quidam Historici, non fictos Consulatus, non triumphos commentitios.

Turpe est, nisi tota Historia perspecta, de vna eius particula iudicare.

Qui vasis alteram tantum ansam tenet, & monetę vnam modo faciem contemplatur, dicet, me nimium quantum in laudes inuehi. At qui aduertet in ea, quæ super excessu in iustitia, temperantia, & auctoritate commemoraui, fatebitur, me aliter facere non potuisse, & admouisse cultellum non digitis nec capillis, verum ipsi vomicæ; & hanc Historiam non esse accipitrem Principum, vt Sileni & Cecropes erant accipitres Bacchi atque Herculis.

De Principibus sobrie loquendum.

Loquor de omnibus Regibus vt de viuis Dei imaginibus, nec tamen vitia eorum prętermitto quę vt homines committunt, iudiciũ Deo relinquens de illis quæ vt Reges faciunt. Non turbo quietem sepultorum. Leporum est barbam aut iubam Leonis mortui vellere. Non possum ego impedire, quo minus lampades odorem liquoris, quo infusæ erant, etiam diu postquam occiderunt retineant.

Lud anda est virtus in quocumque homine.

Prædicanda mihi virtus vel in Turco, vituperandum vitium vel in Papa. Non probo pietatem cum simulatione coniunctam. Discupio Religionem esse puram ab abusibus & superstitionibus, quæ tantum schisma in Ecclesia pepererunt, & quarum causa pereunt qui à nobis separati sunt, dum se perdere timent. Discupio vniuersalem illam fidei conciliationem, sed improbo eos qui secessionem fecerunt, & qui ruinæ ædificij diffidentes fundamenta sustulêre ad aliud exstruendum, ex nouâ & vetustati contrariâ architectonicâ. Laudo nihilominus libertatem Conscientiarum,

quoniam

quoniam fieri non poteſt vt vicia eruncentur ſine bonarum frugum detrimento. Malo pacem in duabus religionibus, quam bellum in nullâ, & bellum quidem ciuile, malorum diues & mortibus fœtum.

Excitati animoſi ad bellum ſacrum, non ciuile, neque Chriſtianorum in Chriſtianos.

Studeo conclamare ad bellum contra hoſteis nominis Chriſtiani, ſi forte flores Lilij videamus, vt olim viſi ſunt, in Palæſtina, in Hungaria, in Boſphoro vigere; & enſeis Francorum ſplendere vt fulgura, ſternere vt fulmina, & barrire vt tonitrua in eiuſcemodi monſtra. O felicem illum campum vndique inundatum, felicia arma vndique tincta, felices nuntios vndique ſcriptos ſanguine horum infidelium, qui vellent omneis Chriſtianos vnum eſſe caput, quod vno ictu abſoluatur.

Libertas iudiciorum in Hiſtoria, ad gloriam virtutis & opprobrium vitiorum.

Erunt a. qui dicant, iudicia nimis eſſe libera, à quorum ſententia non abeſt etiam magnus ille vir, cuius ſupra mentionem feci, oculus ſupremæ Regis iuſtitiæ: qui cum dignatus eſſet, aliquot huius operis pagellas à Typographo ſumere, aurem mihi ſuper eorum frequentiâ vulſit. Suſpicio eius cenſuram, opinionem duco pro Apollinis oraculo; ſed hoc loco ab eo obnixe contendo, vt conſiderare velit, quantum dedecus ſit Hiſtoriographo eius ſeruitutis potiri, in quâ nulla foret libertas rem quamque ſuo nomine appellandi.

Primus ac præcipuus ſcopus Hiſtoriæ eſt, vt ex malis bonos, ex bonis meliores reddat. Id quod fieri non poteſt quam per actionum eorum arbitrationes. Hanc ob cauſam Thucydides tantopere laudauit Periclem, quamuis eum inimicum haberet: & Tacito videtur nihil aliud propoſitum fuiſſe, quam vt extolleret virtutes & memoriam deprimeret vitiorum particularium ſui temporis. Et hoc eſt certum, vbi homines laudari neglegentur, & ipſi neglegent bene facere.

Iudicia debent ſemper inclinare ad euidentiam rationis.

Sunt quidem loca nonnulla ſatis libera, ſatis confidentia, ſed de rebus ita manifeſtis, itaque in vulgus notis, vt minus periculi ſit eas proferre quam ſilentio præterire. Libertas loquendi interdicta eſt ignorantibus, qui quid dicant neſciunt; imprudentibus, qui nihil non effutire ſolent; improbis, qui contra animi ſui mentem dicta componunt. At vero Hiſtoricus, qui poſteritati tradere debet res, quas ſcit, quas intellegit, quaſque cognouit, præuaricator eſt ſi diſſimulat, nec minus reus eſt apud Deum, quam excubiarius proditor apud homines. Hiſtoria fruſtra tam glorioſo titulo audiret eſſe magiſtra vitæ, imago veritatis, & ſpeculum actionũ humanarum, ſi non notaret nec ob oculos poneret ea, quæ vel propter ex-

cellentiam virtutis imitatione digna ſunt, vel propter turpitudinem & horrorem vitiorum opprobrio damnanda.

Libertas libera eſſe debet ab adulatione & imprudentia.

Si liberius ſcribo, penſiculate me id facere ſcilicet. Non mihi latet, periculoſum eſſe de Magnatibus verbigerari. Verum ego de virtutibus illorum ſine adulatione, de peccatis diſſero cum prudentiâ, iudicio ſine affectu, & opiniones meæ ſemper immunes ſunt ab ira & ſtudio, quorum cauſſas procul habeo. Præterea iudicia mea non ſunt oracula; fides ſit penes vnumquemque, nec inhibeo quin à primis cogitationibus ad ſecundas appellatio interponatur.

Diſcurſus accommodati vitæ & fortunæ mutationibus.

Erunt etiam qui dicant me tempori ſeruire, & ſermones fortunæ perſonatum accommodare. Non eo infitias, modo & tertium hoc addant, operari me veritati. In libris prioribus habebimus Achillem, quem nonnuſquam opprobrio infidelitatis conuolutum, & in turpitudinē mortis ignominioſę deiectū videre licebit. Omnes magnitudines & dignitates cōſiderādæ veniūt ex obœdiētia & fide, quæ principibus, à quib. collatæ ſunt, debētur. Nullius reſpectus eſt chorda cęrula à Cruce ſeparata neq; barbę vllus honos genis abraſę.

Modus ſcribendi Hiſtoriam nouus, ſed vtilis & iucundus.

Reperientur & alij, qui huius Hiſtoriæ formam non minus quam materiem criminaturi ſint. Dicent, tot elegantes ſententias ex melioribus omnium linguarum & populorum libris depromtas, non debuiſſe adeo euolui, quod pręter Hiſtorię legem ſit tantus apparatus; veluti gemma, quæ quo pulchrior eſt, eo minus auri & ornamenti requirit. Quibus pro reſponſo referre poſſum, ita illis placuiſſe, quorum ſententia vim legis obtinet; & morem modumque iſtum comprobatum eſſe ab excellentiſſimis Francię prudentibus, & primarijs Regis Conſiliarijs. Verum enimuero ſi Cenſores iſti adeo moroſi ſunt, vt nolint acquieſcere in eo, quod illis offertur gratis, quodue multo labore, multoque tempore quæſitum eſt, in illorum erit arbitrio, legendo præterire. Neque enim minus veritatis ſcientes euadent, tametſi obſeruationes iſtas non legant. Quiſque pro palato ſuo, aut captu, illis vtatur fruatur. Sunt hæc emblemata, quæ ſine vllâ formæ aut materiæ noxâ auferri poſſunt. Sunt vniones, baccæ & lapilli, qui excellentiā operis adaugent ſine vllo deuenuſtamēto aut conturbatione. Variorū colorū tabulæ, diuerſorum fructuum paſtio, diſtinctarum vocum concentus delectari amant.

In omni argumentorum genere, & in primis in Hiſtoria varietas grata eſt.

Pauus, quem Imperator Adrianus conſecrauit in templo Iunonis Euboico, mirum in modum eximius fuiſſe legitur, non quod totus aureus, ſed quod varijs gemmis ornatus fuerit. Eſt quidē ita, libri ſunt libri, vt riui ſunt riui, ſed alius alio vtilitate præſtat. Nilus oculis gratus eſt non propter aquarum abundantiam, (nam Iſter

tantun-

tantundem habet) ſed quia exundatio eius agros Ægypti fœcundat & fertileis reddit. Vtilitas inſertarum huius libri eſt eiuſmodi, vt nemo non, cuiuſque profeſſionis ſtudioſus ſit, in primo ſtatim limine offendat, quo animum ſuum paſcat, & fructum aliquem ferat.

Libri huius æui habent multum loquentiæ, ſapientiæ parum.

Qua in re illis præcipue gratificari volui, qui toti ſunt in libris nauci & vulgaribus, nec bonos Auctores amplius curæ ſtudioque habent, linguarum cognitionem & copes ſcientiarum theſauros obliterant, eoque ipſo die, quo magiſtrorum ſe diſciplinis ſubducunt & ſcholas relinquunt, nihil ſe retinere gloriantur. Qui hoc meo magiſterio reparabunt ruinam memoriæ malefidæ; experientur voluptatem ex reciperatione eius, quod illa perdidit, percipiendam; mandabunt animis & mentibus innumeras pulcherrimarum rerum ſententias ſine labore; & ſubducent ſe ab vberibus (vt ita dicam) plebeiorum librorum, qui maximam partem nec doctrina valent ad animum conformandum, nec pietate ad Religionem excolendam, nec denique veritate ad ſcientiam adſtruendam. Fabulæ ſunt & Romana (vt vulgus appellat) amoris, quæ amor loquax nudauit inter vanas & otioſas cogitationes, nec plus vtilitatis an voluptatis adferre poſſunt, quam iuncus folia, aut Cypariſſum fructus producere.

Ex quibus auctoribus marginalia ſint deprompta.

Ingens labor fuit flores iſtos è tantis ſpinis libare; nec minor potuiſſe loca, vbi gignuntur, deligere. neque enim vndiquaque excerpendos putaui. Relictis Theologis, Medicis, Poetis Græcis & Latinis, & (licet inuite) Homero, ſolos Hiſtoricos, Oratores & Philoſophos adiui, vt inſtituto meo congruentiores, & qui de rebus politicis, militaribus & moralibus expreſſe aut incidenter tractauerunt. Et vt oſtendam, noſtri æui prudentes æque cordatas & ſophas cogitationes, atque priſcos illos, de rebus publicis habuiſſe, ex quatuor aut quinque primarijs Europæ nationibus eos ſcriptores adhibui, qui (meo quidem animo) in ſuis linguis purius, elegantius & maiore cum iudicio ſcripſerunt.

Multæ elegantes ſententiæ ex prophanis & impijs.

Vnus aliquis ſcrupuloſus eximere hoc numero volet Machiauellum & Aretinum, è quorum ſcriptis complures præclaras ſententias, exemplo Epicteti & Senecæ, qui Epicuri ſcrinia expilauerunt, hauſi. Sed eum ego obteſtor, vt ſemoto præiudicio cogitare ſecum velit, licet magna illa ingenia parum conſcientiæ habuerint, multum tamen ſcientiæ & cognitionis rerum publicarum habuiſſe. Dictum bonum ſemper eſt bonum, nec vmquam inoportunum, vndecumque tandem illud profectum ſit.

Permissum est Historico Oratorem agere.

Qui intendunt in ea quæ narrantur, nec se morâ frustrari patiuntur, non probabunt digressiones, quibus facinora & gesta inclutа per expressos omnibus verbis sermones dilatantur. Verum & hi sententiam mutabunt, vbi considerauerint, Historico commodis locis permissum esse Rhetoris personam induere, & Græcos atque Latinos imitari, qui eiusmodi orationibus historias suas condecorauerunt. Artificium & ornatus Historiæ contextui nil officiunt, modo res gestæ sine mutatione & diuersitate exprimantur. Omnes scientiæ debent facem veritati præferre. Sed cauendum est, ne quid adferatur inconsiderati, ne quid superflui, ne quid allegationum falsarum, ne quid denique ad extollendum sermones vanos tamquam nubes, quibus claritas Solis huius obscuretur.

Ordo, perspicuitas & iudicium sunt natiuæ pulchritudines Historiæ.

Historiam ex meris ethicis & moralibus qui concinnaret, vt nihil in ea præter massam ossium pelle opertam appareret, quid aliud nobis quam verum phantasma exhiberet? quum ornata genuinis coloribus, & ex arte datis atque concessis, Ordinis, perspicuitatis & iudicij, omnium oculos in se conuerteret, omnibusque perplaceret. Quæ si de rebus omnibus dicere tenetur, & quid de circumstantijs particularibus, quæ vniuersalibus istiusmodi discursibus inuoluuntur, nec anguste & exiliter dici possunt, sed requirunt alias suppetias ex doctrinâ omnis generis scientiarum? Nam qui de omnibus tenetur dicere, necesse habet multum & scire & dicere. Ideoque de perfecto Historico dicendum videtur, quod de Catone dixit antiquitas, fuisse magnum Oratorem, magnum Ducem, & magnum Senatorem.

An Historicus scribere possit de rebus, quas non vidit.

Arietinus ictus est omnium acerrimus nostrorum Censorum, qui sequitur. Historia hæc de rebus scripta est, quas Auctor numquam vidit; quæ cum tantum sit attestatio eius, qui vidisse affirmat, Historicus ad quem res delatæ sunt, non potest quam audita loqui & fabulas cædere. Hisce ego argumentum reponam adeo firmum, vt nulla ratione conuelli possit. Quis Historicorum non ex aliorum relatu & Commentarijs scripsit? aut, quis vmquam ad ea tantum exsequẽda, quæ vidit ipse calamum adstrinxit? Expungant ergo ex Historicorum catalogo Xenophontẽ, Herodotum, T. Liuium, Tacitum, Sallustium, & cunctos ad vnum veteres, qui de rebus scripserunt longe ab ipsorum & oculis & ætate remotis. Si non est componenda Historia nisi de rebus, quas vidimus, nec admittẽdę sunt, quas ex hominibus fide dignis accepimus, quęrant licet Historiam vel in Vtopia. Nam vnus homo solus qui po-

terit ſingularia geſtorum, quibus interfuit, commemorare vltra oculorum ſuorum captum? & ſæpe contingit vt exitum videat, qui in principio non fuit. Etiam non ſemper illis creditur, qui ſe rebus geſtis adfuiſſe aſſerunt. Aſinius Pollio Commentarios Cæſaris parum integrâ veritate compoſitos notauit, quod multa Cæſar, quæ per ſe geſta ſcribit, perperàm ediderit. Et qui audita dicit, in eo poteſt fallere, quod rumor eodem tempore & loco ſparſus diuerſimodè referatur. Sed hæc eſt furioſa illa acclamatio ad vitulum aureum, quam Ioſua pro vlulatu pugnę, Moyſes pro voce cantantium accepit.

Falſitas æquè poteſt eſſe in viſis quàm in auditis.

Fieri non poteſt, quin hoc in campo loca quædam ſint nimis ſterilia, alia nimis fœcunda. Sunt enim negotia, quæ adæquari iuſtæ ſuæ altitudini poſſunt; ſunt è contra, quæ ſcutum Æneæ ſimilant, in quo quidem omnis Romani Imperii fatalitas repræſentabatur, ſed non potuit compræhendi omnis magnitudo & maieſtas. Pauci hæc obſeruant. Eſt tantum boni pictoris & boni muſici, perpera lineamenta & falſas chordas internoſcere. Memini me Villeregio, cum aliquando dignatus eſſet quaſdam huius operis particulas inſpicere, dixiſſe, Hiſtorias noſtri temporis non ſcribi Secretariis & id genus hominibus. Quemadmodum non omnibus promiſcue licet apud Arabas thura, apud Indos Occidentales aurum, & apud Pomeranos electrum legere, ita non omnes capere poſſunt conſilia Principum, auro cariora, ſacriora thure, electro ſplendidiora, & inacceſſa magis, quàm ipſæ regiones, vbi res illæ proueniunt. De queis Conſiliis qui præſumpſerit loqui, mille offendet negotia, ſuper quibus verba facere temerarium, tacere prudentia eſt. Periculoſum eſt in Oceano arcanorum Reipubl. velificari. Tutius eſt Oram adnauigare, & longè amœniſſimum, ſi ſpatiari lubet, ſecundo flumine vehi.

Plebi ſufficit, vt res geſtas ſciat, de conſiliis & futuris ſecura.

Non par eſt, vt plebs ſciat omnium rerum cauſſas & deliberationes; ſatis eſt, ſi exitus & euenta cognoſcat, & res iam geſtas arbitretur, nec ſe torqueat in futuris indagandis: amplius dico, è re eſſe, vt multa etiam vera ignoret, multa vel falſa credat.

Si qui forte erunt, qui hunc laborem meum laudaturi ſint, eos ſcio non per omnia Commentarios hoſce comprobaſſere. Sed præter quod mihi conſcius ſum nullam rem memoriæ ſecius mandaſſe, atque ſciuerim, non me fugit non eſſe plantam, quæ latius brachia ſua extendat, quàm fama, quæ tamquam niuis faſciculus rotando augetur & grandeſcit; & res eodem tempore natas, codemq; in loco viſas, ad alia & tempora & loca referri. Ego tamen

Periculoſum eſt omnis generis famam & relationes credere.

nusquam in rumoribus sine auctore, sine veritate, sine prætextu aut probabilitatis colore volantibus acquieui: nec fidem meam vllis verbis aut scriptis adhibui, quàm eorum, qui res, quas scripsi, viderunt aut cognouerunt, homines negotiis publicis impliciti, prudentes, auctoritate præditi & fide digni; sed homines tamen, & sæpè fit vt vel maximè circumspecti fallant. Si quandoq; fabulam, illi consimilem, qua Senator Romanus commentus est se alaudam vidisse cum galeâ & hastâ cœlum petere, discursibus hisce inserui, factum id in fidei publicæ & erroris communis gratiam; nec ideo Historiæ veritati detractum puta, non magis quàm vini naturæ, cui aliquantillulum aquæ ammixtum.

Quamobrem non erit vt erubescam in hoc recognoscendo, non magis quàm Frossardus à Montano laudatus, qui tanta dexteritate in conformandis suis commentatiis vsus est, vt depræhenso peccato non dubitauerit illud agnoscere, suoque in loco, vt admonitus erat, corrigere. Quæ offensatio facit, vt adiurem omnes eos, qui certiorem rerum, atque ego, cognitionem habent, vt hoc dent gloriæ veritatis & vtilitati posterorum, & quod sciunt, faciant vt pariter cum illis sciam. Commune humanitatis vitium est, errare, sed errores hominum excusare prudentiæ; tegere, probitatis speciem habet.

Primæ editiones Historiarũ emendari solent in secundis.

Postquam totus liber iam impressus, nec amplius integrum erat quidquam addere aut detrahere, inter alios defectus depræhendi me rem omnium maximè memorabilem omisisse. Ea est restitutio Iesuitarum. Quæ profecto poterat primam libri VII. narrationem plurimis iisque elegantibus & notatu dignissimis obseruationibus ditare super doctrina, disciplina & moribus huius Societatis sodalium. Nec scio quam ob caussam mihi exciderit. Nam ipsi de ea Commentariis, quos cum reliquis huius operis Lutetiæ Parisiorum ostendi, vt per ora virorum volitarent, & etiamnum superant penes Amplissimum Viccium, me defendere poterunt aduersus eorum aculeos, qui neglegentiam meam redarguturi sint, quod rem tam notam & vulgarem præterierim.

Prima narratio libri VII. prætermissa.

Si Typographi voluissent hoc opus sine meo nomine proscribere, neque vllum eorum periculum aut damnum in eius suppressione verteretur, nil moratus fuissem, vt alicubi locorum huius Phari legeretur; SOSTRATVS FECIT HOC OPVS. Acquieuissem valde libenter, vt merito operis cognitio Auctoris

Auctor volebat nomen suum celare.

nomen ab hac vanitate foret librum. Quum præsertim, vt alibi à me dictum est, qui non habet, quod imitatione dignum sit, non nimium sollicitus esse debet vt innotescat. Quando libri clancularii Auctorum suorum nominibus carent, permissum est eos vsurpare,& addendo meliores reddere.

Quæ caussa fuit, quamobrem olim sine nomine meo *Libros IV. Historiarum de postremis bellis ciuilibus inde ab initio vsque ad Ordinum regni Comitiorum Blæsensium finem*, publicare voluerim, vt nimirum fatum eorum periclitarer. Multotiens repetiti fuerunt, & nulla fermè typographia est in Francia, per cuius prœla non transierint; sed pessimis exemplis tractati ab illis, qui, vt libros alios farcirent, transcripserunt, & ferè totos in continuationem aliarum Historiarum confudêre.

Quattuor libri Historiarũ de postremis motibus, vsq; ad finem Comitiorum Blæsensium 1588.

Quattuor meis libris & quinctum adiecerunt, qui & nullum fructum lectori afferre, nec sine indignatione legi potest, tantum abest à meo ingenio & stilo, vt nemo sit adeo hebes, qui non illico differentiam animaduertat. Atq; vt mihi honorem concilient ab opere, quod à me scriptum non est, pannuceis suis consuerunt dissertationem meo more modoque institutam de bello inter familiam Francicam & Austriacam.

Quinctus liber ab alio stilo & auctore.

Est quidem licitum imitari, sed non est licitum furari; aut certè furtum ita obuoluendum & interpolandum est, ne temerè agnoscatur, neue arguat illum conuicti criminis, qui cum eo depræhensus fuerit. Hortulani nihil dicunt in eos, qui hinc inde nonnullos fructus delibant in horto, sed illos clamore prosequuntur, qui totas plantas eradicant & integra brachia auellunt.

Imitationes permissæ, sed furta odiosa.

Si quis parilem Historiam instituerit, non moror, non sum inuidus; stadium omnibus patet. Qui non potest esse primus, contentus sit sequi. Quanto res sunt communiores & vniuersaliores, tanto difficilius est singularium se & præexcellentem facere. Defectus mei aliis esse poterunt pro exemplo ad absolutius quid perficiendum. Nulla ætas tantum scribendi cacoëthe neque tot libros scriptoresque vidit.

Permissũ est scribere, sed non omnibus contingit aptè scribere.

Multitudo scribentiũ.

Perrarum fit oportet, quod hodie aliis gliscat antistare. Erit quum librorum pariter & auctorum eadem conditio veniat, quæ Smaragdorum. Quorum ingentem copiam quum Lusitanus quidam ex India attulisset, & vnum gemmario Italo monstrasset, pluris hìc eum propter raritatem æstimans

quàm

quàm valorem, centum ducatos obtulit; & pro alio maiore ac splendidiore alterum tantum, & sic deinceps pretio ad pensationem aucto vsque ad quinque aut sex; sed vbi Lusitanus plenam capsulam produxit, contemnere cœpit, nec iam pluris vnum quàm coronato æstimare.

Hæc Historia ad nullius exemplū aut imitationē scripta est.

Si vestigia eorum, qui ante me scripserunt, non sequor, nec inuenta & commentarios in cibum & sanguinem meum verto, nullam illis iniuriam facio. Hæc Historia ex se orta est, cicadam auream in fronte gerit. Qui post me scripturi sunt, sentient quanta voluptas sit, bellum arte cytharœdum audire post ineptum. Si quis hanc Historiam inter primas ponat, non eo magis superbiet; si quis inter postremas, eas condecorabit; si quis reiiciat, eâdem constantiâ sustinebit, qua Demetrius statuarum suarum turbationem.

Hæc Historia est tantum pars integri tapetis, in quo res à duobus maximis Regibus, quantum magnorum vmquam Francia protulit, gestæ repræsentabuntur; quorum vterque natus videtur, vt Virtus ac Fortuna quid possent, in iis ostentarent. Quod si vita comite Deoque dante hoc opus, ita vti à me institutum est, ad calcem perduxero, erit vt in duobus sic satis amplis tomis habeamus flores omnium meliorum librorum, & eorum quàm maximè qui videntur esse illis necessarii, qui inter homines & negotia publica versari volunt.

Hoc volumen est tantùm quarta pars integri operis.

Et quamquam operis tam laboriosi, messis foret sterilis, nec fructum vllum perciperem, tamen hoc me semper recreabit atque reficiet, quod mirabilia æternæ Prouidentiæ in gubernatione & consummatione tam ingentium huius Monarchiæ conuersionum primus publicaui: id ego longè maioris facio quàm omneis fauores & promotiones in mundo, quas neque ambio, quoniam nihil odiosius & infelicius esse solet virtute, quæ flagitat; neque etiam spero, quod in Fortunæ arbitrio est ponendum,

*cui nimium quantum insolens est promeritis fauere.

* *En ce temps*, inquit Præses Vairus, *rien n'à tant empesché les honestes gens d'auoir des biens & honneurs que de les meriter.* Bellum dictum & eleganter congruens cum Dianæ Montemayronæ, quod Hispanica lingua sic extulit; *Estamos à tiempo que merecer la cosa, es principal parte para no alcançarla.*

PETRI MATTHÆI

HISTORIARVM FRANCIÆ.

Liber Primus.

Summarium primæ Narrationis.

1 *Status Franciæ finitis bellis ciuilibus, & reductio Britanniæ.*
2 *Exercitus peregrinus in limitibus.*
3 *Papa quærit & procurat reconciliationem inter ambos Reges, ad Christianitatem in otium collocandam.*
4 *Generalis Franciscanorum, proxeneta & pararius à Papa interpositus.*
5 *Rex Hispaniæ pacem desiderat, ad successionem Regnorum filio stabiliendam.*
6 *Propositio pacis non eodem affectu in consilio Regis Hispaniæ recepta.*
7 *Archidux Albertus & Infans in desiderio pacis consentiunt, eiusq; conciliandæ rationem quærunt.*
8 *Occasio inopinata ad viam paci patefaciendam.*
9 *Archidux Regi arma pretiosa dono mittit.*
10 *Prima pacis negotiatio quam secretissima in ipso belli feruore.*
11 *Argumenta contra pacem proposita, refutata.*
12 *Cuiusmodis sit Hispanorum in rebus bellicis existimatio.*
13 *Par eademq; Principum voluntas erga publicam Christianitatis pacem.*
14 *Rex Hispaniæ potestatem tractandi de pace Archiduci nepoti suo concedit.*

NARRATIO PRIMA.

1598.

Πρώτη καὶ θειοτάτη ἡ βασιλεία: *Primus & diuinissimus Principatus.* Arist. in Polit.

Monarchia omniũ diuinissima forma Reip. I.



ONDITIO Monarchiæ, quæ, instar puncti, diuisionem non patitur, reduxerat Franciam sub vnius potestatem & in leges primæ omniumq; diuinissimæ formæ gubernandi. † Omnis Francia erat Francica, omnesq; Franci tamquam vnum corpus prauis humoribus euacuatum & spiritibus concordibus morigerisq; refertum. Magnus ille Mars circuibat dearmatus, Mercurius ei Chlamydem Hermelinam reddiderat, summi quique Europæ Duces per gladium eius iurabant, rebellio omnem bilem in vnum Regni angulum euomuerat, corda, quæ Medusa in rupes indurauerat, remollita erant indelebili Lilij florum impressione.

Status Frãciæ initio anni 1598. post Britanniæ reductionem.

Bella ciuilia in Britannia extincta.

1598.

Oebari dictum est ad Cyrũ, Monarchiam Persarum similem esse corio bouis torrefacto, quod in vno angulo depressum ex altero resilit.

Comparatio imperii Persarum cum corio.

Noster Alexander fixum pedem in medio corij tenebat; æque in cordibus Francorum ac in meditullio Franciæ regnabat; virtutis suæ præsentia eo in statu Rempubl. tenebat, vt nihil moueri, nihil turbari posset, hostibus non minore causa timendi, quam subiectis amandi, iniecta. Omnes sperabant, magnum istum Augustum Franciam tandem marmoream redditurum, quam initio lateritiam acceperat.

Augustus vrbem marmoreã reliquit, quam lateritiam acceperat. SVET.

Verumenimuero Hispanus antiquum obtinens, cui sollemne est per vicinorum bella sibi pacem firmare, (nam, vt vetus habet axioma, *qui mouet alios, ipse quiescit*) & domi quiescens, tonitru suum voluere vltra Regni limites instituit, cumq; adiutorio eorum, qui seipsos venumdari passi sunt, dum patriam vendebant, sibi funestam deuastationem huius Regni pollicebatur.

τὸ κινοῦν δ' ἕστηκεν: Id quod monet, quiescit. TRIS MEGIST. in Pœmand. cap. 11.

Qui patriã vendit, seipsum vendit.

II. † E contra Rex, qui restituerat Franciæ pacem, vt Hispaniam bello implicaret, noluit permittere, vt Hispanus diu gauderet finium imperij sui propagatione, quin duplicatas erubesceret Francicorum trophæorum cruces, disceretque Franciam bello tentari non posse, nisi cum pudore & pœnitentia eorum, qui tentant. Est quædam quasi Panthera, quæ perdit & deuorat eos, qui propter odorẽ se persequuntur. Res ad bellum longe irreconciliabile & crudele spectabant. Obstinate hostis sui obstinationem frangere vnicuiq; deliberatum erat. Tempestas prope erat, nec quisquam reperiebatur, qui non arbitraretur, vel partem huius procellosi turbinis satis esse ad pessumdandum grandeis istas duas Christianitatis naueis.

Ingenium Pantheræ. PLVT. de Animal.

Cum obstinato hoste obstinate pugnandũ. LIV. lib. 10.

Actiones humanæ, quæ eosdem cum caussis suis euentus sortiuntur, longissime differunt ab actionibus æternæ sapientiæ, quæ contrarios prorsum effectus producit. Hæc enim est, quæ ex animis inuidia inflatis, ex vindictæ desideriis, ex inimicitiis irreconciliabilibus, concordiam & amicitiam concinnat. Hæc pacem tamquam Phœnix quidam ex cineribus belli resuscitat: hæc ex spissis istis turbarum nubibus solem tranquillitatis in splendorem proiicit: &, secundum rerum huius mundi constantem inconstantiam, ex medio miseriarum felicitatem omnibus populis desidera. issimam exoriri facit.

Prouidentiæ diuinæ effectus.

Elementa non tam inter se contraria sunt, quam horum duûm Regum animi ac voluntates erant. Sed quemadmodum elementa ad aurum & pretiosos lapides procreandos conspirant, ita horum ingenia, vtcumque studiis & desideriis dissidentia, ad producendam istam incomparabilem Pacis gemmam conuenerunt. Illi ipsi, qui prius in magno isto armamentario cœli tot fulmina & anathemata ad bellum inciendum repererẽ, ex eodem nunc splendentes faces ostendunt ad ducendas voluntates duûm istorum Principum ex transuersis mille difficultatum tenebris ad templum Pacis.

Concordiæ Elementorum.

Habet has vices conditio mortaliũ, vt aduersa ex secundis, secunda ex aduersis nascantur. PLIN. in Paneg.

III. † Namq; post inauditas mutationes, quæ Italiam perculserunt, quum in decem & sex mensium

Sixtus mortuus 28. August. 1590. Vrban9 VII. 27. Sept. Greg. XIV.

spatio

Prudentia, iustitia & pietas Papæ Clementis VIII.

1598. 15. Octobr. 1591. Innocentius IX. 9. Decembr. Clem. VIII. 30. Ianuarii 1592. electi.

ſpatio quinque Papas vidiſſet, Deus tamdem Clementem VIII. ſuſcitauit, qui balſamum vulneribus Franciæ applicuit, cum iam illi, qui ſuper morbo eius in ſinu gaudebant, mortemque deſiderabant, ea vellent incurabilia reddere, nec aliud remedium quam ferri & ignis adhiberent. Hic ſe, vt alter Hercules, tranquillatorem tempeſtatis terreſtris & marinæ, communem Chriſtianitatis patrem, conciliatorem pacis & concordiæ eo tempore conſtituit, quo exiſtimauit neceſſitatem & conditionem rerum vtriusque Principis in eo ſtatu eſſe, qui non pateretur eos paci obſtinate refragari.

Propoſitio pacis commoda.

Nam tametſi proponenda voluntatum diſſidentium conciliatio nulli magis cõueniat quam primi miniſtri magni Dei Pacis, tamen numquam magis propria eſſe poteſt, quam cum partes ſunt æquales, nec alterutra in ſuperiore conditione & cauſa ponatur.

Vnum tempus eſt de pace agẽdi, dum ſibi vterq; confidit, & pares ambo videntur. CÆSAR lib. 1. Bell. ciu.

in qua Papæ cohortationes ad vtrũque Regem.

Quare ab Legato Henricum IV. Franciæ & Nauarræ Regem, & à Nuntio Philippum II. Regem Hiſpaniæ ſedulo admonuit, eſſe tamdem tempus deponendi omneis inimicitiæ & vindictæ cupiditates, reſumendi pacis ſtudia, & coniungendi vires contra communem Chriſtianorum hoſtem, qui ſolus commodum ex illorum perditione caperet: cogitarent, ſubditos ſuos ſatis inebriatos ſanguine, felle, & aceto diſcordiæ, æquum eſſe vt aliquando dulci vino Pacis reficiantur: & poſt hauſtum tantum veneni ambitionum & factionum publicarum, ſumendum eſſe antidotum olei concordiæ & reconciliationis, ſacrificandas vindictas ad Pacis aram, offerendam denique victimam ſine * felle & Regni vtriuſque concordia.

Similitudo ex ingenio elephantum ſumpta.

* Veteres ſacrificaturi pro concordia coniugali, fel hoſtiæ præciderũt.

Vterque Regum animoſior erat, quam vt alter ab altero pacem peteret. Opus erat tertio, cuius medio iungerentur duo iſta extrema. Olim Ferdinandus Rex Romanorum, eique adiuncta Lotharingiæ Dux, primi pacis media inter Carolum V. Imperatorem & Franciſcum I. Regem *a* propoſuerunt. Heic Papa ſe interpoſuit: ſed opus erat etiam alio, qui hinc inde commearet, & quaſi nuntius atque interpres vtriuſque partis intentiones referret.

a An 1544. poſt pugnã Ceriſolanã & obſidionem Sanct-Deſiderianam.

Proxenetæ pacis.

Quo in negotio conſideranda ſunt mittendorum ingenia, non perſonæ; prudentia magis quam eloquentia; & dignitas minus quam idoneitas. † Ferdinandus tum Dominicani cuiusdam Monachi Hiſpani ex familia Gutzmannorum miniſterio vtebatur: nunc Papa ſibi elegit Bonauenturam Calatagironeum, Franciſcanorum ſodalium Generalem, qui ad vtrumque Regem ſanctas & ſalutareis exhortationes pacis perferret. IV.

b Sic Ludimagiſter à Rhodiis ad Caſſiũ miſſus: APPIA. lib. 4. Bell. ciu. Sophiſta ab Athenienſib. ad Mithridatem: ATHEN. li. 5. Theophilus Imperator præceptorẽ ſuum ad Agarenos legauit: ZONAR. in Theophil. Iuſtinianus Medicum ſuũ ad Coſroëm: PROCOP. lib. 2.

Religioſi bel'o ſe miſcebant, eorundem opera neceſſaria exiſtimata fuit ad pacem cõciliandam. Sic S. Bernardus Moguntiam iuit, vt Lotharium Cæſarem cum Conrado Imperatore conciliaret: & Conradus Simoneta Auguſtinianus Monachus pacem inter Venetos & Francos tractauit. Sforcius Sauanarola ſæpe à Florentinis pacis mediator amandatus,

Religioſi eſſe debent angeli pacis.

1598. Bell. Perſ. Ludouic. XI. tonſorem ad Flandros: COMIN. & GAGVIN.

Sapere & contemplari.

c Τὸ φρονεῖν ἄρα καὶ τὸ θεωρεῖν ἔργον τῆς ἀρετῆς. *Sapere & cõtemplari, virtutis opus.* IAMBLI. Protrep. c. 1.

c Summa virtutis actio eſt, ſapere & contemplari. Ingenia à turbis & confuſione huius mundi ſegregata magis idonea aptioraq; ſunt quam eorum qui ſe à violentis illis affectibus, qui velut tauri furioſi ſeptum rationis ſemper tranſiliunt, ſuperari patiuntur.

V. Septuagenarii excuſantur à tutela.

Philipp⁹ II. Rex Hiſpaniæ an. 1557. cum eſſet in Anglia, bellum Francis indixit.

Rex Hiſpaniæ † necdum intellexerat ſe à Papa cohortari ad pacem, quum vltro cogitare cœpit. Regnum bello contra Francos auſpicatus erat, idem pace cum iiſdem deponere auebat. Iam annum ætatis agebat ſeptuageſimum. Vt homines priuati hac ætate immunes fiunt à tutelis, ita ipſe quoque ſe deonerare tam grauido Regnorum pondere, & filio ſuo pacifice imponere cupiebat. Sed opus eſſe videbat, vt prius filiam Iſabellam elocaret. Quam ſi exſortem matrimonii relinqueret, metuebat ne in Hiſpania demoraretur, & de ſucceſſione Regni cum fratre Philippo diſceptaret, eique magnanimitate ſua opponeret robur ſuæ prudentiæ, & ingentem fiduciam quam in voluntate Magnatum Hiſpaniæ poſitam habebat, faceretque vt intelligeret, eſſe ſibi caput diademate dignum, & quidquid dicant Politici fœminam æque regnare poſſe atque virum, nec de Principibus inter negotia educatis ſentiendum eſſe, vt de feminis inter acus & fuſos enutritis, quę ſua perſuaſione ſatis ſibi doctæ videntur, ſi caligas à thorace diſcernere queant, nec eſſe quidquam tam excelſum, quo brachium virtutis, quæ omnibus pater, neminem excludit, inuitat cunctos, nequeat pertendere.

V. *Nulli præcluſa virtus eſt, omnibus patet, omnes inuitat.* SENEC. De benef. lib. 3. cap. 18.

Quid Regē Hiſpaniæ mouerit ad pacem.

Rex Hiſpaniæ non poterat ei minus, quam aut Portugalliæ Regnum, aut Prouincias Belgicas cum Burgundiæ Comitatu in dotem concedere. Quorum altero ſtatus Reipub. deminuendus ac diuidendus & altero filia in diſcrimen fortunæ committenda erat, ne aliquando in Hiſpaniam pro appanagio (ita Franci vocant fiduciariam hereditatem) vindicando teueniret. Fieri enim non poſſe videbatur, vt diutius in Prouinciis bello irreconciliabili diſtractis regnaret, hoſteis habens duos tam potentes vicinos. Quamobrem vt pro firmanda filio Hiſpania, Infans erat in matrimonium collocanda, ita pro eo, quod Infanti in dotem concedendum, ſtabiliendo, neceſſarium vt pacem cum Rege conſtitueret, & miſſas faceret vanas illas imaginationes de conquirendo Regno, quod in dies magis ampliatur concordiæ ſuæ incremento, & quod circummunitum armis & animis inuincibilibus, ſuo ſe pondere ita ſuſtinet, vt nullis tempeſtatum impetibus moueri poſſit. Qui in commodo ex ingentibus iſtis & numeroſis factionibus, quæ Franciam ſiderauerunt, captando falſi ſunt, non amplius cogitare debent, nec habere deſtinationes hereditarias. Speciosus ille prætextus Religionis, cuius pictatiuncula ſatis eſſe poteſt ad grande pallium conficiendum, euanuit. Franci inter ſe conuenerunt Principi ſuo legitimo

Vbi perpetua concordia, ibi creſcit imperium. LIV. lib. 5.

Francia ſuo ſe pondere ſuſtinet.

ſine

1598.

fine omni porro exceptione aut conditione obœdire,& vel cum vitæ suæ dispendio sacrosanctas Reipub. leges contueri.

VI. Super † hoc pacis desiderio experiri voluit quid Consiliarii sentirent. Est enim omnino periculosum omnia velle ex se facere, nec aliorum consilia adhibere. Deliberatio pacis erat iusta, nec quidquam erat, in quo non necessitas cum iustitia inseparabiliter coniuncta appareret. Rex Hispaniæ, qui id non ignorabat, non opus habebat alio consilio quam suo ipsius, certo sciens, plerosque Consiliarios autumare, statum Reip. in pace persistere diutius non posse, quam bellum & seditiones in Francia durarent, semperque discordias in eo Regno serendas esse, cuius vires sunt potentes & bellicosæ. Nihilo tamen minus scire volebat, quæ esset eorum opinio, proposuitque in Consilio, vt de ea præsentibus filio Principe, & Infante, deliberaretur. Iuuenis iste Aquila alarum suarum ferocitate ad magnas & altas cogitationes euolans, nihil aliud desiderabat quam bellum à Patre cœptum continuare. Dedecorosum fore sibi apud posteros ducebat, si Regnum vaginato ense & recondito adiuisse perhiberetur, neque pater sibi Carthaginem, in qua virtutem suam exerceret, reliquisset. Sic * Alexander plorasse memoratur, quod pater eius nullam rem aggrederetur, quam non perfecerit.

Niuna cosa è certamēte piu necessaria nelle deliberatione ardue, niuna dell' altra parte piu pericolosa ch' el demandare consiglio. GVICCH. lib. 1.

Princeps Hispaniæ aspernatur pacis consilia.

In regnis, quæ nobis sunt formidolosa & suspecta, serēdæ seditiones & ducordiæ, vt tuti aduersus ea simus, & frangantur eorum vires. TACIT. lib. 2. Annal.

* Alexander, *quoties allatū erat aut nobilem vrbem a patre captam, aut illum insigni potitum victoria non vsq adeo gaudebat ijs nuntiis, verum ad æquales dicebat; Omnia p̄ripiet, sodales, pater, neq vllum mihi insignē & illustrē relinquet vobiscū perpetrādum actū.* PLVTAR.

Hæc quæstio pacis quum inter Consiliarios agitaretur, quisque id, vbi ordo poscebat, quod sibi videretur, dicebat, aut potius quod Principi placebat, qui magis laudabat animositatem quam prudentiam, & pericula conatuum bellicorum, quam beatam pacis quietem. Nullus locus est, vbi minus loci esse debeat dissimulationi, quam in consilio Principis. Nec odiosior vlla ignauia aut pusillanimitas, quam cogitationes suas fallere, & aliter loqui ac sentias. Christophorus Mora, qui ea in opinione erat, primā † ac summam virtutem eius, qui Principi à consiliis est, esse veritatem, & vilibus animabus seruisque mendacium, liberis hominibus verum esse proprium, sententiam suam firmauit omnibus optimis argumentis, quibus sperabat pacis propositionem eodem modo iuueni Principi persuadere, quo Regem nouerat iustam & necessariam iudicasse, & in ea necessitate sapientes proram ac puppim consilii sui, Reique publicæ felicitatem collocare. Is ergo in hunc modum verba fecit: Multæ proponuntur quæstiones, ad quas respondere stultum est, propterea quod adeo illustres & lucidæ sunt, vt omnes eloquentiæ ac dissertionis vires non magis afferre ad eas claritatis possint, quam fax ad Solem medio meridie accensa. Quæritur, an Hispania debeat pacem facere cum Francia. Opinor neminem esse tam extreme imprudentem, nec tam contradicendi studio audacem, qui suffragium suum grauate ferat bono tam certo, tam apparenti, & tam necessario, nec libens volens in eam sententiam eat, vt

Opiniones gratiores quā iustiores.

Mendacium nota ignauiæ & timiditatis.

† Apolloni⁹ dicebat *seruorum esse mentiri; liberorum, veritatem dicere.* PHILOST.

Tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapiētis est habitū. CICER. ad Torq.

Cedendum est tempori.

Discursus Christophori Moræ.

Pax vtilis non est refutanda.

1598.

Lernæ huic miseriarum denegetur bellum, quod totius Europæ faciem dehonestauit, corpus Christianitatis vulneribus sanguinolentum reddidit, & quidquid multa annorum series laboribus parauit, vno die destruxit.

Quicquid lõga series multis laboribus, multa Dei indulgentia. struxit, id vnus dies spargit ac dissipat. SEN. epist. 91.

Nihil infinitum in mũdo.

Omnium excellentissimæ & generosissimæ susceptiones Regum non possunt esse infinitæ, quum ipsi Reges nihil habeant in se, quod finitum non sit. Vbi diu multumque per maria per terras vagatus fueris, tamdem ad portum est appellendum & domum redeundum. Bellum non fit nisi propter pacem. Et quemadmodum à portu semel conspecto non temere elongandum est, eodem modo nec à pace refugiẽdum est, quam occasio præsentat. Tempus & necessitas faciunt vt eam desideremus. Imprudentia est recusare tam luculentas & commodas conditiones eius, * qui conuersiones affert incitatiores, quam aut anima cogitarit, aut lingua elocuta fuerit, cuius inconstantiæ arbitrio omnia subiecta sunt, & reuoluuntur ab vna parte ad alteram, sub qua cuncta flectuntur, nec quidquam est mandato eius † violentius aut potentius.

Mutatio temporis. Potentia necessitas.

† Μηδὲν τῆς ἀνάγκης βιαιότερον: *Necessitate nihil violentius.* NICET. in Baldu.

* *Vicissitudo rerum aliquando dicto citius ingruit.* NICET. in Alex. Com.

Qui suadent, non esse expetendum pacem, sed bellum continuandum, videntur statum Reip. in quo versamur, non bene perspectum habere, nec scire, cuiusmodi sit eorum, qui tum nobis bellum indixerunt, quum existimaremus pacem petere. Tabula huius Reipub. nobis vietam extremamque ætatem Regis, & felicem ac vegetam iuuentutem successoris ostentat. Nihil nobis magis metuendum est, quam id quod minime metuimus. * Mala vnde minime putabantur, eueniunt. Nolo diutius immorari in face his mysteriis allucenda. Sed, quæso, oculos vestros paullum in statum Franciæ intendite, vobiscumque reputate, fortunam ei tributariam esse, & quo magis fuerit oppressus & protritus, tanto maiorem, † exemplo Romanorum, semper resurrexisse, omniaq; magni huius mũdani imperii fulminatricia arma incassum laborasse vt eum domarent. Ponite vobis ob oculos Regem omnium bellicosissimum, qui vmquã sceptrum in manu, & coronam in capite gestarunt: Regem, qui fortiter facit in locis omnium periculosissimis, vbi & sanguine pluit, & mortes grandinat: Regem, qui numquam cessabit vincere, dumad vixerit: Regem, qui tamdem cognitus est ex stirpe S. Ludouici descendere, cuius vt coronam gestat ita fidem sequitur: Regem, quem Papa non ausus fuit diutius benedictione priuare, quod videret, Deum omneis illas in eum cumulate contulisse, quas Regibus, quotquot ex sententia sua ambulabant, donauit.

Semper metuendum id est, quod nõ metuitur.

* *Mala vnde minime exspectabantur, erumpunt.* SEN epist. 91.

† *Magna populi Romani fortuna, sed semper in malis maior resurrexit.* FLORVS.

Pietas, virt⁹ & fortuna Henrici IV. Regis.

Bellum ciuile, quod vnicum est venenum, quo Respub. euertũtur, sopitum est. Pons ille, per quem vires nostrę in Franciam transmittebantur, sublatus est; & illi ipsi, qui antehac nobis portas aperire solebant,

Bellum ciuile tulit extraneos in Francia.

Opulentis ciuitatibus venenũ seditio, magna imperia mortalia reddidit. LIV. lib. 2.

1598.

bant, nunc eas oppessulant. Non amplius recordantur tot centum millia scutatorum, quæ ex Regis ærario acceperunt; nemo reperitur, qui pro eo, quod nobis restat, consectando aut arma aut equos petat. Prudenter quidem consilia agitamus, sed nondum perpendimus nobis cum hominibus stultis rem esse, qui audacia sua omnia destruunt, quæ nos prudentia nostra exædificamus. Omnis Hispania turbata erat rebellionibus, & Calabriæ Dux carcere educi iussus à seditiosis in Regem poscebatur. Franci occasionem hanc arripientes impetum in Regnum Nauarræ fecerunt, sed populus noster extemplo in concordiam rediit, & sepositis iniuriis omnes vnanimiter properabant vt communem hostem propellerent. Franci semper idem facient. Inter se digladiabuntur, se ipsi conficient; sed vbi viderint, nos occasionem captare, & illis inter se belligerantibus aliquid moliri, sine mora in commune conspirabunt. Illi ipsi, qui zelo non ficto nec personato Religionis ardent, contra Hispanos æque, ac nos contra Lutheranos, conclamabunt. Ceteri, qui nec fidem nec partes, nisi pro re nata, sequuntur, & sunt mali Christiani, pro occasione ostendent, animos se Francicos gerere non Hispanos. Fuit tempus, quum ludus nobis faueret, sed quando ipsi nos aperto alueo ad ludendum inuitarunt, lucrique participes fecerunt. Dum ipsi inter se adhuc prœliabantur, dum se inuicem cædibus mactabant, dum factiosi non iurabant nisi per Philippi nomen, tempus erat exsequi reapse, quod nunc frustra tentamus. Duobus inter se pugnantibus ac defessis, tertius facile vtrosque deuicerit. Nunc quum sint concordes, satis potentes sunt ad resistendum vel potentissimis, quantum est Europæorum, impugnatoribus; ad reciperandum que omnia, quæ imperio illorum abstulimus, & ad decernendum denique de nostris propriis, nisi Pax robustius ac validius opponat repagulum; quam sunt montes Pyrenæi. Dici solet, eos in conseruandis quidem partis esse infelices, sed in iisdem quærendis virtute summa valere. Ad quam impediendam nullus certior modus est pace, per cuius auspicia Rex desiderat regnum deponere, & V. A. se felicem debet existimare, dum idem detur sine belli portentis auspicandum, & acquiescere in tanti imperii amplitudine, cuius nomine vtroque in orbe sit formidabilis, quippe quod Solis radios videat surgentes, dum apud alios cadit, quodque eosdem terminos suæ potentiæ fecerit, quos olim Roma, quum Imperium inde ab Oriente extendisset vsque in Occidentem.

Hæc oratio mirum in modum Principis adolescentis animum offendit, qui, quum videri mallet minus prudens quam minus animosus, ipso vultu satis ostendit, quam auersaretur eos, qui pacem suaderent. Itaque duris & acerbis verbis Christophorum Moram repræhendit,

Motus Hispanorum an. 1521.

Inimici cōtra tertium concordant.

Imperiū, propter quod vi inuadendum duo alij inter se confligunt, tertius interim vtrique defessis aut inter se pugnantib. facile occupat. TACIT. lib. 2. Hist.

I Francesi sono piu promti à acquistare, che prudenti à conseruare. GVICH. lib. 4.

Rex Hispaniæ imperat nouo orbi.

Iuuenes videri malunt animosiores quam prudentiores.

Initio regni Caroli V. Imp. Hispaniæ populus contra Magnates rebellauit. Inigus Velascus Magnus Comes Stabuli contra rebelles arma sumpsit. Dux Calabriæ in carcere teneri quam seditiosorū caput fieri maluit. Irruptio Francorum eos composuit.

Franci feliciores in quærēdis rebus quam tuendis.

Roma prima & sola ab omnis aui memoria terminos sibi potentiæ fecit Orientem & Occasum. DIONYS. HAL.

1598. dit, quod eam nimis ardenter & audenter argumentis euincere conatus esset, eiusque rei auctor esse institisset, quam ipse extreme odisset: mandauitque homini, vt continuo è conspectu discederet, & in posterum ab omni se præsentia sua abstineret. Ceteri in opinionibus suis obstinati placere sibi dixerunt vt bellum continuaretur, hoc modo assentari volentes Principis adolescentis animo, qui iam sibi ipsam Fortunam & totius orbis Imperium imaginabatur.

Querela Christophori Moræ.

Miser est Imperator, apud quem vera reticentur. CAPITOL. in Gordian. Iun.

Christophorus Regem adit, & de Principis mandato conqueritur: inter querelam obiter adspergēs miserrimas Principum conditiones, apud quos vera dissimulare & supprimere necessum sit, Rex ei nullum aliud verbum respondit, quam; Obtempera. Prudentia communi sapientiæ præcepto longe excellentior. Mandatum filii comprobat quamuis iniustum, ne auctoritatem eius iudicio suo in contemptum daret, neue inde populus existimationem, quam de successore suo cōceperat, mutaret ac diminueret. Christophorus submisso capite recedit, tristis quidem ob gratiæ infortunium, lætus tamen ob conscientiam rectę voluntatis. Rex Principem ad se vocatum monet, quam non recte faciat veteres suos ministros tam leuiter, se viuente & præsente, nullamque aliam causam, quam quod consilia ad eius imaginationes nollent conformare, gratia sua abdicando.

Pater fidem auctoritatis filio tuetur.

Cōscīētia rectæ voluntatis maxima rerum incommodarum cōsolatio. CIC. ad Torquat.

Rem esse mali ominis de regno eius, dum, præter quod auctoritatis suæ nodos dissolueret, eam viam instituisset, in qua etiam prudentissimi Principes aberrarint, & facti postea pœnituerint.

Princeps nō debet mutare veteres Reip. ministros.

Rex Ludouicus XI. statim initio regni sui omnes ministros, qui patri inseruierant, dimisit; cuius eum facti, agnito errore, postea pœnituit. PHIL de COM. lib. 1. cap. 3.

Et quamuis mandatum Christophoro Moræ datum, vt iniustum & impetuosum, sibi vehementer displicuerit, reuocare tamen noluisse, ne inobedientiæ exemplo auctoritatem faceret, velle tamen vt in continenti hominem ad se reuocaret, & in priorem locum restitueret, cogitaretque Consiliarios Principis debere esse liberos, sententias liberas, veritatem liberam; pessimosque esse Consiliarios, qui consilia sua ad eius, cui danda sunt, voluntatem magis quam vtilitatem accommodant. In compluribus quidem causis hominis imprudentis esse, omnia dicere quæ scit, sed in iis, quæ attinent ipsum Principem, bonum Reipublicæ, salutem & quietem Christianitatis, hominis esse improbi aliquid velle reticere; impii, magis indulgere affectibus suis quam rationi, quæ in sententiarum iudicio nemini parcit, sed * equo similis æque Regis filium, quam alium quemuis, excutit, adulandi & dissimulandi nescia. Princeps morem gerit: Christophorus redit. Ille à patre humiliter accepit admonitionem: huic gratia facta est à Principe eius, quod lingua ex veritatis & conscientiæ præscripto nimis audacter pro bono

Consilium Principis debet esse liberum.

Christoph. Mora gratiæ restituitur.

* Carneades dicebat, filios Principū nihil recte addiscere, quam equos gubernandi rationē, propterea quod in omnib. aliis exercitiis nemo non eis se submittit victoriamq; blanditer concedit, solus equus, qui nec adulari nec mores aulicos didicit, filium Regis proinde vt filium baiularii excussare solet. PLVTAR.

pacis

1598.

pacis prolocuta esset, sicut fere solent vsu rerum exerciti † liberius ceteris loqui.

† Vsu & experientia res cognouisse, ingentem animum & confidentiam facit. PHIL. de COM. lib. 4. cap. 11.

Consilium ex diuersis nationibus collectum scinditur in diuersas opiniones.

Ita Rex Hispaniæ cognouit, sententias ad voluntatem Principis fluctuari, quibus plerique affectiones iuuentutis eius palpabantur, & intentionem prudentiæ suæ oppugnabant. Sollemne, hoc est, magnis Consiliis ex diuersarum nationum genere collectis, (cuiusmodi Regis istius erat) in sententiis æque ac temperamentis diuerti: *sed nulla diuersitas periculosior est, quam proueniens ex varietate affectionum particularium, quę semper scaturiginem, vnde consilia rerum publicarum haurienda sunt, turbant ac corrumpunt. Quare noluit vt de pace amplius in Hispania tractaretur, sed Isabellæ Infanti mãdauit, vt apud Archiducem Austriæ, cui erat desponsa, ageret, quo ipse modum aliquem concordiæ reperiret, & animos Francorum exploraret. Infans, quippe † filia generosæ illius Principis, quam Hispani Reginam pacis appellant, Archiduci persuasit vt consentiret, & modum promitteret exstruendi huius pacifici templi, in eoque recto animo & sincero zelo versari.

Infans pacis studiosa.

** Consiliarij gente dispares nihil in communem Reip. salutem consulunt, sed vel suo quisq; cõmodo vacant, vel quod agẽdum pro communi salute est, absq; matura deliberatione decernunt.* THVCYD. lib. 1.

† Isabella Francica in sua natiuitate pacẽ Frãcię & Anglię attulit anno 1546. & eandem in matrimonio dedit Franciæ & Hispaniæ an. 1559. HIST. *des guerres de France & d'Austriche.*

Archidux ad pacem animum applicat.

† Archidux, qui nullam expeditiorem viam Belgium circumuallandi, quam Pacem, videret, subinde ostendit nihil sibi magis curæ cordique esse, quam commune pacis bonum, neque frequentiores sermones in ore habebat, quam super deplorandis belli miseriis, & dolore, quo affligeretur in duorum tam potentium Christianitatis Principum, quorum alter gladius, alter clypeus Christianorum esse contra potentiam Ottomannorum poterat, discordia, quorum vterque tam animati essent ad ruinam, tam prompti ad perditionem, quum vtriusque perditio nemini, nisi perditionis filio, emolumento esse possit. Simulatque hæc fama de studio pacis, quo Archidux flagrare dicebatur, spargi cœpit, certatim omnes populi, quibus iure matrimonii imperare debebat, in amorem eius ruere; Rex ipse Hispaniæ constantiam suæ in eum voluntatis cumulare, quod videret eum desideriorum suorum tam obseruantem; & Infantem commendare vehementer, quod in matrimonium ire cum dote pacifica & conditione certiore desideraret. Cuncti Europę populi ad commune hoc pacis bonum aspirabant simul & conspirabant. quam longissime dissiti iustam, vicini vtilem, partes necessariam iudicabant; partes autem non Franci tantum & Hispani faciebant, sed omnes vicini populi, quorum publicitus intererat pacem inter illos duos coli, ne turbis partium miscerentur, & contagionem mali sentirent.

† Archidux ad pacem animum applicat.

Curandũ vicinis populis, vt pax inter vicinos populos colatur. THVCYD. lib. 4.

VII. Maxima sæpe negotia initium capiunt ab occasione multum

1598. remota ab eo, quo principaliter tendunt, fine. Et quamquam aliquando nullum indicium nullaque facilitas in ea appareat, euentus tamen, qui existimatur esse optimus rerum iudex, satis ostendit aliter fieri non potuisse. Occasio, sub cuius specie Archidux animum suum Regi apperuit, & vicissim de illius voluntate certior fieri potuit, oblata fuit per oportunitatem inopinam nec cogitatione quidem præuisam. Sanctigeranius, qui vexillum album ante Regem gestare solebat, quum ad eum in castra Ferana properaret, à Ronio captus, Bruxellas ductus, & in caput eius pro redemptione quatuor millia coronatorum dicta. Ibi arma, quæ Archiduci fabricabantur, vidit: arma mirandum in modum pulchra & pretiosissime elaborata. Repenso auro & impetrata missione redux eorum elegantias Regi commendauit, tantumque desiderium parilium habendorum excitauit, vt Rex continuo tubicinem ad Sancerranum, Agentem Reginæ Elizabethæ Franciæ Dotariæ, qui tunc Bruxellis versabatur, ablegauerit, cum thorace telæ argenteæ, ad cuius mensuram arma sibi similia Archiducalibus fabricanda curaret. Litteræ Regis non poterant clam esse Archiduce, quod internuntio tubicine venerant, quas vbi Sancerranus celare voluisset, sese coniecisset in vmbram & diffidentiam, quæ tum pro temporis & rerum cõditione vertebantur, & monita fefellisset, quæ peregrinis præscripta sunt, vt diligenter caueant, ne commercium, quod cum hostibus habent Principum, sub quibus commorantur, inuidendi aut male de se suspicandi, vel etiam omnino perimendi occasionem det. Ea-propter Archiduci monstrauit, supplex vt eidem fabro permitteret similia arma pro Rege fabricari. Archidux † non solũ permisit, sed mandauit insuper vt suis multo plus & pulchriora & pretiosiora conficeret, nec vllis impensis parceret, quibus digna reddi possent tantæ magnanimitatis & Celsitudinis Rege, cui destinabat præsentare. Nihilo tamen magis cessauit captare occasionem obsidendæ & intercipiendæ Vlstæ, quæ ad Franciæ regnum spectat, quo citius Caletum appræhenderet, quam itinera sua explorari possent, quæ fingebat vertere ad obsessæ Feræ succurrendum, verberaret, vrgueret & premeret promptius. Interim arma absoluuntur. Sancerranus iuxta mandatum Archiducis Vlstam perferenda curat. Inde Archidux ad Regem iussit pro munere perferre, rogareque vt gratum habere vellet id quidquid esset muneris, & significare dolorem, quo excruciet ur in continuatione belli tam damnosi duobus summis totius Christianitatis Principibus, tam econtra commodi & oportuni præcipuo Christianorum hosti; & si pacis conditiones

L' euento è speso giudice non imperito delle cose. GVICHAr. lib. 4.

Ioan. Franciscus Guichius Sanctigeranius, Vicarius generalis Regis in prouincia Borbonia, capt⁹ in bello & Bruxellas abductus anno 1596.

Sancerranus Agens Reginæ Elizabethæ.

Rex desiderat arma Archiducalibus parilia.

Quandoquidem peregrini facile fiũt indigenis inuidiosi, cauendũ est peregrinis, ne quam inuidendi aut male de se suspicandi occasionẽ dent, vel animosa libertate sua, vel cum hostibus indigenarum familiaritate. POLYB. lib. 3.

Obsidio eius vrbis quã cito capere velis, & vrgẽda & premenda. LIV. lib. 5.

VIII. Archidux ea faciunda curat multo suis pretiosiora.

Arma ad Regem perferuntur.

arriderent, promittere se votis eius talem successum, quem quilibet pro communi bono desiderare debet: Denique oblaturum se omnia studia atq; officia Regi Hispaniæ auunculo suo, quibus eum ad certum pacis integræ, fidæ, firmæ, & ab omni futuro bello securæ consilium capiendum perduceret. Sancerranus, qui sub nomine Agentis in rebus Principis tam vtrorumque Regum propinquæ, tuto & libere hinc inde comeabat, in Franciam venit, & Durlantium transcuns obuios habuit Marescalci Bironii milites, qui eum vi retinuerunt donec diceret se ad Regem properare, vt ei arma præsentaret, suppresso tamen præcipuo legationis suæ mandato, quod erat de procuranda armorum cessatione. Namque noua ista ingrata accidũt iis, qui hostes quidem in fugam vertunt, sed Bellonam numquam exterminatam cupiunt, in id nati vt neque ipsi quiescant, neque alios sinant. Monciacum peruenit, Regique arma præsentat perpulchra, sculpta, damascinata, inaurata exterius, & suffarta telâ aureâ interius.

1598.

Timendũ sub pacis nomine inuolutũ bellum. CIC. Phil. 7.

Sancerranus Durlantii retentus.

Pertingit Monciacum & Regi arma offert.

Plerīq; in id nati, vt neque ipsi quiescant, neq; aliōs sinant. THVCYD. lib. 2.

IX. Rex † ea benigno & animo & oculo accepit. Decet enim Regiam generositatem non minus parua alacriter accipere, quam magna largiri. Quærit ex Sancerrano, num Archidux vellet, vt suo iussu arma missa esse sciretur. Quæstio prudens & magni iudicii, considerato ne diffidentia, quæ plerumque iudicia turbat, & inuidia, quę præclaris negotiis haut secius comitatur, quam opimis frugibus aut expansioribus rosis cantharides, occasionem forte Hispanis obtulerint conciliandi malum huic Principi, cuius dicta facta expiscarentur; & vt odiosum sit aperto ostio viuere, tamen vellent vt omnes eius deliberationes in aperto forent. Sancerranus respondit, arma facta fuisse publicitus, transiisse per media castra Archiducis, qui sibi honori ducturus sit, vbi Maiestatem eius grata habuisse intellexerit. Addit dein, vt ad id, cuius causa præcipue missus erat, veniret, Principem esse boni publici & rei Christianæ studiosissimum, qui assiduo deploret res Christianorum Principum discordiis ipsorum ruere ac turbari incessanter, sibique in mandatis dederit, ex Maiestate eius cognoscere, an placeret de pace tractare, vnicâ & extremâ anchorâ Christianitatis.

Non minus Regiam maiestatem decet & humanitatẽ, parua benigne alacriterq; accipere, quam magna largiri. PLVTAR. in Apophth.

Inuidia mordet præclara quæq; negotia.

Vix quiquã inuenitur, qui possit aperto ostio viuere. SEN. epist. 113.

Prima tractatio de pace.

Hostium munera semper sunt suspecta. Quidquid enim ab illis proficisci ur, hostile habetur. Manus hostis non minus hostilis est quam cor. Hector & Aiax inimiciores facti sunt ex muneribus, quæ inuicem miserant: sed hæc arma quamuis ab hoste armato & in multam Franciam promoto donata sint, pignus tamen esse dandi armorum cessationem. Quemadmodum arcus, instrumentum

Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα: *Hostium munera non munera.* Homer. Iliad. lib. 7.

Arcus cœlestis.

1598.

Principes curare debent ne eos lateat, quo animo ſint qui aut bella finiunt, aut amicitias conſtituunt, quando temporib cedẽtes, & quãdo vere animis fracti pacem ineunt, vt illos quidẽ tamquam ſubſeſſores & inſidiatores temporum obſeruent ac caueant, iſtis fidem habentes tamquam vere amicis quidquid euenerit imperent. POLYB. li. 3.

Hoſtis animus exploratus haberi debet.

belli, poſt diluuium datus fuit pro Hieroglyphico pacis æternæ, eodem pacto & arma iſthæc, poſt ingentes Chriſtiani ſanguinis eluuiones, in ſignum nobis dantur, arma & exercitus fore tantum pro firma & durabili pace conſtituenda. Rex cum animo voluens quæ à Sancerrano proponebantur, & ſimul ſecum reputans, quantum Principis interſit ſcire, quo animo ſint qui aut bella finiunt, aut amicitias expetunt, vt illis quidem tanquam vere amicis fidem habeat, iſtos tamquam diſſimulatores, inſidiatores temporum, iiſque cedentes notet ac caueat, noluit prius Sancerrano reſpondere, quam certo ſciret, quid Archiducem ad pacem conſtituendam impulerit, & an dicta factis animusque ori exæquentur. Itaque Sancerrano refert, ſe, qui dulcedinem pacis numquam guſtarit, admodum deſiderare vt ſapiat ſentire, non tam propter ſuam quam populi quietem; & quamuis bello non indelectetur, numquam tamen pacem recuſaſſe, neq; ſe adeo inſenſatum eſſe vt mala huius diſcordiæ non capiat; ſæpe ex animo doluiſſe tantum ſanguinis inutiliter expandi, & præcipua Chriſtianitatis membra tantopere debilitari: non ſe bellum ſumpſiſſe, niſi pro ſui defenſione, quum, vniuerſa Europa teſte, Rex Hiſpaniæ fere totius orbis vires & ſuos ipſius ſubiectos Francos aduerſus ſe concitaſſet, nec bellum iuſtius eſſe quam quod propter res, nobis vi ablatas, reciperandas ſuſcipitur: quæ quum ita ſint, non tamen impedire quo minus ad pacem animum aduertat, ſed dubitare ſe an Archidux ſerio rem agat, quum circum ſe tot Hiſpanos Conſiliatores habeat, qui numquam bellum alibi quam in Francia gerendum perſuadere ceſſabunt.

Principis eſt deſiderare pacem populi.

Iuſta occaſio belli.

Iuſtũ eſt bellum, quod propter res nobis captas, repetitas & non reſtitutas ſuſcipitur. LIV. lib. 2.

Hæc prudentiſſima Regis reſolutio ad Archiducem perfertur, ab eo porro ad Regem Hiſpaniæ, qui non minus addubitabat, ſi vere agat Princeps in armis natus, in exercitia belli duratus, & in ſuperiori conditione adhuc conſtitutus, vt de pace cogitet. Namque, vt Regni vtilitas eum ad pacis cogitationes induxerit, illos tamen, qui ei in peiori lõge Reipublicę ſtatu, & quũ adhuc quatuor aut quinq; Regni Duces aduerſarios haberet, ad declarandum ſibi bellum auctores fuerunt, numquã conſulturos vt pacata nunc & in fidem acta Francia pacem ſecum feriat. Carolum V. Imperatorem, patrem ſuũ, ſatis perſpecta habuiſſe Francorum ingenia, quæ eſſe dixit ita comparata, vt quieſcere numquam poſſint, & niſi inteſtinis bellis diſtineantur, quærere externa. Quare Archiducem monet, conſiderate agat, & bolidẽ ſemper in manu teneat ad vndiq; pacem ſcrutandũ, ne quid faciat inhoneſte aut patiatur iniuſte, vt pace frui liceat.

Rex Hiſpaniæ dubius de certitudine pacis.

Bellum Hiſpano à Frãcis indictũ an. 1595 initio Ianuarii.

Nihil eſt aut faciendum inhoneſte, aut patiendũ turpiter, vt pace nobis frui quocumq; modo liceat. POLYB. lib. 4.

Ingenia Frãcorum.

Archi-

1598.

Bellicoso populo quies diuturnior nocet. SALLVST.

Pax diuturna populo bellicoso noxia.

Archidux, qui iam compertum habebat, Regem serio & ex proprio motu ad pacem inclinare, consentiente vno atq; altero fidiori Consiliario, qui videbant bellum diuturnum æque noxiosum Franciæ fore, quam otium diuturnius populo bellicoso, cœptũ pacis negotium persequi instituit, Sancerranumq; ad Regem remandauit, qui tum Rothomagi erat, vt cum eo expressius loqueretur, sciscitareturq; de vrbe in limitibus posita, vbi vtriusq; partis Legati commode conuenirent. Hoc † tractabatur non per literas, sed per viuas instructiones hinc inde missiculatas per vnum hominem, itaque secretim, vt neq; à Rege quisquam præter Villaregium, Oraculum Reip. secretorum, neq; ab Archiduce preter Comitem Soranum, Magnum Scutiferum, in partem consilii adhiberetur. Et Archidux nolebat vt Hispanus quidquã resciret, quam id quod ei esset pro tempore reuelaturus. Id propter redemptionẽ Marchionis Varembonii diutius distulit, ne aut liberatus aliquid resciscat, aut † cõsilio male affecto conatus suos interturbet, quemadmodum solet vt pro re nihil & leuissima satisfactione persecutores noxæ consilia sua ad eum finem destinent, qui illis videtur acceptior aut vtilior.

Ordinum Conuentus Rothomagi anno 1597.

X.

Secreta pacis negotiatio.

Villaregius Consiliarius Regis & Secretarius ei⁹ mandatorũ primus & solus in cõsilium pacis adhibetur.

† *Chi dà il cõsiglio, se non è multo fidele, ò affectionato à chi lo demanda, per ogni piccolo suo cõmodo, per ogni leggier satisfatione drizza spezzo il consiglio, à quel fine che piu gli torna à proposito, ò di che piu si compiaci.* GVICH. lib. 71.

Si res fuisset tractata apertius aut publice, haut dubio tantum effectum sortiri non potuisset. Non enim deerant vtrique Principi homines discordiosi & pacis hostes. In Hispanis erant qui dicerent, religionem & conscientiam non permittere vt arma ponantur, nisi tota prius Francia in vnitatem religionis redacta; * populumque bellicosum, cuiusmodi Hispanus sit, non posse sine ingenti probro & dedecore ab eo pacem petere, qui bellum denuntiarit. Econtra in Francis erant qui clamarent, cum Hispano nullam pacem esse transigendam, priusquam de Mediolano, Neapoli, Flandria & Nauarra satisfecisset.

Diuersæ opiniones de pace.

* *Vn Prince conquerãt, ou un peuple guerrier, ne peut demãder la paix à son ennemi sans rougir de hõte.* BODIN. l. 5. de Rep. c 5.

XI.

Quisque † in eo, quod nec scit ñeque intellegit, tingitur & tumultuatur. Opiniones vtriusque partis prauæ erant, nec respondentes scopo & intentioni hominum prudentum. Ratio iubet, vt scalper adhibeatur, & falsum metallum à puro internoscatur. Veniat Hispanis in mentem, opera se Francorum factos esse Christianos, absque queis fuisset, iam se sub Maurorum iugo & seruitute multo fœdiori, quam ipsi Mauros nunc teneant, gemituros: * Regem Hispaniæ non esse maiorem Carolo V. Imperatore, nec potentiorem Alexandro Magno. Quorum ille post ingentia bella, quibus omnia diuina & humana iura violauerat, quo diuersæ Religionis homines in viam salutis redigeret, coactus fuit eos in semita sua relinquere: iste ex Philosophis Indis accepit, citius

* Vide quæ dicam infra lib. 2. narrat. 1.

Religio Christiana à Francis in Hispaniam plantata.

1598.

Corpora de loco in locum transferes, animos non coges quæ nolint facere: aut citius lapides aut ligna, vocem emittere. Non est Rex aut Imperator, qui adigat nos facere ea, quæ non decreuimus. PHILOST.

Religio non potest cogi.

lapides aut ligna vocem emittere, quam animos cogat quæ nolint facere, nec esse Regem aut Principem, qui adigere possit inuitos ad ea facienda, quæ non decreuerint. Bellum iustum & sanctum est, quod pro religione suscipitur: sed contra Turcos, Mauros & Paganos. Iniustitia & impietas est, alienum Regnum vicinum vi armata inuadere sub prætextu religionis, & cogere populos qui sub eius lege & imperio nati non sunt, salutem eorum quærere inter fulmina & fulgura tormentorum. Quod genus ζῆλοι ambitionis potius quam conscientiæ vlcera sunt. Itaque, quum Hispani nullum aliud quam religionis subiectum possint prætexere, patet eos nullam iustam belli causam aduersum Francos habere: Quod ad scrupulum de rogatione pacis, facile eum sibi patientur eximi, vbi cogitauerint, se non esse potentiores Romanis, qui eam à Gallis Francorum maioribus postulare non erubuerunt: contra à Pyrrho neque petere neque accipere voluerunt, quamuis vniuersæ Italiæ triumphatore, sed Legatos eius in hæc verba remiserunt; Pyrrhus Italiâ cum exercitu excedat: vbi excesserit, de pace, si volet, agat. Ferocia non hominum cum hominibus concertantium, sed Fortunam & cœlum insuper habentium.

Vlcera ambitionis.

Pyrrhus Italia cum copiis excedito: vbi excesserit, de pace, si volet, agito. Ni excesserit, arma & vires & aciem exspectato. DIONYS. lib. 8.

Ferocia Romanorum in Pyrrhum.

Habent quidem Franci, quod de Hispanis querantur, sed bellis ciuilibus attriti, plurimo suorum sanguine fuso, & ingenti ardore illo remisso, licet animus satis promptus sit, necdum tamen eo in statu res sunt, vt experiundi iuris gratia Alpeis aut Pyrenæos transire, & Regni huius causam in certamen ponere debeant. Semper cauendum est Reip. ne, dum acceptam iniuriam vindicare studet, in maiorem se calamitatem præcipitet, aut incidat in errorum inextricabileis labyrinthos. Quamquam enim pugnatorũ huius temporis idem animus eademque virtus sit, quæ illorum fuit, qui veteres illas copias vltra montes ruperunt, oppugnarunt & vicerunt, non tamen iidem hostes sunt, qui tum fuere. Hispani † nullis dum erant bellis exercitati, quam Germanorum mensipotentium & poculis audacium, Belgarum dissolutorũ luxu & delitiis perditorum, Maurorum & Indorum, hominum pertimidorum, & qui prius manus tendunt ac se dedunt quam cæsi fuerint: sed cum Francis & contra eos sese demum exercuerunt. Antehac non audebant nobis nisi è longinquo digitis minari, nunc fines Regni nostri ingressos videmus longe lateq; dominari. Maiori nos odio quã metu prosequuntur, cogunt que nos suos animos sumere, nec contemnere disciplinam. Minus anno vertente tantam telam nobis pertexuerunt, quãtam in plurimis vix retexemus. Propria hæc ipsorum laus est, posse

Turpe est, si quæ Resp. vt acceptam iniuriam vindicet, ipsa in maiorem, quã alijs paret, calamitatem incidat aut se det præcipitẽ. THVCYD. lib. 4.

XII. Hispani rebus bellicis exerciti.

Bene disciplinati.

* ani-

1598.

* animo constantius tolerare moram & tædia negotiorum, & corpore patientius ferre incommoditates ac labores: nec semper more Francorum dormire. Verissime de illis dici posset, quod olim de Romanis dictum legimus, & quod de nobis quoque, si concordes essemus, merito diceretur. † Raptores & inuolatores orbis, quibus cuncta vastantibus postquam defuere terræ, maria scrutantur: quos non Oriens nec Occidens satiauerit. Magnæ quidam in hoc Regno auctoritatis vir, contendens inter se Regis & Alexandri Magni gesta, dixit hunc gentes vicisse maximam partem imbelles & belli inexpertos; Regi rem fuisse cum populo, cuius terror totum terrarum orbem inuaserit: populo, inquam, qui semper existimatus fuit * bellum quam pacem malle, &, si peregrinus desiat, hostem apud se quærere: qui ab annis centum disciplinam militarem exacte stabiliuerit, & in arte redactam præceptis conformauerit, & de qua, si verum fateri volumus, dicendum est, quod olim de Romanis, disciplinam esse obedientium cum virtute bellica coniunctam. Ita consilia belli tam damnosa erant vtriq; Regi, quam pacis vtilia illis pariter & subiectis.

Gli Francesi & gli Suizeri non sono habili quanto Spagnuoli à tollerare con l'animo il tedio della longhezza delle cose, ne col corpo l'incommodita & le fastighe. GVICHAr. lib. 6.

†Raptores orbis, postquam cuncta vastãtibus defecere terræ, & mare scrutantur. Quos non Oriens non Occidens satianeuerit. TACIT. in Agric. vide PETRON. in Satyr.

** Hispani bellum quam otium malũt: si extraneus deest, domi hostem quærũt.* IVSTIN. lib 44.

Comparantur Romanis.

Gueslius Procurator generalis Regius *en la Remonstrance à sa Maiesté* fol. 35.

XIII.

Qui † prudentia sua hoc opus promouebant, homines erant in quietem publicam intenti, & remediorum huius discordiæ intelligentes. Primus fuit Præses Richardotus, quocum Archidux verba de ea re commutauit. Rex Belleurium, primarium Regni Consiliarium, (qui bona fide de se dicere posset, quod olim Cato, quod semper publica negotia priuatis suis commodis anteposuerit, neque locutum esse pœnituerit) in consilium adsciuit. Cui Sancerranus ordinem & statum totius negotii explicuit. Qui postea Bruxellas ad Archiducem reuersus, ei sententiam ac voluntatem Regis quum ei enarrasset, mandatum ab eo accepit in Franciam ducendi Generalem Franciscanorum, qui modo ex Hispania aduenerat.

Belleurius.

Cato dicebat, inimicos sibi inuidere, quod priuatorum commodorum oblitus publicis vacauerit. PLVTAR.

Generalis Franciscanorum in Franciam venit.

Ab eo tempore quod ante inter paucos agebatur, communicari cum pluribus cœpit, sed semper sub religioso interdicto secreti. Generalis Franciscanorum Regi exposuit mandatum Papæ, quo iussus fuerat in Hispaniam transfretare, vt Regem Catholicum ad pacem, sub qua vires & animi Christianorum recollecti contra cõmunem hostem conuenirent, qui commodum quærens ex infelicissima ista discordia disturbauit magnam illam molitionem, quam * Papa, Imperator, † Transsyluanus, & Principes Germaniæ in ipsum parauerant; Imperatorem coegit obsidionem Araboniæ sol-

uere;

* Papa initio anni 1597. misit in Hũgariam decẽ hominum millia, quib. Ioan. Franciscum Aldobrandinũ præfecerat. Dux Mãtuanus erat Generalis Capitaneus totius exercitus. † Imperator Transsyluano sex hominum millia commiserat, & Ordines Imperii argentum contribuerant.

1598. uere; totam, munitissimum in Danubio propugnaculum, vi expugnando cepit; Transsyluanum turpiter à Temesuari impressione repulit; minatusque est totas Imperii sui vires, quantas colligere cumque possit, in vniuersam Germaniam effundere, si à Franciæ & Hispaniæ Regibus non impediatur: Regem Hispaniæ, qui publicū istud malum satis præuidet ac deplorat, sibi respondisse, desiderare se pacem, nec vmquam in se situm fore quo minus ea tantum firmitatis ac roboris obtineat, quantum ad ea reciperanda, quæ Christianorum Principum discordia perdidit, requiritur, nec velle tantummodo præsentem vtriusque † Regni reconciliationem, sed & vt caueatur ne vlla relinquatur in posterum renouandi belli materia: cuius rei omnem potestatem se Archiduci nepoti suo, Principi pacis perstudioso, commisisse. XIV.

Non tam cogitandum de facienda in præsens amicitia, quam opera danda ne relinquatur in posterum vlla renouādi belli materia. DION. HALIC. lib. 3. in Horat. Fufetii.

Tum Rex respondit, desiderare se pacem, neque ei vllam aliam conditionem præscribere, quam vt cum honore & iustitia perficiat id, quod animus intendit ac proposuit, quodque se tam pro certo tenere, vt nulla res esse videatur, quæ illud intricare possit. Generalis Franciscanorum illi de Rege Hispaniæ tantum pollicitus est, quantum ab æquo & iusto Principe sperari debeat. Ratio, quæ semper in animis generosis locum aliquem nanciscitur, & necessitas, cuius iritatæ morsus esse solent grauissimi, tantum valuere, vt arma ex manibus vtriusque Regis extorserint, quo tandem aliquando subditi ex miseriis & oppressionibus puplicis eriperentur.

Vterq; Rex ad tractandā pacem solutus & explicatus.

Grauissimi morsus iritatæ necessitatis. PORT. LATRO apud Sallust.

Consilium illud sollemne, quod prudentes præscripserunt Principibus iam ætatis valde prouectæ, & ob grandæuitatem quasi mortis in limine constitutis, & qui successores relicturi sunt iuuenes, non tam peritos in pace & fœderibus cum vicinis pangendis, quam armis & impressionibus tractandis, vehementer pupugit & penitrauit animum Regis Hispaniarum, quippe qui sciret, non esse murum aut munimentum vllum, quod cum efficacitate & securitudine huius admonitionis ad bonum Regni & successionem firmandum æquiperari debeat.

Consilium pro Principibus vietis & qui liberos habent adhuc iuuenes.

En la postrimera edad del Principe y con heredere menor se tiene per, vltima prudēcia cerrar las puertas a las guerras y empresas: trattar de ligas y paxes, que in tal edad y estado es la muralla mas fuerte, que se puede dexar à los successores. Relationes de ANT. PEREZ.

Spes pacis vixdum gliscere cœperat, quum ad Regem de Ambiani interceptione allatum est. Quod veluti gelu quoddam fuit ad omnem pacis sementem perdendam, aut ventus quidam ad florem huius tenellæ adhuc plantæ tollendos. Generalis Franciscanorum in Franciam redit, vt fidem Regi faciat de negotio pacis per Ambiani occupationem non turbando, modo ipse non nolit. Respondit Rex, * indignāter se ferre eius supplicationem, non velle neque

Generositas Regis.

* More Romanorum admirabili, qui armorum vi ad nulla pacta se adigi ab hostib. patiebantur. DIONYS. lib. 8.

posse

posse ei auscultare, nec facturum vt quidquam à se per armorum vim impetretur. Res iam non amplius esse in conuentionis pacto. Nolo, inquit, vt pax à me aut ferociter petatur, aut violente auferatur. De qua respondebimus, vbi Ambianum, Caletum & Atrebatum receperimus. Cum † his dictis Generalem Franciscanorũ remisit. Quo generosissimi animi heroico respõso & inuasores territi, & oppugnatis animus additus, Hispanique edocti, magnitudinem Francorum eodem modo, vt olim populi Romani, aduersis rebus admirabiliorem esse quam secundis. 1598.

† Generalis Frãciscanorum desperata pace recedit.

Magnitudo populi Romani aduersis prope reb. admirabilior quam secundis. LIVIVS

Summarium secundæ Narrationis.

1 *Grauissima & magni momenti res est, tractatio Pacis.*
2 *De primis difficultatibus conuentum in oppido Sancti-Quintini.*
3 *Veruinium Deputatis assignatum pro loco conuentionis.*
4 *Quinam fuerint Deputati anno 1559.*
5 *Deputati vtriusq; Regis in pacificatione Veruiniana.*
6 *Quibus ceremoniis se inuicem Deputati exceperint.*
7 *Disputatio de primore loco & sessione.*
8 *Primus locus Regi Francorum adiudicatus supra omneis Reges Christianos.*
9 *Optio sessionis Deputatis Regis delata.*
10 *Nimia concertatio pro primo se, dendi & dicendi loco in conuentibus improbata.*
11 *Exhortatio Legati ad Deputatos.*
12 *Tractatio secretim facta, vt omnia Reip. arcana sunt impenetrabilia.*
13 *Difficultates de restitutione locorum in bello captorum explicatæ à Consilio Conscientiarum (quod vocatur) Regis Hispaniæ.*
14 *Superior conditio & causa Regis per occasionis fortunam.*
15 *Archidux vrguet Deputatos Regis Hispaniæ, vt se resoluant.*
16 *Dux Sabaudiæ petit in pacificatione compræhendi.*
17 *In Papæ arbitrium restitutio Marchionatus Salutiani compromissa.*
18 *Pacificationis Articuli triginta septem.*

NARRATIO SECVNDA.

AMBIANVM vt vulpino more fuit per insidias surreptum, ita virtute leonina fuit per tormenta receptum: perditio eius calamitosa, sed recuperatio gloriosa. Non sciuisset Francia quid posset, nisi specimen per hanc occasionem dedisset. Data * iniuria magnitudini & gloriæ fortunatæ locum dedit. Rex, qui, si quis vm-

Ambianum receptum 27. Septemb. an. 1597.

* *Sæpe maiori fortunæ locũ fecit iniuria.* SEN. Epist. 91.

1598. quam antecessorum eius, vere se nominare potest & Capitaneum Regum, & Regem Capitaneorum, vniuerso orbi in hac reciperatione manifestum fecit, se quod fieri non posse videbatur magnitudine animi superasse, & eos, qui Ambianum seruare non potuerunt, nil impedituros quo minus Ardresium quoque & Caletum recipiat. Tormenta contra Arelatum explosa totum Belgium perterrefecerunt. Archidux coactus retrocedere, & obsidionem Ambiani soluere, multum existimationem suam diminuit. Quæ causa fuit, quamobrem Rex Hispaniæ ex prosperis Regis successibus autumauerit, totum pacis negotium euersum iri.

Obsidio Atrebatensis anno 1598. mense Octobr. in qua Rex viginti quinq; maiorum tormentorum pilas.

Propositio pacis continuata.

Quum Papa animaduerteret, felices Regis victorias eo tamdem tensuras, vt totum corpus Reip. frangerent, denuo vtrumque Regem per miserationem calamitatum publicarum & miserabilem statum rerum Christianarum obtestatus est, vt ad concordiam redire, & cœptum pacis negotium persequi vellent. Idcirco Legato mandauit, vt colloquium inter eos tentaret, vnde certior fieri posset, cuius culpa bellum renouatum, & commune pacis commodum interruptum sit, quisue eorum tam pertinax belli, & neglegens salutis publicæ. Legatus Sanctiquintinum contendit, vbi ad eum Generalis Franciscanorum venit, orauitque vt Regem permoueret ad virum dignitate ac fide conspicuum eo mittendum, quocum de pacificationis modo ageretur. Rex misit Præsidem Sillerium, sed cum expresso mandato, ne in vllam pacis conuentionem consentiret, priusquam loca intercepta ab Rege Hispaniæ restituerentur, certusque foret de eo quod petiturus esset obtinendo.

a Magna negotia à magnis volunt auctoribus geri. *b* Mercurius non ex omni ligno fit, nec quilibet capax magnarum rerum gerendarum exsistit. *c* Ingenia † Adamantum habent naturam, qui licet paruissimi eandem virtutem, eandem pulchritudinem, eandem claritatem præstant, quam magni, nisi tamen quod pretium pondere metitur: eodem pacto licet omnes animi in parem formã plasmati eandem pulchritudinem essentiæ suæ retineant, magis tamen præstant prudentia & experientia excellentes, minusque communes & vulgarii habentur, sicuti faces videmus alias aliis magis lucere & coruscare. Ab annis quinquaginta & amplius non vidit Francia negotium tractatu difficilius, quam hoc de pace primordium, nec ad quod tractandum homines prudentiores magisque idonei fuerint necessarii. Labyrinthus quasi quidam fuit, ad cuius diuerticula & illaqueabundos errores explicandos nouis Theseis opus erat. Numquam † prudentiæ nimium videri debet in rebus, vbi

a *Magna negotia magnis egent adiutoribus.* VELLE. lib. 3.
b Apuleius Apolog. 1. pro Magia.
c *La estimacion de los personages grandes es como la de los diamãtes: que aunque un diamante pegneño sea tal en la lindeza como un grãde, los grãdes van de blãdo, y redoblando el volor y precio, como van subiendo de quilate en quilates de pesso.* ANT. PEREZ. II.

I. Magna ingenia Adamãtibus comparata.

Differitas ingeniorum.

1598.

Prima Pacis tractatio Sanctiquintini agitata.

vbi ſatis eſſe nequit; neque tum ad negotium peragendum aptiores haberi potent tribus iſtis, Legato Papæ, Præſide Sillerio, & Generali Franciſcanorum, qui primas easque moleſtiſſimas conditiones Sanctiquintini expediuerunt. Quum, vt vulgo dici ſolet, omne trinum ſit perfectum, non poterat niſi perfectum quid à perfecto trium numero ſperari; nec niſi præclarus ſucceſſus ab illis exſpectari, qui nihil aliud ſibi propoſitum habebant, quam Dei gloriam, quietem Chriſtianorum & commune bonum herorum ſuorum.

Numerus ternarius ad quaſcumque controuerſias dirimendas maxime idoneus, vt qui principium, medium & finem in ſe contineat. DION. HALIC. lib.3.

Difficultas in reſtitutione locorum occupatorum.

Ex difficultatibus, quæ in colloquio occurrebant, locorum occupatorum reſtitutio erat omnium ſcabroſiſſima. Generalis Frãciſcanorum dicebat, Regem Hiſpaniæ nolle ſibi pacem tam caro conſtare. Contra ea Sillerius oſtendebat, Regem Hiſpaniæ nihil de ſuo largiturum, nec ceſſurum niſi ea quæ ſeruare non poſſet, quum Rex Ambiani receptione ſatis ei monſtrauerit, quid de cæteris locis facturus ſit: ad pacem firmam & durabilem conficiendam neceſſarium eſſe vt iuſte fiat, quod iniuſtæ & iniquæ conditiones conſtantes eſſe numquam poſſint; nihil iuſtius eſſe reſtitutione locorum, nihil honorabilius quam cedere id placide, quod nulla vi ſeruari poſſet: Regem ſibi ſeueriter iniunxiſſe, ne in vllum tractationis modum, aut loci electionem, vbi conueniretur, conſentiret, quam prius de tota reſtitutione certus eſſet: vereri ſe ne dignitatem tanti Principis, ſanctitatem mandatorum, iuſtitiam cauſæ, & felicitatem fortunæ eius offenderet, ſi vel cognoſcere vellet difficultates ſuper locorum eius reſtitutione: mereri geſtores rei tam præiudiciabilis pœnam, quæ in auctores infamium pacificationum ſtatuta eſt. Generalis Franciſcanorum videns, nihil ſe impetrare poſſe, in Flandriam iterato concedit, oſtenditque Archiduci, ex pacis conditionibus ſolam eſſe locorum reſtitutionem inſuperabilem, & fruſtra pacem à Francis peti, niſi prius omnia reddantur: reſtitutionem eſſe quaſi animam negotii, ſine qua corpus eius futurum ſit imaginatiuum, omnique naturali proportione & ſubſiſtentia caſſum: perſæpe fieri vt cum cane illo Æſopico qui totum appetit, nihil obtineat, & qui omnia retinere cupit, omnia perdat.

Pax iuſta durabilis.

Si bonam dederitis, & fidã & perpetuã: ſi malam, haut diuturnam. PRIVERNAS ex Liuio lib.8.

Romani Veturium & Poſtumium Coſſ. turpis pacis auctores Samnitibus dederũt. LIVI. lib. 9.

Pacis turpis auctores puniti.

Secundum iter Generalis Franciſcanorum in Franciam.

Qui totum cupit, totum perdit.

Archidux ad Regem Hiſpaniæ continuo ſcribit, templum Pacis adiri non poſſe, niſi Regi Franciæ Ardreſii, Caleti, Durlantii & aliorum locorum bello captorum portæ aperiantur. Quæ † reſtitutio erat quaſi quædam rupta in inſtrumento Pacis chorda, vbi neque concordia nec harmonia perfecta eſſe poterat, niſi cicada cœlitus veniſſet, quæ defectum suppleret. Deus * pacis, cui nihil

† Eunomo & Ariſtone cytharoedis, artis ſuæ publicum documentum pro victoria præbẽtibus, Eunomo vna ex chordis inſtrumẽti rupta, ſubito cicada apparuit, quæ concentum integraret. STRABO.

* Deus Principum corda regit.

1598.

gratius est perfecta Regum concordia, quos populi sui Principes constituit, vt pacifice regnarent, inspirauit Regi Hispaniæ præter opiniones Consiliariorum Reipublicæ, vt maluerit omneis cogitationes ad bonum pacis intendere, quam pati vt orbis terrarum diutius in tanta discordia affligeretur. Itaque ad Consilium Conscientiæ de necessitate restitutionis retulit. A quo responsum est, non posse eum aut in animæ tranquillitate viuere, aut mori in religionis integritate, nisi loca inuasa redderet: & quamuis bellum iustus acquirendi modus sit, hoc tamen pessime & ruinose fundatum & captum à Rege Catholico contra Regem Christianissimum, numquam titulum iustum habiturum: reddenda ea siue statim seu tardo, nec Deum permittere, vt eiusmodi violentæ occupationes successoribus diurnent, ipsos quoque Gentiles notasse, etiam optime constitutas & tolerabilissimas numquam fuisse diuturnas, nec ferme centum annos superasse, propterea quod per vim & tyrannidem inuasæ fuerint: pro acquirenda Christianitati pace tam necessaria omneis restitutionis difficultates ab eo esse transeundum, ostendendumque, rem magnanimitatis & prudentiæ esse, quid amiseris obliuisci, & cogitare quid reciperaueris.

Consilium Reip. dissentit à Consilio Conscientiæ.

Τῷ πολέμῳ νόμος κτήσεως δικαιότατος: *Bello lex acquirendi iustissima.* DION. HALIC. in Excerpt. Legat.

Tyrannides non diurnant.

Aristoteles hoc dicit, & refert exempla Hieronis, Gelonis, & aliorum compluriū.

Est sapientia magnitudinisq; animi, quid amiseris obliuisci, quid recuperaueris cogitare. Cic. lib. 6. Epifam. 12.

*Rex Hispaniæ omnia omnibus restituere paratus.

*Rex Hispaniæ consilium secutus mandauit Archiduci, nolle se vt pro retinendis alienis occasionem pacis constituendæ firmandæque amitteret. Quo accepto mandato, Generalis Franciscanorum in Franciam redit, Legatoque & Sillerio restitutionis decretum significat; vnde factum vt post duorum mensium infatigabilem laborem in extricandis mille inuolucris, quibus negotium illaqueabatur, consumptum, hi tres simul rem in eum locum perduxerint, vt manifesto apparuerit, æternam Dei prouidentiam, sine qua etiam sapientissima consilia stultissimos exitus sortiuntur, consilia eorum melius gubernauerit, quam ipsimet sperare potuerint.

Absque diuino numine σοφὰ βουλεύματα εἰς ἄσοφον τελευτῶσι πέρας: *sana consilia in finem insanum desinūt.* NICEPHO GREG. li. 6.

Sine Deo nullus bonus successus.

Sillerius Regem adit, secumque pariter Generalē adducit, tum vt verba sua relueret, faceretque vt is ex ipso Regis ore cognosceret, se præter Regis mandatum nihil fecisse, tum etiam vt is Regi coram, quod ab Archiduce habere aiebat, mandatum de restitutione exponeret. Legatus interim Sanctiquintini manserat tamquam vtriusque Principis verborum † & intentionum depositarius, cuiusmodi depositum non minori fide & cura custodiendum est, quam auri & argenti.

† *Diligentius tuenda deposita verborum quā pecuniarum.* ISOCRAT. ad Demonic.

Fides depositi.

*Ita fide, quæ est fundus & fundamentum negotiorum, & ex qua, veluti centro, progrediuntur omnes pacificationum lineæ,

La bona fede e fondamento principale delle confederationi. GVICH. l. 1.

1598.

Veruinium delectũm ad colloquium pacificationis.

Induciæ nouẽnales Veruinianæ inter Ludouicũ XI. & Ducem Burgũdię an. 1474. pactæ, quarũ tractationi Rex ipse pręsens interesse voluit, vt Deputatos meliꝰ informaret. PHILIP. COMMIN. lib. 4. c. 11.

vtrimque data & confirmata, de loco Deputatis assignando conuenitur. Veruinium, † ciuitas Regi subiecta, & in confinio Artesiæ sita, habitum fuit omnium commodissimum: & in continenti iussum, vt ea prouiderentur, quæ ad accipiendos Legatos necessaria videbantur. Rex Ludouicus XI. olim eodem in loco nouennalem pacem cum Duce Burgundiæ tractauerat, & quidem vt ipse præsens coram in consessu verba fecerit, quum animaduertisset Deputatos non satis bene intentionem suam percepisse.

Multitudo inutilis est ad magna negotia tractanda.

Reges delegere homines, quorum perspectam experientiam, dexteritatem cognitam & fidem exploratam habebant. In eiusce modi negotiis multitudo non modo inutilis, sed insuper noxiosa est. Nam heic non numerantur sententiæ, sed pensantur; nec quæritur de numero eorum qui consultant, sed qualitate. Semper heic periculosum est iuuenes allegare, qui, vt *a* noui architectones, plerumque senum vestigia dedignantur sequi, & cupiunt cuncta reddere tam noua, quam ipsorum ingenia sunt, tam leuia, quam ipsi vento & fumo pleni. Potest quis nasci rerum gerendarum capax, at *b* experientia, memoriæ filia, affert demum ipsum captum. Semper bonum est visum, negotiis applicare homines peritos; & honorificum, illorum opera vti, qui propter virtutes suas ad amplissimas dignitates euecti sunt, & qui, vt Romæ olim dici solitum erat, purpuram in dorso, aut annulum in digitis portant.

Duo hominum genera Romæ ad publica negotia admoti, Senatores & Equites.

a Les ingenieros nueuos por variar la traca de los passados, gastan las opras commẽcadas. ANT. PEREZ.

b Γίνεται ἐκ τῆς μνήμης ἐμπειρία τοῖς ἀνθρώποις: *Fit ex memoria experiẽtia hominib.* ARIST. Metaph. li. 1.

IIII. Deputati Regis Henrici II.

Ad Pacificationem † Cameracensem vterq; * Rex viros non modo dignitate & auctoritate præstantes, sed prudentia quoque & experientia rerum publicarum insignes deputauerant. Nam à Rege Henrico II. missi erant * Cardinalis quidam ex familia suprema ortus, summusque Prælatus; Comes Stabuli, quidam Marescalcus Franciæ, maximus quidam Reip. & arcanorum Regiorum Consiliarius, denique primarius quidam Regni Secretarius. A Rege Philippo † duo summi exercituum duces, & primarii in Consilio Regni & Ordine Aurei Velleris; [Hoc est intellegẽdum de Gomezio, cuius toties mẽtionem facit Ant. Perezius in suis Epistolis & alibi:] ille, quem Carolus V. prudentissimus ingeniorum explorator in filii sui comitatu esse voluit; Episcopus quidam postea Cardinalis factus; & quidam denique Senatus Præses. In hac vero † Pacificatione quatuor tantundem efficiunt, quantum decem illi. Negotium tractatur minori quidem numero & rumore, sed maiori cum

* Qui fuerint Deputati in Pacificatione an. 1559.

* *Carolus Cardinalis Lotharingus, Anna Montmorancius Comes Stabuli, Iacobus Albonus Marescalcus Franciæ, Ioannes Morvillerius Episcopus Aurelianẽsis, Claudius Albaspinaus Secretarius Regius*

Deputati Philippi II. Regis Hispaniæ.

V. Deputati Regis in Pacificatione Veruiniana anno 1598.

† *Ferdinandus Aluarez Toletanus Alba Dux, Guilhelmus Nassouius Aurania Princeps; Ruinus Gomezius Seluanus; Antonius Perrenotus Episcopus Atrebatensis; Viglius Zuichemus Præses Consilij priuati.*

1598. fructu. Quid gesserunt, rem omnium Europæ rerum maximam ac difficillimam ad perfectionis punctum perduxisse laudantur. A Rege deputati erant Pomponius Beleurius, Eques, Grignonii Dominus, primus & peruetus Cõsiliarius Regius: Nicolaus Brulardus, Eques, Sillerii Dominus, itidem Regiæ Maiestatis Consiliarius, & Curiæ Parlamenti Præses. A Rege Hispaniæ & Archiduce, Richardotus, Eques, Caput & Præses Consilii priuati Regis Hispaniæ, & Senator Regni; Ioannes Baptista Taxis, Eques, Commendator Sanctorum, Ordinis militaris S. Iacobi, Senator Regni & Consiliarius Bellicus; Ludouicus Verreichenus pariter Eques, Audientiarius & primus Secretarius, & Thesaurarius Archiui Regii. Cardinalis Medicæus, Apostolicæ Sedis Legatus, Episcopo Mantuano Comitatus, erat quasi sequester & difficultatum reconciliationis istius tam gloriosæ compositor.

Deputati Regis Hispaniæ.

Gõzaga Generalis Frãciscanorum, & postea Episcopus Mantuanus, in Franciam cum Cardinali Medicæo venit.

VI. Ritus in cõgressu Regũ siue Regiorum Legatorum.

Deputati Regis † priores Veruinium venerant, quum eos cõtinenter Hispani insequuntur. *a* Mos huiusmodi conuentuum est, vt potentissimus quisque in loco designato primus compareat, quo honoris causa à subsequentibus adiri & salutari possit, vel vt primus, si locus situs est in sua ditione, humanitatis ergo cæteros aduenientes excipere & salutare queat. Deputati Regis, qui priores aduenerant, & in vrbe Regni sui versarentur, instituere officio, & Hispanos salutatum adiuerunt. Dici non potest, quanto se gaudio & lætitia inuicem exceperint, qui se congregatos videbant pro negotio expediendo, in quod vniuersa Europa oculos intentos habebat. Tum alter alteri fidem de negotio aperte, sincere & placide tractando dedere, operamq; daturos vt veritas vndique reluceat, *b* fides excellat, quæ nulla necessitate aut pretio ad fallendum cogi potest. Dein ostensis liberis mandatis, quæ sibi de summa rerum ad præsentem disceptationem Reges constituissent, nonnulla in iis emendarunt, quibus tractationis securitas & libertas impediri videbatur, ne in formularum vanitate occupati, integritatem rerum infirmarent.

a In cõgressu Papę Clemētis & Regis Francisci Massiliensi, Rex triduo demũ postquam Papa, vrbē ingressus est. Item in Papæ & Imperatoris Boloniano, Carolus V. passus est vt Papa prior ante ingrederetur.

Fides fraudē detestatur.

b Fides nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur pretio. SEN. Epist. 89.

VII. Disputatio de sessionis prærogatiua

Verum † tamen de sessionis prærogatiua paullo acrius disputatum fuit, quia nihil detrahi aut concedi poterat sine rei totius iactura. Statua hæc † Phidiæ fuit, quæ vel paullulum mota cadit & rumpitur. *c* Ex duobus contrariis alterum amittendum est, alterum eligendum. Aut primus, aut secundus; nihil datur tertii. Reges Franciæ, vt primi & antiquissimi Christianitatis Reges, ceteros omneis præcedunt. quorum Legati primum locum tenent in conuentibus publicis. Archiepiscopus Turonensis & Episcopus Troianus Legati

VIII. Primus loc⁹ adiudicatus Regi Frãciæ super omnes totiũs Christianitatis Reges. ÆN. SILVIVS in Comment.

c. τῶν ἐναντίων ἑκάτερον τὸ μὲν φευκτέον, τὸ δὲ αἱρετέον: *Contrariorum alterum quidem fugiendum, alterum autem eligendum.* IAMBL. in Protrept. cap. 8.

in Con-

1598.

in Concilio Basiliensi præcesserunt Episcopum Osentianum Regis Castiliæ Legatũ. Ludouicus Solerius Legatus Regis Ludouici XII. præcessit in Concilio Lateranensi Hieronymum Viccium Ferdinandi Arragonum Regis Legatum. * Angli tametsi coniunctissimas fœderationes cum Hispanis habuerint propter diuturna eorum cum Francis bella, tamen nec amicitia nec odium, tantum apud eos valuere, vt vniuersalem istum Europæ consensum de Regis Franciæ prærogatiua debuerint oppugnare, quin primum locum Regi à dextra Principis Equitum reliquerint in congregatione generali Ordinis Periscelidatorum. Reges nostri semper habuerunt fidos ministros, qui diuersis in legationibus acriter & fideliter dignitatem Regis defenderunt, neque loco se moueri passi sunt, quocumque metu ab illis intentato, qui nihil aliud contra eos potuere quod inuidiosam hoc officio magnitudinem sui Principis reddiderint.

*In Conuẽtu generali Equitũ Periscelidatorum decretũ fuit, vt Regi Franciæ locus in dextera Principis Ordinis, vt honestior, relinqueretur; & Rex Hispaniæ, quãuis Mariæ eorũ Reginę coniũx, in sinistra assideret. Onuphrius in Vita Pii IV.

Capitulum Ordinis Periscelidatorum Equitũ in Anglia an. 1555. in vigilia S. Georgii. Sessionis prærogatiua acriter propugnata.

† Ferrerius & Pibracius ex Concilio Tridentino discesserunt Venetias, propter primæ sedis eminentiam Regi & Hispano æqualiter delatam. Legatus Regius acerrime se Venetiis opposuit Hispaniæ Regis Legato, præsentiam eius in pompa fœderis inter Papam, Regem Hispaniæ & Venetos sacramento feriendi contra Turcos arcere conanti, & impedire cum se non posse videret, missam cantari iussit, quasi fœderi renuntiaturus, simulauitque concedere id quod numquam impetrare potuisset. * Papa Pius IV. eundem honorem Legato Franciæ adiudicauit: vnde irritatus Ludouicus Requesentius Magnus Commendator Castiliæ, Roma discessit ad indignationem & bilem suam euaporandum.

† Isti Legati in Oratione, quam extremo Septembri an. 1563. publicarũt, conqueruntur de Papa, quod filium suũ primogenitum honore debito priuauerit, Regisq; nomine Prælatos Francos ex Concilio discedere iusserunt.

Verum ista prærogatiua numquam vehementius, quam in hoc Conuentu Veruiniano, agitata fuit. Ante triginta annos cum primus esset Legatus " apud Rhętos, gladiũ intentauit in Regis Hispaniæ Legatum, qui illum præoccupare in honore machinatus erat. † Si locus & tempus, (quippe processio publica erat, & totius anni solemnissima) Hispanum à malo conseruarunt, non item animus metu liberauerat. Alter, vt suo loco videbimus, ne latum quidem vnguem cedere voluit Duci Sessio in legatione Romana, ne quidem, cum Rex Hispaniæ peteret dispensationem de canonizatione Sancti cuiusdam Hispani, sicut & ante eum in pari eademque occasione Marchio * Pizani prærogatiuam aduersus Hispanum obtinuit.

" Beleurius Legatus Regis ad Rhætos & Heluetios.

* Marchio Pizani ingressus Capellam Papę præoccupauit primam sessionem cõtra Legatum Hispanum, cum de canonizatione F. Diegonis de Alcala tractaretur.

* Francisc. Vargatius primus fuit, qui prærogatiuam cõtrouerteret, ceciditque causa apud Papam. ONVPHR. in vita Pii III.

† Ante annum 1558. nullus vmquam Princeps dubitauit de prærogatiua Regis Francorum. BODIN. lib. 1. cap. 9.

* Sillerius Legatus Regis Romæ.

Tandem

1598.

IX. Optio sessionis data Deputatis Regiis. Ordo sessionis Deputatorum.

Tandem † post plusculas demonstrationes & protestationes Deputatorum Regis Hispaniæ, Optio data fuit Deputatis Regiis eligendi locum quem vellent post Legatum & Nuncium. † Sella Legati eleuata erat in scamnipodio sub cortina. Episcopus Mantuanus assedit è regione Legati versus manum dexteram. Deputati Regii duabus in sellis versus alteram partem, ita vt primus esset ex aduersum Nuncium, alter exaduersum primum Deputatum Hispanum, qui Nuncio iunctus erat in secunda sella, Taxis in tertia, Verreichenus in quarta. Generalis Franciscanorum è conspectu Legati: cui * Marchio Lullinus, cum ad Colloquium admitteretur, in eodem loco iungebatur.

† Primus locus Pontificiis, alter Regiis, tertius Hispanis.

* Marchio Lullin', Legatus Ducis Sabaudiæ, non admissus fuit in conuētum, quam vbi de restitutione Marchionatus Saluciorum tractari cœpit.

X. Nimius zelus & diligētia vituperata.

Sessionis prærogatiuam, quam hoc modo Regii Deputati impetrauerant, toto tractationis tempore obtinuerunt. † Non probatur nimius feruor & diligentia eorum, qui super præcedentibus ac præteritis laborarūt. Nam longanimitas Hispanorum ab eorum impatientia impetrauit, quod vel longissimum bellum efficere non potuisset. Hispani hoc præ ceteris nationibus in orbe terrarum habent, quod gloriantur se cuncta lente & cum pompa agere: Quando Franci more suo incedunt, isti putant & clamant eos equis cursoriis iter facere. Fatentur quidem suam sibi tarditatem nonnumquam damno ac fraudi in rebus cum publicis tum priuatis gerendis fuisse, eandem tamen vicissim successus quam felicissimos produxisse, sæpeque ἐφεδρεύεσθαι τῷ καιρῷ & occasiones ex locis ac temporibus captando vicisse præferuida & impetuosa aliarum nationum ingenia, quemadmodum Romani Celtas vicerunt sustinendo aliquandiu eorum impetus. Etiam furiosissimi marinorum piscium impetus rupium oppositione franguntur. Qui lente incedūt, haut temere offensant. Deliberandum est diu, quod faciendum est semel. Impetuositas in hoc rerum mundanarum mari naufragiis, quibus magna sæpe negotia pessum dedit, infamis est. Nunc autem Deputati Hispani cognouerunt rem sibi esse cum hominibus, qui æque atque illi tardare callebant, moræ illorum, amaritudinem digerere, recoquere opiniones, & qui in eadem quidem via persistentes non eodem semper gressu incederent. Ita vafre & astute occasiones tentare & expiscari, & tempori inseruire sciuerunt, vt sæpius exspectationi fuerint, quam alios exspectauerint, semperque informauerint, antequam informarentur. Numquam in conuentum, vbi serio aliquid concludendum aut resoluendum erat, primi aut ingressi aut locuti sunt. Alias vero res indifferēter agebāt, ne nimis rigide morem vaniorem quam vtiliorem seruare velle viderentur.

† Obseruatū est in omnibus congregationib. & conuentib. Frācos semper fuisse primos, & hoc modo existimatos fuisse pacem petere. BODIN. lib. 5. de Rep.

Temporis captatio obtinet, quod præcipitatio perdit.

Celeritas infamis naufragiis.

Celtæ æstimati esse inuincibiles à Romanis in prœlio Plōbiniano. POLYB.

Δεῖ βουλεύεσθαι βραδέως: *Oportet deliberare lente* ARIST. Ethic. lib. 6. cap. 9.

Sapiens non semper sit vno gradu, sed vna via. SENEC.

In pri-

1598.
XI.
Legatus exhortatur Deputatos.

In primo † congressu Legatus eos exhortatus est, vt in hoc negotio gerendo ea fide versari vellent, quam Principes eorum desiderarent, eaque experientiæ industria, cuius non paruam exspectationem obtineant, quippe qui summa totius Europæ negotia felicissime gesserint, & plura quoq; tractauerint, quam cuncti hodie mortales ceteri: vt considerarent, sibi eum honorem habitum, vt duos potentissimos totius orbis Principes conciliarent, qui suas voluntates submiserint eorum consilio, * tamquam eorum, quæ inter homines sunt diuinissimo, si ab ambitione & affectibus, à cogitationibus violētis, à præiudiciis opiniosis purum & sincerum sit: ne quidquam neglegerent eorum, quæ ad constantiam bonæ voluntatis spectant, neue dubitarēt, quin † Deus, qui singulariter sibi curæ & Reges & Regna habet, in eorum conscientias, ceu in librum apertum, inspiciat, eiusque oculus omnituens & vndique iustitiæ flammis splendens, lumen sui spiritus in profundum cogitationum corū immittat, eisq; seueritatem iustitiæ minitetur, nisi omnes voluntates ad nominis sui gloriam & salutem Reip. Christianæ referrent.

Belleurius & Richardotus esse hodie existimantur soli, qui & multitudine & grauitate negotiorum publice gestorum cunctos in orbe homines superarint.

* *Consilium dare eorum, quæ inter homines sunt diuinissimum.* ARISTOT. Rhet. ad Alexand.

Consilium res diuina inter homines.

† *Deus æquitatis amans in animorum recessus inquirit.* NICET. in Isaac. Angel.

Deus corda penetrat.

XII.
Secreti silētium prima rei gerundæ lex est.

* Hac oratione † dicta negotiū ipsum aggredi cœperūt ea modestia & trāquillitate, quæ & grauitati personarum & rei ipsius merito conueniebat. Secreti silentium quod firmissimum rerum gerendarum vinculum est, Angeronæ in tota hac tractatione litabatur. Nec quidquam earum rerum, quæ gererentur, sciri poterat, donec rebus omnibus absolutis pacificatio publicaretur. Effectus apparent, sed causæ atque modi, quibus producti fuere, in mysteriis impenetrabilibus latent obuoluti. Vnde & ego nihil diuinare possum, maloque ignorantiam meam ingenue confiteri, quam impudenter prodere curiositatem. Vt vere differere possis, opus est diariis eius, qui omneis tanti huius tamque grauis negotii actiones ordine fideliterque perscripsit. Interim acquiescendum est in euentorum veritate, nec cogitationes nostræ ferendæ sunt in cœlū Reip. secretorum, quæ fulguribus ac fulminibus cincta sunt aduersus eos, qui in ea penetrare volunt. Mirabilia potius diuinæ prouidentiæ contemplanda veniunt, quæ principales huius actionis cognitiones gubernauit & decidi fecit. Hæc enim * est, quæ, vt de Fato Gētiles crediderunt, non minus consilia hominum, quam torrens calculos fluuiorum, versat atque obruit, cum quod complacitum est semel efficere decreuit. Ea sententias Deputatorum ad multo feliciorem finem perduxit, quam ipsi sperare vmquam ausi fuissent, propterea quod Hispani palam & aperte totiens affirmarent, nullis rationibus sese adduci passuros vt quidquam reddant.

* *Taciturnitas optimum atq; tutissimū rerum administrandarum vinculum.* VALER. l. 6. c. 2.

Sillerius mihi dixit se Diaria huius negotiationis dietim quam diligentissima fide connotasse.

Mirabilia diuinæ prouidentiæ.

* *Hominum in rebus gerēdis sententias nihil fere minus fatum, quam calculus fluuiorum limus obruit.* PAVSAN. in Mepenicis.

1598.

Cardo, in quo † omnis difficultas vertebatur, erat locorum bello captorum restitutio. Rex Hispaniæ noluit reddere nisi Ambianum: Rex petebat & cetera. Deputati Hispani dicebant, nullo pacto futurum, vt Rex Hispaniæ pacem tam male conciliet: contra ea Franci ostendebant, aliter pacem durare non posse. Deputati Regii erant in meliori conditione positi propter vim rationis, prosperitatem successus † in Ambiani recuperatione, & super omnia fauor temporis & occasionis. Rex Hispaniæ omnino apud se constituerat in pace mori, desiderans filium in pace regnare, & filiam, quã tantopere amabat, in pace elocari. Archidux, † qui nuptiarum desiderio tantum non immoriebatur, metuens ne si promissio, quæ sibi facta erat, viuente Rege Hispaniæ non adimpleretur, conditiones matrimonii mutarentur, apud Richardotum & Taxim instítit, ne more solito Hispanorum morari negotium pergerent, sed recordarentur, nullum cunctationi locum esse in ea actione, quæ non potest laudari nisi peracta. Hinc factum, vt pensatis in tractationis trutina iis, quæ ad rationis æquilibrium requirebantur, omnes difficultates inter vtrumque Regem solutæ & explicatæ fuerint.

XIII. Restitutio locorum.

XIV. Commoditas & occasio.

XV. Archidux vrget tractationis expeditionem.

Nullus cunctationi locus in eo consilio, quod non potest laudari nisi peractum. TACIT.

Nihil dum † decretum erat pro Sabaudię Duce. Videbatur Rex Hispaniæ eius adeo esse oblitus, tamquam pro genero non agnosceret. Rex eum neque pro consanguineo, nec pro amico reputabat, quamdiu Marchionatum Saluciorum retineret. Marchio Lullinus Deputatis sancte affirmauit, Ducem istud plane in animum induxisse, Regi in posterum magis gratificari, quam occasio præteriti temporis vmquam permiserit. Post quam affirmationem admissus fuit ad tractationem, quæ tamen fere huius occasione rupta fuit triduo ante conclusionem. Nam Regi prorsus decretum fuerat, ad nullas pacis conditiones cum Duce procedere, nisi facta præsenti restitutione, non seposita, non retro inhibita aut ad satisfactionem, quam sibi debere prætendebat, dilata. Neque etiam speciem aut opinionem haber, vt Rex, qui per exsecutionem tractatus, ex manibus tanti & tam potentis Regis, sex loca in Picardia, & portum tanti momenti in Britannia, quæ erant longe recuperatu difficiliora, quam Marchionatus Saluciæ, requisiuit, cum Duce Sabaudiæ, qui virium & magnitudinis respectu ne comparari quidẽ cum Hispano poterat, in conditiones minus honorabiles conueniret. * Personis priuatis consultum est nonnihil de iure suo concedere, quam ancipiti iudiciorum euentu inuolui. Sapientes idem consilium etiam Rebuspub. dant, si velint in pace viuere. Quapropter paterna Papæ desideria, qui metuebat, ne Marchionatus iste, ceu

XVI.

Dux Sabaudiæ petit cõpræhendi in pacificatione.

29. Aprilis, 1598. restitutio Marchionatus Saluciæ suspẽdit & pæne rupit decretũ pacificationis.

Hoc sumptũ est ex doctissima Præsidis Villerii Legati apud Venetos oratione.

Est non modo liberale paulũ nonnumquam de suo iure decedere, sed interdum etiam fructuosum. CIC. lib. 2. Offic.

Cedendum aliquid est de iure, vt pacem habeas.

Vesuuius quidam Æthnicus, vniuersam Italiam inflammaret, impetrauerunt à Rege, vt acquiesceret, & bonum publicum priuato suo commodo præferret, consentiretque, vt pro absoluendo hoc pacis ædificio, † regula ad lapidem, & ratio ad commodum Ducis applicaretur, & infallibile ius suum in compromissum veniret.

1598. Rex præfert bonum publicum proprio suo cõmodo.

† Τὸ πρὸς σταθμὴν πέτρον ἰθύνειν, μήτε πρὸς πέτρῳ σταθμήν: *Applicandus lapis amussi, non ad lapidẽ amussis* PLVTAR.

XVII. Quando † animi nimis inter se diuertunt, quærẽdus est modus aliquis ad eos coniungendos. Communibus omnium votis decretum fuit, vt Papa solus de restitutione Marchionatus Saluciæ cognosceret, eamque vertente anno iudicaret. Ita Pax, pro qua tam diu debelleuerant, conclusa & signata fuit per Deputatos, visumque, quibus de causis incertum, ne Pacificatio intra mensem, initio à secunda Maii facto, publicaretur, quo interim induciæ essent, & ab omnibus machinationibus hostilibus cessaretur. Rex tum Remis erat: vnde profectus Flescham venit, inde Ludam, & post Turonum, vbi conscensis equis cursoriis Ambianum citissimo itinere contendit, ad exsecutionẽ pacis eo facilius promouendam, & quod è re sit in vicinia promouẽdum. Cessationem armorũ pax secuta est, vt matrem filia, & isti sunt Articuli, qui tum fuerunt decreti.

Suspensio accordata vnius mensis.

XVIII. I. Primo, conuentum † & sancitũ est, vt Pacificatio rata & firma persistat inter dictos Reges Henricũ IV. & Philippũ II. æqualiter, & simul articuli contenti in Pacificatione Cameracẽsi anni cIↃ IↃ LIX. inter Henricum II. Christianissimæ & in primis laudandæ memoriæ Regem Francorum, & eundem Philippum II. Regem Catholicum inita approbarentur, sicuti totam illam Pacificationem prædicti Deputati de nouo confirmatam & approbatam esse volunt in omnibus eius punctis, ac si de verbo ad verbum heic inserta esset, nihil quidquam in ea mutantes, vt nec in anterioribus tractationibus, quæ omnes in suo statu integræ manebunt, nisi quatenus expresse in hac Pacificatione illis derogatur.

Confirmatio Pacificationis Cameracensis anni 1559.

II. Deinde, à dato huius Pacificationis in posterum inter dictos Reges, eorum liberos natos & nasciturosm, heredes, successores, & hereditarios, eorumue Regna, ditiones & subiectos, bona, certa, firma & stabilis pax, confœderatio & perpetua necessitudo atque amicitia consistet, inter se amabunt tamquam fratres, curantes pro viribus alter alterius commodum, honorem & existimationem. Euitabunt, quoad eius potest, fideliter alter alterius damnum: non sustinebunt, nec fouebunt vllum hominem, quicumque tandem ille sit, alter in alterius fraudem: & præterhac cessabunt omnes hostiles machinationes: obliuiscentur omnium præteritorum malorum, quæcumque aut qualiacumque illa sint, quorum memoria ab-

Pax perpetua tam præsentis quam futuri status inter Franciam & Hispaniam.

1598. olita, exſtincta & ad ſempiternam amniſtiam damnata erit: renunciant fide huius Pacificationis omnibus practicationibus, confœderationibus, ſocietatibus & commerciis, publicis aut priuatis, quæ quocumque modo in alterius fraudem vergere poſſint, promittentes ſe nec ſuâ neque alterius operâ vllam rem facturos aut commiſſuros, quæ alteri eſſe damno poſſit, neque laturos vt vaſalli & ſubiecti directe vel indirecte faciant. Et ſi aliquis eorum, in quocumque ſtatu aut conditione poſitus, aduerſus hanc Pacificationem per mare, per terras, aut aliter auxilia & ſuppetias in fraudem alterutrius Regis ſubminiſtraret, vt Dominus eius ſeſe opponat eumque coerceat & puniat vt huius Pacificationis ruptorem & quietis publicæ perturbatorem.

Extranei tenentur legibus regionũ, in quib. verſantur: in quas ſi delinquant, æque puniri debẽt ac incolæ, *nec diſtinguitur vnde ſint*, vt ait IC.

III. Per modum huius Pacificationis & artam amicitiam incolæ vtriusque Regni, quicumque volent, poterunt iuxta leges & cõſuetudines regionum vltro citroque commeare, illic ſubſiſtere, frequentare, conuerſari & & redire ex vnius regno in alterum, commercia & negotia aut alia, mari terraque & aquis dulcibus tractare & conuerſari ſimul: eruntque ſubditi vtrorumque Regnorum in eadem cum propriis incolis protectione & ſaluo conductu, modo debitas exactiones ſoluant in locis conſuetis, & alia, quæ per Reges aut eorum ſucceſſores imponerentur.

Quando publica iniuria infertur, curri ad arma ſolet a d vindicãdum offenſam priuatã inter ſubditos diuerſarum iurisdictionum: ibi locus eſt repræſaliis.

IV. Suſpenduntur literæ & inſtrumenta omnium clarigationum, pignerationum, repræſaliorum, quæ ob quamcumq; cauſam inuicem miſſa fuerunt, nec in poſterum alia qualiacumque dari permittentur ab vno Regum in damnum ſubiectorum alterius, niſi contra Principales delinquentes, ipſorum bona & complices; & hoc tantummodo in caſu denegatæ iuſtitiæ, quam vt & litterarum denuntiationem ipſarumque requiſitionem, qui dictas literas clarigationum & repreſaliorum perſequi volent, Candide & ſecundum formam iuris facere tenebuntur.

Mutua priuilegiorum competentia & confirmatio.

V. Ciuitates, ſubditi & incolæ Comitatuum Flandriæ & Arthæliæ, ceterarumque Prouinciarum Belgicarum, ſimul & ipſius Regni Hiſpaniæ, gaudebunt omnibus priuilegiis, immunitatibus, & libertatibus, quæ illis à Regibus Francorum, dicti Chriſtianiſſimi Regis prædeceſſoribus, datæ & conceſſæ fuerunt: & viciſſim Ciuitates, ſubiecti & incolæ Regni Francorum gaudebunt omnibus priuilegiis, immunitatibus & libertatibus, quas habent in dicto Belgio & Regnis Hiſpaniæ, eo iure quo quique antehac vſi ſunt, & virtute Pacificationis anni cIↃ IↃ LIX. aliarumque præcedentium potiebantur.

VI. Pa-

1598. Belgium & Comitatus Burgundiæ in dotē concessa Infanti Isabellæ iuxta pactum anni 1598. Martii 6. in hac Pacificatione comprahensa.

VI. Pactum quoque & conuentum est, vt, si forte Rex Catholicus Prouincias Belgicas cū Comitatibus Burgundiæ & Carolæsiæ per testamentum, donationem, reliquationem, aut alio quocumque titulo, in Serenissimam Infantem Isabellam, filiam suam primogenitam, aut alios, transferat, omnes illæ Prouinciæ & Comitatus in præsenti hac Pacificatione comprahensæ exsistant, quemadmodum fuerunt anno cIↃ IↃ LIX. simul etiam vt ipsa Infans, aut is, cui Rex Catholicus voluerit, subintellegantur, nec eo casu opus fuerit noua tractatione.

Reuersio absentium ad suas ædes, officia & beneficia.

VII. Et redibunt omnes subditi ac ministri ex vtraque parte, tam Ecclesiastici quam Politici, etiam qui contra Regem suum militauerunt, in sua officia & beneficia, quibus ante extremum Decembrem anni cIↃ IↃ LXXXVIII. fungebantur & fruebantur, exceptis Parochis & Presbyteris, quibus alii canonice sunt suffecti. Simul in possessionem omnium & singulorum bonorum immobilium, redituum perpetuorum, vsufructuum, reliquationum, interusuriorum, censuum beneficiariorum & feudalium, occasione belli extremo anno cIↃ IↃ LXXXVIII. cœpti occupatorum, vt iis à publicatione huius Pacis libere vtantur fruantur; & pariter etiam in eorum omnium, quæ illis postea per hereditatem, successionem aut aliter obuenerunt: denegata tamen omni actione & persecutione fructuum post dictorum bonorum immobilium occupationem vsque ad publicationem præsentis Pacificationis perceptorum, vt & debitorum ante memoratam publicationem confiscatorum: & partitio distributioque quam fecit aut fieri curauit Princeps, eius Gubernator aut Commissarius, rata validaque manebit: nec poterunt vmquam creditores eorundem debitorum, ipsi, heredesue eorum, iiue ad quos forte pertinere prætendatur, admitti ad litis persecutionem in iudicio, aut ex vlla lege repetere ab iis, quibus donata fuere, neque ab iis, qui iure donationis & confiscationis possessa emerunt, vndecumque tandem debita contracta fuerint, non obstantibus instrumentis obligatoriis, quæ dicti creditores producere possent, quippe, quæ vigore ipsius confiscationis erunt & manebunt per hanc Pacificationem abolitæ, sublatæ & irritatæ.

Restitutio occupatorū & cōfiscatorum nō potest peti, nisi quatenus post publicationē huius Pacificationis confiscata sunt.

Cassatio omnium cōtractuum & obligationū pro restitutione bonorum captorum aut cōfiscatorum tēpore belli.

Reuocatio omniū sententiarū iudicatarum contra contumaciam absentium.

VIII. Et fiet reditus ille subditorum & ministrorum vtriusque Regni ad bona immobilia & reditus, vti dictum, non obstantibus quibuscumq; donationibus, concessionibus, declarationibus, confiscationibus commissis, & sententiis prolatis in contumaciam, absentibus partibus iisque non auditis, occasione huius belli qualicumque; quæ sententiæ, & omnes res iudicatæ, in causis tam ciuili-

1598. bus quam criminalibus, erunt nullæ & sine vllo effectu, tamquam si non fuissent datæ: restituimusque ipsos subditos, quoad hoc, plene, integre & sine vllo impedimento & contradictione, omnibus iuribus, quæ habebant, quum bellum hoc grassari inciperet; nec permittimus vt quisquam in iudicium trahatur pro officiis & administrationibus publicis, quæ siue in victualium procuratione, aut collybo & permutatione pecuniarum, seu aliis in rebus, tempore & occasione dicti belli gessit, si inde rationes reddiderit illis, qui tum earum rerum potestatem & curam habuere: modo ipsi subiecti & ministri nullis aliis criminibus & delictis obnoxii sint, quam quod aduersæ parti operam locauerunt.

Crimina in eos commissa, qui eiusdem partis sunt, non debent esse remissa.

IX. Non tamen poterunt in ipsas terras, regiones ac ditiones ipsorum Regum ingredi, priusquam commeatus publicos sigillis Regiis maiusculis munitos obtinuerint; quorum tamen veritatem non tenebuntur in Curia & apud Officiales Regios demonstrare.

Diplomata Regia necessaria pro reditu absentium.

X. Quibus in vtriusque partis Regnis beneficia data sunt sub collatione, præsentatione aut alia dispositione ipsorum Regum, aut aliorum hominum laicorum, in possessione & vsufructu suorum beneficiorum, tamquam legitime prouisorum, inturbati manebunt.

Beneficia ab Ordinariis collata inconculcata seruentur.

Restitutio locorum vtrimque ab an. 1559. occupatorum.

XI. Vi & efficacia huius Pacificationis, & ad fidem vtrimque Regibus firmandam, conuentum est, vt reipsa in facto & bona fide inuicem reddant omnia loca, quæ ostendi poterunt fuisse per ipsos Reges aut alios ipsorum mandato ac nomine hinc & inde occupata: nempe vt Rex Christianissimus Regem Catholicum restituat in possessionem Comitatus Charolœsiæ, omniumque ad eum spectantium, quibus ipse & successores eius plene & pacifice sub superioritate Regum Franciæ vtantur fruantur: & si quæ alia loca post dictam Pacificationem anni, cIↄ Iↄ LIX. à Rege Christianissimo eiusue ministris occupata fuisse reperiantur, vt hæc & illa intra spatium duûm mensium inde à dato huius Pacificationis restituantur.

Comitatus Charolœsiæ est sub superioritate Franciæ, eamq; recognouit Archidux Philippus à Rege Ludouico XII. anno 1499.

XII. Similiter Rex Catholicus reddat Regi Christianissimo omnia loca per ipsum aut alios ipsius mandato ac nomine post sæpe dictam Pacificationem Cameracensem intercepta & occupata.

XIII. Nimirum Caletum, Ardresium, Monthulinum, Durlantium, Capella, & Casteletum in Picardia, Blauetum in Britannia, & cuncta cetera loca à Rege Catholico illic aut alibi in regno Franciæ post dictam Pacificationem occupata, & per eum aut alios eius nomine detenta.

XIV. Quod

1598.

XIV. Quod ad Caletum, Ardresium, Monthulinum, Durlantium, Capella & Casteletum, à Rege Catholico eiusve ministris reipsa bona fide & sine vlla longiori mora aut tergiuersatione, quæ ex quacumq; occasione prætendi posset, ipsi Regi Christianissimo, aut ei vel eis quos ad id destinauerit, intra duos menses præcisissime, inde à dato huius Pacificationis in eo statu, quo impræsentiarum consistunt, restituentur; neu quid demoliatur, infringatur aut depopuletur quocumque modo; neu quid prætendatur aut exigatur pro refusione impensarum in munitiones dictorum locorum factarum, nive pro solutione stipendiorum solduriis & militibus debitorum. Et incipiet hæc restitutio à ciuitatibus Caleto & Ardresio, quas ceteræ ordine insequentur, ita vt omnium locorum plena & integra restitutio intra definitum duûm mensium spatium peragatur.

Restitutio locorum sine prestatione ei' quod factum est impensę in munitiones.

XV. Quod vero ad Blauetum, & ipsum reipsa bonaque fide sine vlla longiori mora aut tergiuersatione, quæ ex quacumque occasione pretendi posset, ipsi Regi Christianissimo, aut ei vel eis quos ad id destinauerit, intra tres menseis inde à dato huius Pacificationis restituetur. Et licebit Regi Catholico demoliri munitiones, quas Blaueti aut alibi locorum in Britannia, si quæ ibi cepit, ipse aut eius ministri exstruxerunt.

Blauetum intra tres menses restituatur.

XVI. Restituturus dicta loca poterit Rex Catholicus auferre omneis machinas bellicas, pulueres, globos, arma, victualia & id genus paratus bellicos, qui dictis in locis reperientur, cum omnibus rebus mobilibus ad suos attinentibus: sed ab incolis locorum aut agricolis quidquam exigere, aut eorum ædibus damnum facere, aut vllas res ad subditos illos pertinentes auferre minime liceat.

Machinæ & munitiones bellicæ præsidiariis relinquantur.

Naues pro transportandis ex Britannia Hispanis.

XVII. Et quo præsidiarii Hispani Blaueto promptius in Hispaniam traiicere queant, Rex Christianissimus accommodabit naues & nautas, quibus machinæ, victualia & ceteri paratus bellici, cum sarcinis militum, qui sunt Blaueti aut alibi locorum in Britannia restituendorum, transponantur, data fide super restituendis ipsis nauibus & remittendis nautis in spatio temporis, de quo conuenerit.

Obsides pro restitutione locorum in optione Regis Franciæ.

XVIII. Præterea Deputati, in fidem restitutionis locorum, promittunt, simulatque ratificationem præsentis Pacificationis ab Rege Christianissimo acceperint, se daturum esse aut dandos curaturum quattuor obsides, quoscumq; optauerit ex Regis Catholici subiectis, quos ille bene honesteque, vt dignationi eorum conuenit, habebit: qui post peractam locorum restitutionem reddentur

& remit-

1598. & remittentur in libertatem bona fide & ſine vlla dilatione; ſic tamen, vt reſtitutis Picardiæ locis duo obſides redhibeantur, ceteris duobus vsque ad Blaueti reſtitutionem in obſidatu manentibus.

XIX. Et quoniam in Pacificatione anni cIɔ Iɔ LIX. multi continentur articuli, quorum exſecutio necdum eſt facta, concluſum eſt, vt eorum exſecutio fiat & compleatur in iis, quæ adhuc deſiderantur, vti ſunt feudalia Comitatus S. Pauli, limites regionũ vtriusque Regis, terræ litigioſe poſſeſſæ exemptiones vectigalium, impoſitiones forenſes prætentæ ab incolis Comitatus Burgundiæ, Epiſcopatus Teruanenſis, Abbatię S. Iohannis in Monte, Ducatus Bullionis, reſtitutio quorundam locorum, quæ ab vtraque parte reſtitui debere iuxta dictam Pacificationem prætenduntur, & omnes aliæ controuerſiæ, quæ necdum ita, vti tunc fuit deliberatum, iudicatæ aut deciſæ ſunt: ad quod exſequendum arbitri & deputati ab vtraque parte nominabuntur ſecundum decreta dictæ Pacificationis: qui ſimul intra ſex menſeis in locis ab ipſo deſignatis, ſi partes conſenſerint; ſin, eo in loco, quo de accordauerint, conuenient. Arbitri pro exſecutione eorum, quæ in Pacificatione 1559. adhuc deſiderantur.

XX. Quoniam etiam in diuiſione terrarum in diœceſibus Atrebatenſi, Ambianenſi, S. Audomari, & Boloniana, reperiuntur loca iuris Francici Epiſcopatui Atrebatenſi & Sanct-Audomatano attributa, & è contra alia Comitatuum Arthœſiæ & Flandriæ Epiſcopatibus Ambiano & Boloniano inſerta, vnde nonnumquã confuſio & iurgia exoriuntur; declaratum eſt vt, quod cum conſenſu & permiſſione ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ fieri poſſit, Commiſſarii vtrimque deputentur, qui intra annum in loco ipſis deſignando conueniant deliberatum ſuper permutatione dictorum locorum, quatinus commodo vtriusque partis fieri debeat. Permutatio locorũ diœceſis Atrebatenſis ad euitandam iurisdictionum confuſionem.

Captiui dimittendi ſine lytro. XXI. Omnes captiui bello capti hinc & inde in libertatem remittentur, expenſis prius ſolutis, omnibusque aliis iuſte debitis expeditis, ſine vllo tamen redemptionis pretio, niſi ſi forte quod pactum fuerit: ſed & hoc ſi quis immane eſſe conqueratur, loci Princeps, vbi captiui detinentur, ſuper eo, quod æquum ſit, decernet.

Forzadæ galearum dimittendi. XXII. Omnes ſubiecti vtriusque Regis, qui per belli calamitatem capti in triremibus eorum detinentur, continuo dimiſſi libertati reddentur ſine vlla dilatione, quæ ex quocumque prætextu aut occaſione proferri debeat, ſine item vllo redemptionis pretio aut expenſarum præſtatione.

Reſeruatio iurium Regis Franciæ. XXIII. Reſeruantur autem Chriſtianiſſimo Franciæ & Nauarræ Regi, eius ſucceſſores & heredes, omnia iura, actiones & prætenſiones, quæ ſibi competere intẽdit nomine ſuorum Regnorum,

ditio-

ditionum & dominatuum aut alias, ex quacumque causa, quibus nec ipse neque antecessores sui expresse renuntiarunt, vt possit ea persequi per viam amicabilem aut per processum iuris, sed non per arma. 1598.

XXIV. Sic vicissim Catholico Hispaniæ Regi, & Serenissimæ Infanti filiæ eius primogenitæ, omnibus eorum successoribus & heredibus, reseruantur omnia iura, actiones & prætensiones, quæ sibi competere intendunt nomine suorum Regnorum, ditionum & dominatuum aut alias, ex quacumque causa, quibus nec ipsi nec eorum antecessores expresse renuntiarunt, vt possint ea persequi per viam amicabilem aut per processum iuris, sed non per arma.

Reseruatio iurium Regis Hispaniæ.

XXV. Insuper à Deputatis Regis Catholici relatum est, pro firma pace obtinenda omnino necessarium esse, vt Excellentissimus Princeps, Dux Sabaudiæ, in hac Pacificatione compræhendatur, quum id vnice desideret ipse Rex Catholicus, qui commodum & salutem Ducis non minori studio quam suam ipsius, promotam cupit propter proximitatem sanguinis & amicitiæ, qua sibi iunctus sit: Habere se etiam expressum mandatum eam rem Cardinali Archiduci proponendi. Adhæc Caspar Geneuensis Marchio Lullinorum, Consiliarius Ducalis, Camerarius, Præfectus stipatorum Ducis, & Vicarius & Gubernator Ducatus Augustensis & Ciuitatis Yvreæ, ipsius Ducis Commissarius & Deputatus, vt ex eius mandatorio & auctoritate publica apparet, proposuit ex parte sui Ducis, eum, qui ex fratre proauiæ Regis Christianissimi, & consobrinâ Reginæ matris ipsius progenitus sit, nihil prius nec antiquius habere quam vt Regi gratificari possit, eumque tamquam suum consanguineum omni honoris, obsequii & officiosæ amicitiæ studio prosequi, operamque daturum vt in posterum intelligat sibi antea non animi voluntatem ei gratificandi sed temporis & occasionis facultatem defuisse. Vicissim Regis nomine promissum est, quod Rex, cognita & perspecta tam bona ipsius voluntate erga se & affectione, vti in eum velit eadem beniuolentiâ & amicitiæ declaratione, quâ quatuor Reges antecessores sui vsi fuerunt in laudatissimæ memoriæ Ducem eius patrem.

Dux Sabaudiæ matre Franca, auia Hispana, vtraque Regii generis, natus.

Henricus Albertus Rex Nauarræ duxit Margaretã sororẽ Francisci I. Dux Emanuel Philibertus duxit Margaretam filiam eiusdem Regis Francisci & Henrici II. sororem. Per Pacificationem anni 1559. Principatus Sabaudiæ & Pedemontii Duci Emanueli Philiberto restituti fuerũt.

XXVI. Ideo decretum est, vt Dux Sabaudiæ recipiatur & cõpræhendatur in tractatu Pacis: qui ad testandam suam erga Regem Christianissimum animi voluntatem, reddet ac restituet ciuitatem & castrum Berream, intra duos menseis à die & dato huius Pacificationis, reipsa & fide bona, sine vlla longiori mora aut difficultate, sub quocumque prætextu. Et reddetur quidem à Duce ipse locus

1598. illi vel illis, quos Rex destinauerit, intra definitum tempus præcise in eo statu, quo nunc sunt, nihil demoliendo, imminuendo aut populando conditione quacumque, nec quidquam prætendendo aut exigendo pro refusione sumptuum in munitionem ciuitatis & castri factorum, nec pro solutione stipendiorum militibus adhuc debitorum: & relinquet omnes machinas bellicas, quæ in loco, quum caperetur, erant, cum omnibus globis qui machinarum pondus & æquilibrium habent: quos vero ipse postea aduexit, auferre rursum licebit.

XXVII. Conuenit quoque & accordatum est, vt Dux Sabaudiæ absolute & fide non ficta exauctoret & abdicet Capitaneum Fortunam, qui Seurream ciuitatem Burgundiæ tenet, neque ei aut alteri cuicumque, qui dictam ciuitatem sine Regis Christianissimi voluntate vsurparet, directe vel indirecte, vllum auxilium, suppetias aut fauorem præstet. Exauctoratio Capitanei Fortunæ Præfecti ciuitatis Seurreæ in Burgundia.

Papa Clemens VIII. iudex cōtrouersiarum inter Regē & Ducem. XXVIII. Præterea quod ad ceteras controuersias, quæ inter Regem Christianissimum & Ducem agitantur, à Deputatis ipsorum nomine pro bono pacis vnanimiter decretum est, vt ad Sanctissimum Dominum nostrum Clementem Papam VIII. ab ipsius Sanctitate intra annum inde à dato huius Pacificationis, iuxta responsum ipsius Regis scripto datum XIV. Iunij proximi, iudicandæ & decidendæ remittantur: & quidquam ab ipsius Sanctitate decretum fuerit, vtraque pars integre & bona fide exsequetur, sine vlla mora aut difficultate, sub quacumque causa aut prætextu.

Induciæ vsque ad sententiæ declarationem. XXIX. Interea dum aliter per Sanctissimum Dominum nostrum Papam decisum fuerit, res in eo statu, quo nunc sunt, permanebunt, sine vlla mutatione aut innouatione, sed vt impræsentiarum ab vtraque parte possidentur: nec licebit eas extendere vlterius, imponere aut exigere contributiones, aut id genus alia, exceptis territoriis locorum, quæ ab vna & altera parte hactenus obtinentur.

Pax perpetua inter Regem & Ducem. XXX. Et iuxta hoc conuenit & accordatum est, vt abhinc in perpetuum pax firma & stabilis, amicitia integra & vicinitas bona inter Regem & Ducem, ipsorum liberos natos & nascituros, heredes, successores & hereditarios, ipsorum Regna, regiones & subiectos inuicem pro quacumque causa aut prætextu, seruetur & perduret.

XXXI. Subiecti & ministri vtriusque partis, tam Ecclesiastici quam politici, non obstante eis fide, quam aduersæ parti dederant, redibunt in plenariam possessionem omnium & singulorum Restitutio eorum, qui tēpore belli excesserunt.

bono-

1598.

bonorum, officiorum & beneficiorum, eodem pacto, quo supra de subiectis & ministris vtriusque Regis dictum est, exceptis tamen Gubernamentis.

Captiui.

XXXII. Quod ad captos in bello, idem obseruabitur, quod supra de captiuis vtriusque Regis dictum est.

Confirmatio Tractatus Cameracensis, quantum ad Ducem Sabaudiæ.

XXXIII. Confirmantur etiam omnia puncta & articuli Tractatuum antehac factorum inter Reges Christianissimos, Henricum II. anno cIɔ Iɔ LIX. in castro Cameracensi, Carolum IX. & Henricum III. & dictum Ducem Sabaudiæ, felicis memoriæ, nisi quatenus eis per præsentem aut alios Tractatus derogatum est. Et consequenter manebit Dux Sabaudiæ cum suis terris, regionibus & subiectis, Princeps neutralis, & communis vtriusque Regis amicus. Et statim à die publicationis huius Tractatus commercia iterum erũt libera & secura inter eorum ditiones & subiectos, quemadmodum in dictis Tractatibus est declaratum, & iuxta quorum tenorem antea fuit in vsu. Et obseruabuntur omnes ordinationes in illis contentæ, etiam quæ de officiariis, qui dictis Regibus seruierunt, conscitæ sunt, nisi si quibus per alios Tractatus est derogatum.

Principes & Respublicæ in Pace cõpræhensi tamquam socii & confœderati regni Francorum.

XXXIV. Sub hac Pace, fœdere & amicitia compræhendentur de communi consensu & vnanimi sententia vtriusque Regis, si quidem compræhendi volent: Primum ex parte Regis Christianissimi, Sanctissimus Dominus noster Papa, sancta Sedes Apostolica, Imperator, Electores Principes Ecclesiastici & Seculares, Ciuitates, Cõmunitates & Ordines sacri Imperii, & in specie Comes Palatinus Elector, Marchio Brandenburgius, Dux Virtembergius, Lantgrauius Hassiæ, Marchio Anspacensis, Comites Frisiæ Orientalis, Ciuitates Hansaticæ & maritimæ iuxta antiqua fœdera. Rex & Regnum Scotiæ secundum veteres tractationes, amicitias & confœderationes inter Regna Franciæ & Scotiæ pactas: Reges Poloniæ, Daniæ & Suediæ: Dux & Respublica Venetiarum: Tredecim Pagi confœderatorum Heluetiorum, tres Pagi confœderatorum Rhætorum, Episcopus & Confœderati Valesiæ, Abbas & Ciuitas Sancti-Galli, *Ruhemburg, Mulhusium Suntgouiæ, Comitatus Nouo-Castellanus, & ceteri dictorum Heluetiorum Socii & Confœderati: Dux Lotharingiæ, Magnus Dux Etruriæ, Dux Mantuæ, Respublica Lucensis, Episcopi & Capitulares Metenses, Tullenses & Verdunenses, Abbas Gozziæ, Principes Sedanenses, & Comes Mirandulanus. Quod tamen ad Comites Frisiæ Orientalis attinet, quos Rex Catholicus simul compræhendi consensit, factum, id voluit cum hac

* Sub hac clausula, *& ceteri dictorũ Heluetiorum socij & confœderati*, cõpræhensa est & Ciuitas Geneuensis & Losanna.

1598. exceptione, ne sibi iuribusve suis, quæ in eorum Comitatum prætendit, fraudi fiat: sic econtra Comitibus quoque defensiones, iura & exemptiones omnes ac singulæ aduersus Catholicam Maiestatem sartæ tectæ reseruantur. Et hæc quidem cum declaratione, ne Rex Catholicus possit directe aut indirecte, per se aut per alios, quemquam ex iis, qui ex parte Regis supra recensiti sunt, infestare aut inquietare: sed si ipse causam aliquam contra quempiam eorum prætendit, poterit cum eis tantum iure agere apud iudices competentes, & non per vim, modo quocumque.

XXXV. Et à parte Regis Catholici in hac Pacificatione comprærhenduntur, si quidem comprærhendi volent; Primum sanctissimus Dominus noster Papa, sancta Sedes Apostolica, Imperator Romanorum, Archiduces, fratres & consanguinei sui, ipsorum Regna & ditiones; Electores, Principes, Ciuitates & Ordines sacri Imperii ipsi obedientes, Dux Bauariæ, Dux Cliuiæ, Episcopus & diœcesis Leodiensis, Ciuitates Hansaticæ & maritimæ, Comites Ostfrisiæ. Et renuntiant vterque Rex omnibus machinationibus, promittentes sancte ab illis abstinere, intra & extra Christianum orbem, qua qua is patet, quæ possint esse in damnū ac fraudem Imperatoris, aut membra & Ordines sacri Imperii, sed promouebunt, in quantum possunt, eius commodum & quietem, modo ipse Imperator & Ordines se amicabiliter & vt consentaneum est erga Reges Christianissimum & Catholicum gerant, neue quidquam in fraudem eorum committant. Similiter comprærhenduntur Pagi Confœderatorum superioris Alemaniæ & Confœderati Rhætorum, eorumque socii: Rex Poloniæ & Suediæ, Rex Scotiæ & Daniæ, Dux & Respublica Venetiarum, Dux Lotharingiæ, Magnus Dux Etruriæ, Respublicæ Genuensis & Lucensis, Dux Parmæ & Placentiæ, Cardinalis Farnesius, ipsius Frater, Dux Mantuæ, Dux Vrbini, Princeps Columnarum & Vrsinorum, Dux Salmonetæ, Princeps Monacensis, Marchio Finalis, Marchio Massæ, Princeps Plombini, Comes Salæ, Comes Collonni, vt pariliter beneficio huius Pacis vtantur fruantur, cum hac expressa declaratione, ne Rex Christianissimus possit directe vel indirecte, per se aut per alios, quemquam ex iis, qui modo memorati sunt, infestare aut inquietare: sed si causam aliquam contra eos prætendit, poterit cum eis tantum iure agere apud iudices competentes, & non per vim, modo quocumque.

[Margin: Principes & Respublicæ in Pace cōprærhensi tāquam socii & confœderati Regis Hispaniæ.]

[Margin: Renuntiatio machinationum & coitionū aduersus Imperatorē & Imperiū.]

XXXVI. Item comprærhenduntur in hac Pacificatione cuncti, qui de communi vtriusque Regis consensu sese præsentabunt,

[Margin: Dilatio sex mensiū pro-]

modo

modo sexto post Pacificationis publicationem mense dent literas declaratorias, cuiusmodi in hoc casu requiruntur & consentaneæ sunt. 1598. eis, qui sub pace cōpræhendi volūt.

XXXVII. Et ad maiorem huius Pacificationis certitudinem, omniumque punctorum & articulorum in ea præscriptorum, ipsa Tractatio verificabitur, publicabitur & in acta referetur in suprema Curia Parisiensi, & ceteris omnibus Parlamentis Regni Franciæ, & in Camera Ratiocinarii Parisiensis: sicuti vicissim verificabitur, publicabitur & in acta referetur in magno Consilio, & ceteris Consiliis & Camera Ratiocinarii Regnorum Regis Catholici, secundum modum ac formam in tractatione anni cIↃ IↃ LIX. præscriptam, vnde ab vtraq; parte expeditiones intra tres menses post præsentis actionis publicationem dabuntur. Ratificatio tractat' per Deputatos nomine vtriusque Regis.

XXXVIII. Omnes articulos supra commemoratos, simul omnia & singula in ijs contenta, tractarunt, consenserunt, pepigerunt & eorum, qui supra, nomine stipulati sunt ipsi Deputati, qui ex fide auctoritatis suæ promiserunt & promittunt, sub obligatione omnium & singulorum bonorum præsentium aut futurorum vtriusque Regis & dicti Ducis, eos inuiolabiliter obseruaturos & completuros esse, facturosque vt ratificentur, daturos & præsentaturos alterum alteri literas authenticas, signatas & sigillatas, queis tota hæc tractatio de verbo ad verbum inseratur, idque intra vnum à die & dato huius Pacificationis mensem, quoad Regem Christianissimum, Cardinalem Archiducem & Ducem Sabaudiæ: qui Cardinalis promittet se intra treis menseis daturum consimiles literas ratificatorias. Rex Christianissimus, Cardinalis Archidux, & Dux Sabaudiæ iurabunt solemniter super Crucem, sancta Euangelia, Canonem Missæ, & per honores suos, in præsentia eorum, quos visum fuerit deputare, se obseruaturos & completuros plene, reipsa & bona fide omnia, quæ in dictis articulis continentur: parile iusiurandum præstabit etiam Rex Catholicus intra tres menses, aut quandocumque requisitus fuerit. In quarum rerum testimonium Deputati præsenti tractationi subscripserunt, die secundo mensis Maii, cIↃ IↃ XCVIII.

Da quæsumus ô Deus Pacis, vt hæc Pax quam diutissime duret, & dispelle consilia eorum, qui sine vlla offensione, sine occasione legitima, destructum eunt hoc Templum, quod, vt illud *a* Mineruæ, omnibus debet esse apertum, solis canibus clausum. Per canes intelliguntur infideles.

Nunc quidem non esse puto, qui aliquid moliri gestiat. nam *b* febris continua ita debilitauit vtrimq; corpora, vt, si paroxysmus

a PLVTAR. & PAVSAN. & STRABO.

b *Vt grauius ægrotát ij, qui cum morbo le-*

1598. Recaſus morborum lethales.

redeat, omnes Medici & Empirici non poſſint à morbo releuare. Et ſi plus debetur affectibus Principum, quam ſubditorum bono, redibitur aliquando ad arma, quemadmodum *c* Carolus V. Imperator dixit ad Regem Franciſcum; Francos & Hiſpanos ita ingeniatos eſſe, vt ſi nullum habeant hoſtem extraneum Principem, bellum inferant ſuo proprio Principi, modo bellum ſit tam iuſtum inter tot iniuſtitias, vt antiquam illam victorioſorum exercituum, qui furtiuas iſtas victorias ignorabant, disciplinã reſtauret; modo non impediat quo minus ſecure bos ad aratrum, agricola in agrum, mercator ad negotia, iudex in curiam, Presbyter ad aram itare poſſint. Namque bella ſub finem præteriti ſæculi magis prædaturæ quam conflictus militares, dicenda ſunt.

uati vidētur, in eum de integro incidūt: ſic vehementius laboramus qui profligato bello renouatum bellum gerere conamur. CIC. lib. 12. ep. 30.

c Carol⁹ V. Imp. cum Ambaſiæ eſſet cũ Rege Franciſco I. dixit ad eũ hæc verba; *Nous commandons vous & moi à des peuples ſi bouillans, ſi fiers & tempeſtatifs, que ſi nous ne nous faiſons quelque guerre par intervalles pour les amuſer, & leur amortir ceſte impetuoſitè belliqueuſe, nos ſubiects propres nous la feront, qui ſera bien pis.*

Summarium tertiæ Narrationis.

1 *Bona pax nullo pretio æſtimari poteſt.*
2 *Aduentus Legatorum & obſidum Regis Hiſpaniæ.*
3 *Iuſiurandum eſt actus religioſus, reuerentiæ & horroris plenus.*
4 *Formula iuriſiurandi ab vtroque Rege & Duce Sabaudiæ præſtiti.*
5 *Perfidia, dum cupit terram lucrari, cœlum perdit.*
6 *Ordo in Eccleſia D. Virginis Lutetiæ obſeruatus, quum Rex iuraret pacem.*
7 *Conuiuium Regium in Cœnaculo Epiſcopi.*
8 *Carolus Gontaldus Bironus Creatus Dux Bironij & Par Franciæ.*
9 *Pax iurata Bruxellis per Archiducem in præſentia Deputatorum Regis.*
10 *Dux Sabaudiæ iurat pacem Camerini.*
11 *Recommendatio Comitis Antremontanæ in Sabaudia captiuæ.*
12 *Geneuenſium querellæ.*
13 *Ignes lætabiles & hilaria publica propter pacem.*
14 *Deſcriptio ignis lætabilis Lugdunenſis.*
15 *Beneficium pacis grande, inæſtimabile & miraculoſum.*

Narratio Tertia.

I. Pax non poteſt nimis care emi.

QVI deſiderat Pacem, † eam nullo pretio nimis care comparauerit, etiamſi tantidem emenda foret, quanti à Romanis Rex Antiochus deſtinauit. Rex Hiſpaniæ, qui deſiderabat pacem quocumque tandem pretio parandam, nullum articulum in tractatu Veruiniano reperit, qui disſuadere eius approbationem poſſet,

Antiochus pro pace impetrãda Romanis depẽdit 12000. talentorum Atticorum.

Conſi-

1598.

Consiliariis licet restitutionem ciuitatum tanta cum gloria captarum, & reciperatu tam difficilium, infamem & fraudulentam esse iudicantibus. Itaque vt iuraretur & exsequeretur vrsit, contestatus singularem voluptatem, quam animo suo conceperit super bono totius Reipubl. Christianæ, quod ea ex concordiâ duorum primariorum Imperii sui Regnorum perceptura sit. Archidux, qui sequebatur omneis eius voluntates, Deputatos suos misit, qui Regi iuraturo essent præsto, Ducem Arascoti, Comitem Arenbergium, Admiralē Arragoniæ, Ludouicum † Velasquium, quadringentis Nobilibus Hispanis, Italis, Burgundis & Belgis comitatos. Comes S. Pauli eos in limite Regni excepit, Comes Stabuli conuiuio tractauit Ambiani, sedauitque quasdam controuersias, quæ inter eos ortæ erant super ordinis prærogatiua, quam Hispani opiniosius disputant quam vlla natio sub Sole, & quâ vehementer afficiuntur, qui pro ignauia habent cuiquam concedere, & cuius causâ Legati Genuenses & Senenses ferme ad arma venerant Boloniæ in coronatione Imperatoris Caroli V. Marescalcus Bironus cum multis Baronibus & Nobilibus à Rege sibi adiunctis eos quarto miliarii lapide à S. Dionysii fano excepit, deduxitque in regionem vrbis Antonianam, vbi destinatum illis hospitium. Postridie aduentus, * Palatium adiuerunt cum toto comitatu, & splendido superboque instructu, ad salutandum Regem, qui eos honorifice suscepit, & attente auscultauit orationem Richardoti Præsidis de dignitate huius actionis, communi vtilitate & necessitate Pacis, quam dicebat præferendam esse bello etiam iusto & omni spei prosperi successus. Rex respondit, se desiderasse pacem, non quod belli incommodis attritus & fatigatus fuerit, sed vt modum Christianitati respirandi daret: arma ponere cœpisse, simulatque lacrumas per faciem Papæ manantes pro reconciliatione eorum, quorum concordia tantam quietem Ecclesiæ Dei allatura sit, percepisset: suâ culpâ non futurum, vt de se merito dici possit, se conseruationi pacis non studuisse, qui non defuerit zelo & iustitiæ eam acquirendi, quam prætulerit spei infallibili plurimorum optimorum successuum, quos sibi prosperitas armorum & iusta defensionis ratio promitteret: secutum se esse sententiam eorum, qui existimāt, numquam esse propter spem alicuius fauorabilis euentus à bona pace abeundum, & spei futuræ sub rerum præsentium specie confidere.

Forma omnium † sollemnissima tractationis est iusiurandum, quo tractatores obligantur. Prisci religiosum hunc actum compluribus ceremoniis onerabant, subiicientes se pœnis horribilibus, si

falle-

Marginalia (right): talento 24. libras valente, id est, nouem milliones auri; & insuper 1400000. modios frumēti. LIVI. l. 8. decad. 4.

II. Comes S. Pauli excipit Legatos Hispaniæ.

Marginalia (left): Imperator, quū à Papa Boloniæ coronaretur, tēplo excedere iussit Legatos Senēses & Genuenses, qui de sessionis prærogatiua inter se digladiabātur. IOVIVS lib 37. Hist.

* Deputati Regis Hispaniæ Parisiis appulerunt die Iouis 18. Iunii, & postridie Regē in Palatio accesserunt salutatum.

Pax tuta cuiusbello, etiā iusto est præferenda. THVCYD. lib. 4.

Adepti aliquid inexperti boni, semper propter præsentem ex inopinato prosperitatē sperantes maiora concupiscunt. THVCYD. lib. 4.

III. Vide Liuiū in vita Tullii Hostilii.

1598. fallerent. Feciales porcum interficiebant, comprecantes vt consimiliter eueniret ei, qui primus fidem fregerit aut tractationem violauerit. Nec sine horrore legi potest sacramentum, quo Romani & Carthaginienses fœdus inter se firmarũt, Iouem inuocantes, vt vellet omnia fausta dare ei, qui sincere & sine fraude fœdus & sacramentum faceret. Quod si faxo, & si secus cum animo meo agito (dicebat is, qui iurabat) tum ceteris omnibus saluis, ego solus inter leges & iura patriæ, in meo domicilio, inter lares & focos, in meis sepulchris, infelicissime peream, vt lapis iste quem de manu mitto: & cum dicto lapidem proiecit.

Vetus forma iurisiurandi, tabulę æneæ incisa, & in templo Iouis Capitolini suspẽsa. POLYB. lib. 3. Histor.

Non satis erat Principibus Pacificationem subsignasse, & fidem verborum suorum interposuisse pro eius conseruatione, voluerunt etiam pro iudice & teste animorum suorum Deum cœlestem aduocare, inter manus eius iustitiam fidei suæ pro certitudine promissorum reponentes.

Deus iudex & vindex periuriorũ.

Rex Hispaniæ iurauit & subscripsit Pacem 12. Iulii 1598 sed ipsius Filius nõ subscripsit, nisi anno demũ 1601. in tractatione Sabaudiana

Iusiurandũ Principum.

Id propter Rex obseruationem **Pacis** iurauit in Ecclesia D. Virginis Parisiis, in præsentia **Legatorum Regis** Hispaniæ. Archidux eandem iurauit in maiori templo Bruxellano, pro Rege Hispaniæ & eius nomine, in præsentia **Marescalci** Bironi, Belleurii & Brulatti, Consiliariorum & Legatorum Regiorum. Dux Sabaudiæ eandem & iurauit Camerini, in pręsentia Gulielmi Gadagneo Botheonio, Equite Ordinis Regii. Quemadmodum antiqui iurabant impositis * aræ manibus, ita Principes iurarunt tactis sacrosanctis Euangeliis. Iusiurandum † conceptum erat in hæc verba. Nos promittimus sub fide & honore nostro, & verbo Regio, & iuramus hac sancta Cruce, sacris Dei Euangeliis, & Canone Missæ, in hoc testimonium tactis: nos obseruaturos & impleturos plene, reipsa & bona fide, omnes & singulos Articulos in tractatione Pacis contentos, reconciliationem & amicitiam inter nos Veruini factam & cõclusam die Maii secundo proximi, &c. & facturos vt omnia teneantur, custodiantur & seruentur inuiolabiliter, quantum in nobis situm est: nec vnquam pactis conuentis fraudem facturos, aut vt alii faciant permissuros, modo & conditione quacumque in cuius rei fidem & testimonium hæc manu propriâ subscripsimus, &c.

* Sic Ptolomæus iurauit in tẽplo Iouis, IVSTIN. li. 24 vide CIC. pro Flacco.

IV. Formula iurisiurandi.

Perfidiæ detestatio.

Ambitio, quæ pro libidine tollit & remittit Deos in animis suorum mancipiorum, exsecrabilem istam regulam excogitauit, quæ regnandi gratia religionem violari permittit, suadetque non curare fidem datam, vbi ampliandi imperii occasio est. At Princeps Christianus, qui bene opinatur de futura vita, semper cogitabit, offendi Deum promissorum, quæ nominis sui attestatione peragun-

Si violandum est ius, regnãdi gratia violandum est, aliis rebus pietatem colas. CÆSAR apud Sueton. ex Euripid.

1598.

V.

tur, violatione. Esse † deplorabilem cæcitatem, perfidiæ vinculis indui, vt Vrbis alicuius aut Prouinciç terminos prolates. Nam etiamsi de toto Regno ageretur, tamen perparuulam portionem esse lucri si cum damno comparetur, quum vniuersitas ista terrarum & aquarum, pro qua videmus fieri tam horribiles commotiones, non plus sit, si cum cœlo comparetur, quam mica glebæ respectu totius terræ. & si cursus mundi haberet omnia stadia & Olympia, & Pythia, & Italica, quæ tribuunt ei Mathematici, & Aristoteles, & Censorinus, & Eratosthenes, & Alphraganus, & ceteri, qui vniuersam quasi huius mundi machinam circumuagati sunt, non foret tamen nisi atomus quidam aut hilum, cum cœlo non dicam Empyræo, cuius magnitudo est incompræhensibilis, sed cum decimo octauo cœlo, cuius Sphæra est vicies decies mille & sexcẽtis modis maior, quam ista terræ & aquæ, comparatus.

Nulla cõparatio est cœli cum terra.

Terræ secũdum dimensionẽ Geographorum est 400000. stadiorum, non Pythiorum, quorũ vnum mille, nec Olympiorũ, quorum vnum sexcẽtos, sed Italicorum, quorum vnum centum viginti quinq; passus conficit.

Magnitudo cœli.

VI.

Iurisiurandi ceremoniæ.

Rex voluit † vt de animi sui sinceritate vniuerso mundo constaret, & Ciuitati Parisiensi, velut testi iurisiurandi quod faceret, se custoditurum pacem non minus religiose, quam bellum fecerit iuste. Deputati Regis Hispaniæ stiterunt se in templo D. Virginis, vbi repererunt tantam populi multitudinem, vt sufficere videretur ad integrum Regnum habitatione colonorum frequentandum. Nam architectura ingẽtis huius ædificii, quod magnitudine omnia Christianitatis templa superare perhibetur, tota referta erat viuis statuis, neque vllus locus vacuus apparebat. Attrahebant omnium in se oculos, qui præstringebantur radiis & scintillis auri & gemmarum, quibus vestes eorum erant interstinctæ. Cum Rex veniret cum Principibus Regiæ prosapiæ, cum Aulicis, Officiariis Regni, & Equitibus sui ordinis, singulis pallia serica indutis cum cappis ad morem antiquum, variis gemmis pretiosis interlucentia, totius templi fornix tremebat præ iterata acclamatione & iubilatione, quæ vndique resonabat. Rex conscendit theatrum, in dextera chori iuxta altare, erectum.

Ecclesia D. Virginis Parisiis.

Pompa & magnificentia Regis & Aulicorum.

Ante Regẽ incedebant Principes sanguinis & alii. Comes Stabuli solus præcedebat Regem, Bellegardius Magn⁹ Scutifer sequebatur.

Ordo sessionis in Ecclesia.

Legatus Pontificius erat ab altera parte cum Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, & tribus Prælatis, qui ei assistebant. Paulo inferius in eodem latere, & super eodẽ tabulato, erant Deputati Regis Hispaniæ, & iuxta eos ceteri Legati. Missa celebrata fuit sub Pontificali, & responsorium in duobus Choris Musicis. Sub finem Rex accessit altare, ad sedem Maiestati suæ paratam sub cortina. Legatus Pontificius exaduersum assidebat, verso ad altare dorso. Philippus Huraldus Cancellarius & Neouillanus Secretarius Regius

Legato assistebant Cardinalis Gondyus, & Episcopi Bellouacensis, Nannetensis, Parisiensis, Aurasiensis, sed Archiepiscopus Bituricensis semper Regi iuxta assistebat.

1598.

Articuli Pacis lecti à Villaregio, & iurati à Rege.

ſiſtebant,ſe ad latus Regis. Legati Hiſpaniæ ad alteram partem. Legebantur articuli Pacis. Rex iurauit eorum obſeruationem, ſubſcripſit actionem iuriſiurandi, & amplexus eſt Legatos, optans Regi fratri ſuo longam vitam, vt quam diutiſſime frui poſſit conſuetudine huius Pacis. Actus abſolutus fuit cum tanta acclamatione, REX VIVAT, per vniuerſum templum reboante, vt omnes ad ſua verba obſurdeſcerent, vt illi qui cataractas Nili accolunt. Hinc rectà † ad prandium in Epiſcopio paratum, vbi Rex Legatum Pontificis & ceterorum principum tractauit. Dux Monpenſerius Magni Magiſtri officio fungebatur, Archidux Bituricenſis menſam benedicebat. Conuiuium fuit verè Regium. Ordo reſpondebat magnificentiæ, ſumptuoſitas lautitiis. Octo tubæ ad ſingulum perſonabant ferculum. Muſica interim aureis mulcebat, dum oculus & manus eligerent, & caperent quæ ad guſtum. Celebris illa conſuetudo bibendi in ſanitatem Principum, quæ à Græcis originem traxit, qui ſingulis Deorum poculum vini propinare ſolebant, & quæ deinceps per adulationem ad Reges degenerauit, non fuit neglecta. Rex bis in ſanitatem Regis Hiſpaniæ propinauit. Hilaritas totum diem durauit, renouata veſperi in choreâ, quæ in Palatio ducebatur. nec diebus inſequentibus à conuiuiis ceſſatum, quæ mandatu Regis apud primarios Aulæ Principes frequentabantur.

VII. Cõuiuium Regale.

In conuiuiis antiquorum ſingulis Diis ſua pocula propinabantur. Qui mos dein & Regibus ſeruari cœpit, vt PLVTAR. ſcribit in Demetrio. Athenienſes primi pocula duplicarunt Regib adulantes. ATHEN. lib. 6. Dipnoſoph. Vide Epiſtolas Antonii Pereſii.

Conſuetudo bibendi in ſanitatem Regum.

Chorea in Palatio.

Interim tamen non ceſſabatur ab exſecutione Pacificationis, nec Delegatis exciderat quarundam perſonarum ſpecialis recommendatio. Hiſpani intercedebant apud Regem pro reditione Ducis Aumalii. Reſpondit Rex, ſi Antonio Pereſio reſtituantur liberi & bona, quibus in Hiſpania priuatus eſt, tum ſe Duci Aumalio facturum, quod petitur. Hiſpani replicarunt, Pereſium, qui propter Inquiſitionem Hiſpaniâ exceſſerit, non poſſe Duci Aumalio opponi, qui non Franciâ ob nullam aliam cauſam, quam bellicam illam, exceſſerit. Ita quiſque acquieuit in eo, quo prætendebatur, aut rei conditio fieri non permittebat.

Poſtquam Legati Hiſpaniæ omnia, quæ deſiderabant pro Pacis exſecutione, obtinuerunt, admirari cœpêre Palatia Regis, & mirabilia Lutetiæ Pariſiorum, quam verè vrbem Regum æſtimabant, vt de Roma dicebat Cyneas. Nec ſine liberalitate Regis abierunt, donati ab eo ſupellectile & inſtructu integro vaſorum argenteorum. Quatuor tamen primarii manſerũt obſides, in fidem reſtituendarum ciuitatum, quemadmodum in tractatione conuentum fuit. Quæ reſtitutio ſecundo poſt menſis Augusti die facienda, tantâ fide cœpta eſt in Picardiæ ciuitatibus, vt Rex, non exſpe-

Lutetia ciuitas Regũ.

Cyneas interrogatus à Pyrrho qualis Roma eſſet, reſpondit Regum vrbem ſibi videri. IVSTIN. lib. 8.

1598.

ctata tota restitutione, obsides remiserit, solis verbis eorum confisus.

In postremo Pacificationis Articulo dictum fuit, vt Archidux iuraret Pacificationem, ab Rege Hispaniæ ratificatam; & vt tres menses post ipse Rex Hispaniæ idem sacramentum repeteret.

Deputati Regis ad Archiducem pacificationis decreta iuraturum.

Conuentum etiam per tractationem fuit, vt Archidux, qui nomine Regis decretum Pacis approbauerat, eiusdem obseruationem eodem iuraret nomine, in præsentia eorum, quos Rex destinaret. Qui noluit alios ei muneri allegare, quam eos ipsos, qui totum negotium tanta cum industria & dexteritate peregerunt, Belleurium & Brulartum, primarios Regni Consiliarios, iuncto eis Birono; cuius virtute factum vt Ambiani receptione finis bello imponeretur. Nec Rex contentus hunc tali honore affecisse, vt Legationis Princeps esset, adiecit & alium longe maiorem & durabiliorem. Namque Rex, qui numquam obliuiscitur generosorum gestorum & virtutum magnarum, æstimans honorem esse omnium suauissimum cibum, quo virtus nutriatur, & quod in * Republica bene instituta rebus præclare gestis, laus & præmium tribuenda sint, voluit Marescalcum Bironum fieri exemplum adæque suæ gratiæ, quam fidelitatis fuit in obsequio. Propterea † Baronatum Bironianū erexit in Ducatum & Pariatum. Receptus fuit in Parlamento communi omnium applausu, & singulari cunctorum assistentium attestatione, hos honores vtcumq; grandes & celsos nullo tamen modo æquiperare magnitudinem eius meritorum: non esse Fortunæ dona, quæ sæpe ex Poltronis faciat Aratos, sed Virtutis, * cuius omnis actio bonum est, quæve nullum præclare meritum inhonoratum relinquit. Ita positus fuit in numerum Regi proximorum & factus Par Franciæ, qui erat sine pari in virtute. at qui procul absunt, non debent inuidere eis, qui proximi sunt. Quo quis longius abest ab Ioue, tanto absentiùs est ab eius fulmine. Celebrauit autem conuiuium splendidissimum in honorem nouæ istius dignitatis. Cui vt postridie interesset Rex S. Germani fano profectus est, testaturus hac sua præsentia nondum se periodum descripsisse honoribus, quibus remuneraturus sit perseuerantiam eius in officio, & constantiam rectæ voluntatis. Eo tempore nihil in ipso erat, quod non plus admirationis quam imitationis haberet. Muscæ calumniarum non poterant corrumpere corpus honorum vitâ animatum & fortitudine, quemadmodum solent corpora mortua & vlcerata perfidiæ plagis; & si quis voluisset nec recte in eum dicere, neminem reperisset sibi qui crederet. Animus viuebat adhuc in fide sui Principis; nondum hauserat pestilentem illum spiritum, qui & sanguinem eius corrupit, & sensus perdidit. Repræhensio eum non prius cepit, quam præter decorem & venerationem de Rege suo loqui cœ-

Marescalcus Bironus.

* PLATO in Menexeno.

VIII. Erectio Baronatus Bironiani in Ducatum & Pariatum.

Differentia Virtutis & Fortunæ.

* SENEC. epist. 103.

Conuiuium factum Parisiis 28. Iunii à Duce Birono.

Πόῤῥω Διός τε καὶ κεραυνοῦ: *Procul à Ioue & fulmine.*

Honor est vita animæ.

Quū Chrysippo diceretur, inimicū sibi male dicere, respondit; Ego ita viuam, vt illi nemo credat.

1598. pit.* Quidam amicorum ei tunc pro oraculo suæ fortunæ fuit, dixitque in os, nisi abstineret ab liberis illis & licentiosis vocibus, fore vt pœniteat. Ad quem ille; ecquid mihi faceret, inquit? Hoc ipsum, inquit alter, quod minime times. Et quum ille instaret, vt clarius loqueretur, hic, qui nouerat Principes esse delicato ac subtili gustu, minusque indulgere offensas, quas fortius dissimulant, dixit ei subexcandescendo arridens, Regem illi caput ablaturum. Quæ comminatio tam procul abfuit tunc ab exemplo, vt in ludum & risum versa fuerit. Malæ machinationes, quæ iam cœperat animum eius occupare in Legatione ista Belgica, prædictionem verificauerunt.

* Id dicitur de Magno Priore Campaniæ.

Principes delicati in offensis.

Nihil potuit illum infelicitare, quam felicitatis excessus, qui omnem ei moderationem turbauit. a Si minus fuisset fortunatus & prosper, magis fuisset sapiens & prudens. Verum, vt b nihil difficilius toleratu est quam ingens fortuna, quæ licentiam & insolentiam adfert, quemadmodum econtra moderationem & discretionem infortunium; prosperitas obcæcauit oculos mētis eius, vt magnum lumen obscurat lumina corporis. Non potuit se continere in medio fortunarum suarum, indignans esse qui erat, & quærens esse qualis non poterat fieri. Noua ista dignitas Ducatus & Pariatus Franciæ oleum suffudit in ignem. Plerique omnes Principes in eo errant, quod quos diligunt, nimium exaltant, quos postea non temere & difficillime iterum deponant. Carolus V. Imperator Regem Philippum filium suum monuit, ne magnas dignitates conferret, nisi in eos, qui per statum conditionis non audent altiora sperare. Namque ambitio semper sublimiora cogitat, quæ occasionem nacta cogitationibus aptam, non desistit, donec ad extremum gradum peruenerit. Dicebat, satius esse vt obsequia recompensentur dignâ liberalitate, quam nimiâ magnarum dignitatum concessione. Summus honor Principum eius Aulæ post Ordinem Aurei velleris erat, vt in præsentia Regis liceret eis caput tegere: nec promiscuus omnium Principum, sed eorum tantum, quibus vel iure successionis vel ex beneficio bene præclareque meritorum compete bat. neque etiam temere hominibus nouis concedere solebat. Antonius Leua, qui optime meritus erat in bello Italico de Imperatore, præ honoris huius ambitione disperibat.[a] Quotidie solebat primo mane ad Imperatorem se præsentare, qui pedum eius infirmi ate commotus hominem assidere iussit. At vero grandæuus Capitatuus hic est Aquisgrani ex mærore animi, vt opinantur; quod consilium de intercipienda Prouincia datum non successerit ex voto, annum agens ætatis 52. m. De eo leguntur hi versus; *Implicitus cunctis morbo artibus, horrida bella. Artibus & ferro gessit & explicuit.*

Magna prosperitas haut facilis toleratu.

a *Felicitatis & moderationis diuiduum contuberniū* VAL. MAX.

b *Difficilius est reperire virū qui bona pulchre ferat, quā qui mala. Illa enim luxuriam & & impotentiā multis, hæc vero moderationem omnibus afferunt.* XENOPH.

Non oportet dare magnas dignitates magnis.

Propterea voluit vt nothus suus Ioan. de Austria fieret Ecclesiasticus. cui⁹ rei neglectæ postea Philippum pœnituit.

[a] Imperator vtebatur familiariter operâ Ant. Leuæ prudētissimi omniū Consiliariorum, & cuius omnis vis in ingenio sita erat, quum manibus pedibus captus per podagrā esset. Mor-

Antonius Leua podagricus.

neus

1598.

neus reſponſo ad ambitionem ſuam accommodato dixit, non pedes ſed caput ſibi dolere; ita non potuit quin inſanam cupiditatem tegendi caput in pręſentia Regis turpiter reuelaret. Et quamuis notæ iſtę honorũ vanæ & inanes ſint, tamquam cupreſſus infructuoſæ, & tituli Ducum atque Parium, qui implent perſæpe homines inaneis, non inaniant arcam Regis, tamen conceſſio eorum eo dignior & gratior eſt, quo rarior, & refuſio aut difficultas allicit, & auget deſideria. Verum quidem eſt, non fuiſſe noui quid factum in creando Mareſcalci Bironi filio Franciæ Mareſcalco: Vetus familia poterat honerari titulo Ducatus: Magnus Capitaneus, cui tantum debuit Francia in ſui reſtauratione, dignus erat honore & titulo Paris: ſed hoc erat in medio curſu munerari de eis, quæ vix poſt adeptam metam ſperare debuerat; hoc erat ſimul in magna quantitate dare, quę paullatim ei in annorum interuallis & pro partibus meritorum cõferri debebant; hoc erat mercedem totius diei nimis celeriter dare, quum neſciretur an opus veſpertinum reſponſurum eſſet matutino, id quod raro fieri aſſolet, adeo animi hominum procliui ſunt ad malum, & * matute à rectis in vitia, à vitiis in praua, à prauis in præcipitia peruenitur.

Raritas excitat deſideria magnarũ dignitatum.

* VELL. PATERC. l. 2.

Primum igitur officium, quod Dux Bironus, in noua iſta Ducatus dignitate, præſtitit, Legatio fuit in Flandriam. Comitatum ſuum Peronnæ inſtruxit, inde profectus Cameraci pernoctauit. In medio vtriusque ciuitatis itinere Comes Soranus illius regionis Pręſes ei occurrit, & ſalute multis ceremonioſis verbis dicta aperuit mandatum ſui Principis de eo in via commodando, & Bruxellas vſque deducendo: quod & fecit. Cameracenſes ei conuiuium in Curia celebrarunt. Pariliter eum & Valenciani & Montenſes tractauerunt. Quum eſſet ad D. Virginis Haltenſis, tertio à Bruxellis lapide, obuiam habuit Magiſtrum Aulæ Archiducis cum quinquaginta militibus, qui eum deducerent. Poſtridie, qui fuit quinctus profectionis dies, haut procul Bruxellis offendit in itinere Comitem Mansfeldium, Ducem Aumalium & Principem Auranium, amplius ducentis equis comitatos, qui eum nomine Archiducis ſuſceptum in vrbem & hoſpitium perduxerunt. Eo die, qui erat Veneris, quieuit: poſtero Archiducem adiit. Eum Comes Mansfeldius, Belleurium Dux Aumalius, Brulartum Princeps Auranius deducebãt. Ingreſſi hoc ordine in cubiculum offenderunt Archiducem ſolum, cum Epiſcopo Antuerpiano & Præſide Richardoto. Dux Bironus primus verba facere cœpit: quem ſecutus Belleurius dimidiam fere horam perorauit. Reſponſio Archiducis in quadrantem pæne ho-

Legatio Ducis Bironi in Flandriam.

Quum Dux Biron⁹ Bruxellas ingrederetur, Archidux è feneſtra ſemiaperta, ne cognoſceretur, proſpectabat.

Belleurii oratio de pacificatione.

1598.

ræ producta. Dominica insequenti Dux Bironus in Ecclesiam maiorem, viginti ab Archiduce curribus submissis, vectus est. Locus ei assignatus in dextera Chori cum omnibus Proceribus ei adiunctis: Archidux in sinistra assidebat in sella Damasceno rubro circumdata, quatuor pueris cereas faces candidas ante eum tenentibus. Absolutis Missarum solemnibus Episcopus † Antuerpianus Euangeliorum librum mensæ ad id in medio chori erectæ imposuit, & Archidux iurauit obseruationem Pacis nomine Regis Hispaniæ.

Faces in die accensæ.

IX.

Sedes Archiducis circũdata Damasceno rubro non dissimilis lecto apud nos stragulato, præsidiariis militib. circumstantibus.

Archidux iurat & subscribit Pacẽ in maiori Ecclesia Bruxellana.

In egressu Ecclesiæ complures generosi equi erant pulcherrime parati, quorum præstantissimus Duci Birono præsentatus fuit, qui eo conscenso ad Palatium Archiducis contendit, quo ad prandium erat inuitatus. Cum Archiduce in eadem mensa accumbebãt Dux Bironus, Belleurius, Brulartus, Comes Mansfeldius, Dux Aumalius, Princeps Auranius, Episcopus Antuerpianus. In secunda mensa assidebant viginti Nobiles Galli, à Duce Birono delecti, cum octo aut decem Hispanis & Valonis. Sumpto prandio Archidux eos in pinacothecam perduxit, vbi omnium totius regionis elegantissimæ, artificiosissimæ & ingeniosissimæ picturarum tabulæ erant. Inde in theriotrophium, in cuius meditullio ædes erant, in quas se Carolus V. Imperator Imperio & ceteris Regnis se abdicans secessit. Comes Mansfeldius postero die Ducem Bironum & decem ex Nobilibus Gallis conuiuio satis lauto excepit. Sublatâ mensâ omnes in circuitum stiterunt vitra vino plena manibus singuli tenentes: quo in ordine Comes Mansfeldius: Quandoquidem stultitiam nostram in vitro & cum vino hausimus, par est vt eam ibi relinquamus, & cum dicto vitrum effudit ac fregit. quem ceteri dein ordine imitati. *a* Quot dies Bruxellis fuit, totidem conuiuia vidit, & semper vitra vacuata, vt infunderentur anni Principum pro salute eorum & commoditate. Sicut Hispani & Belgæ, secundum consuetudinem regionis, quæ aliquo modo *b* ad Græcorum in mensa clamores accedit, alter alterius humeros ad hilaritatem excitando pulsabant, ita Franci post reditum validis pugnorum ictibus, quibus vel Milonem enicare potuissent, se inuicem iocantes ad alacritatem cohortabantur. Ostentata & regionis fortalitia, ciuitates Antuerpia, Gandauum, Insula, Terremonda. Belleurius & Brulartus Iustum Lipsium Historiographum Regis Hispaniæ videre desiderabant. Flandria videnda est propter Louanium; & Louanium propter Lipsium, qui eius est ornamentum omniũ dignissimum. Quæ

Conuiuium in Palatio Archiducis. Pinacotheca.

In hoc viuario caprearũ, hinnulorum, & Damarum ingens multitudo cernitur, & seclusorium piscinæ.

Mansfeldii Comitis alacritas.

a Dux Aumalius ad cœnam inuitauerat totũ Gynæceum Aulicum, nec in ea vllus vir, præter Archiducem, Ducẽ Bironum, Principem Auranium, Comitem Grãmontium, & iuniorem Rhonium, accũbebat: ipse Dux Aumalius Magistri Aulæ officio fungebatur. *b* Cuius consuetudinis nonnulla mentio in aliquot locis apud Athenæ. lib. 4. & Dionem in vita Commodi.

Cõsuetudo Germanorum, Heluetiorum & Belgarum.

Lipsius Professor Louaniensis.

enim

1598.

enim ad Historiam illustrandam contulit, merentur, vt ad eum visendum tantundem viæ consumatur, quantum ille confecit, qui à Gadibus vsq; Romam ad *c* Titum Liuium videndũ venit. Omnes redierunt honoribus, quibus affecti erant, contenti, & per hospitia publicis sumptib. excepti. Archidux *d* Duci Birono duos equos donauit, quorum vnus totus niger Cerba appellabatur, alter ad Isabellæ naturam, albus & venetus, Pastraua dictus. Insuper ei duos catinos vnumque vas ex auro, viginti paria Chirothecarum Hispanicarum, signum, sertum ex pinnis albardeolarum, gladium, cuius capulus, cingulum, & pendulum multis pretiosis gemmis erant ornata, dono misit. Belleurio quoque & Brularto tapetiarium cuique donauit, quingentis scutatis æstimatum, & torquem aureum. Singulis quoque Nobilium Gallorum laminam gladii, & par Chirothecarum Hispanicarum, quibus admodum contenti ad nos redierunt. At Dux Bironus tanti non faciebat dona in se collata, quam pretium, quo virtus eius ducebatur, si eam in Regis Hispaniæ officio præstare non nollet. Picotius ei pestile hoc philtrum propinauit: quod ei ad febrem causa fuit, quæ sanari postea non potuit, nisi infami illa phlebotomia, de qua inferius suo loco dicemus. *e* Fuit tũc in Aula Archiducis Nobilis Gallus, vir probus & patriæ amans, qui Regem statim, vbi percepit, de Bironi corrupto animo certiorem fecit.

c Quem Cæsar Augustus, qui tunc vniuerso orbi imperabat, aut Roma ipsa rerum Domina & omnium virtutum domicilium ad se trahere non potuit, vnius priuati viri fama ab vltimo mundi angulo protraxit. PLIN. Epist. lib. 2. ad Nepotẽ.

d Quæ duci Birono donata fuere, nouem aut decem millibus scutatorum æstimabantur.

e Roisserius Aulicus Archiducis detexit machinationes Ducis Bironi, Regemq; monuit.

Primæ subornationes Marescalci Bironi.

X.

Adhuc superabat † Dux Sabaudiæ, qui Pacis beneficio fruiturus sese ad eius obseruationem eodem pacto obligaret, quum * nullum vinculum ad adstringendam fidem iureiurando artius esse possit. Rex ad Gubernatorem Lugdunensem scripsit, libenter quidem voluisse, vt is suo nomine iusiurandum à Duce exigeret, nisi metueret, ne absentia eius damnum rebus suis gigneret, nec indispositio Legationem hanc ei non permitteret. Ideo Gadagneo Senescalco Lugdunensi, & Equiti Ordinis Regii, mandauit, vt illò proficisceretur. Res gesta fuit Camerini in Ecclesia Frãciscanorum, die secundo mensis Augusti, qui fuit Dominicus, vbi Dux ipse præsens, comitatus Equitibus Ordinis Annuntiationis. Tum Dux ad contestandam summam voluptatem, quam ex pace & reconciliatione cum Rege ceperit, Gadagneo dixit se tenere hunc diem pro omnium fortunatissimo in omni vitâ suâ, cuiusve memoriam nulla vmquam dies reliquæ ætatis obliteratura sit: existimareque non modo imprudenter, sed & infauste cæciterque facturum, si felicitatem pacis cum belli miseriis commutare glisceret. Dux remisit Gadagneum & omneis eius Nobileis Comites ita affectos, vt habe-

* CICERO.

Guichius Gubernator Lugdunensis.

Gadagneus Botheonus appulit Camerinũ die Veneris vltimo Iulii, & Sabbato insequente cũ Duce tractauit de processu sacramenti, antequam solemnia eius auspicaretur.

rent

1598.
Dona Ducis Sabaudiæ.

rent quod de tractatione & liberalitate sua prædicarent. Distribuit signa gemmata, equos, torques aureos inter primores: cunctos autem adeo blandis sermonibus permulcebat, vt nemo esset qui non ei maiora commoda ex pace voueret, quam accepit. Nihil eorum recusauit, quæ ab eo in exsecutionem postulabantur pacificationis, pro liberatione & redemptu captiuorum, præterquam dimissionem Admiraliæ Castellioneæ. Nam † simulatq; Gadagneus iussum Regis de eâ liberandâ exponere cœpisset, statim Dux excepit; respectum, quo mandata & voluntatem Regis amplecteretur & obseruaret, ita ingentem esse, vt si sciret se Regi gratum facere, manum sublaturus sit de iure caduci omnium bonorum Admiraliæ Castellionææ, eamque restitueret in longe maiorem libertatem, modo exspectare vt Regiæ Maiestati in præsentia exponat iustam detentionis eius causam. Nam quod Romæ super absolutione eius ordinatum sit, esse potius in gratiam Maiestatis Regiæ factum, quam rationis, eo quod cum libris & chartis exsecrabilibus & damnabilibus depræhensa fuerit. Affectio erga Comitissam plerosque omnes Franciæ primarios Officiales, & complures magnos Regni *a* Principes consanguineos eius & affines percusserat. Rex ei fauebat propter infortunia, quæ passa fuerat: carceres, amissiones bonorum, inuidiæ commisserationem illi conciliabant. Ipsa quoque adeo læ a-batur in prospero Regis successu, vt quamuis in medio hostium eius esset, tamen ignem suorum desideriorum neque sub cinere afflictionis, neque sub fumo dissimulationis celare potuerit. Si potuisset præstare id, vnde accusabatur, æque subitas mutationes in terra fecisset, quam *b* Henricus Sueciæ Rex in aere fecisse perhibetur; & ita promptas ac admirabiles, vt voluntas eius erat tota in id desiderii inclinata, vt Rex fieret victor ac triumphator omnium hostium suorum, & ius suum in Nicæam & Salutiam consequeretur. Dedisset ei ventos tam fauorabiles & prosperos, quam Magi Finlandiæ & Laponiæ dare solent, quibus in portum desiderati propositi appellere potuisset. Cum in spe esset, Pacem sibi nonnullum fructum allaturam, & recommendationem Regis per suum Legatum nonnihil *c* induciarum daturam miseriis suis, scripsit ad me literas de miserabili fortunarum suarum cursu, vbi inter alia ingenii sui elegantissimi specimina, etiam hæc verba habentur, quæ, cuiusmodi fuerit, melius posteritati declarabunt, quam multi eorum, qui eam viderunt, fuisse iudicarint. *Etiamsi* (inquiebat illa) *dissimilis sit comparatio,*

XI. Mandatum Regis de liberatione Comitis Antremontanæ.

† Iacobina Comes Antremontana, vxor Admiralis Colinii, captiua Yvreæ, vbi decessit.

Sententia absolutionis.

a Connestabilis, Cardinalis Ioyeusanus, Dux Ioyeusę, Andelot⁹, cum Legato agebant, vt operam daret, quo illa iustitiam consequeretur.

b Henricus Sueciæ Rex iaciens pileum suum in aerem, eum pro libitu suo mutabat. Hinc etiamnum appellatur *Pileus ventosus*,

Stupendi Magiæ effectus.

Magi Finlādiæ & Laponiæ.

c Ingens Veneticorū est numerus in Finlandia & Laponia: qui ventos vendere nauigātibus solent. Tres in chorda nodos flectunt. Resoluto primo, ventum faciunt, quem quis petierit: altero, tempestatem & procellas creant: tertio, perdunt & pessumdant naues.

Epistola Comitis Antremontanæ ad Auctorem.

vt ele-

1598.

vt elephantis cum musca, tamen eatenus admitti potest, quatenus animal est vegetatiuum & sensitiuum. Fortuna & d mea & domus meæ eadem fuit cum Franciæ & Regis, quam perpetim & indiuidue secuta est. Nam inde ab eius infausto matrimonio semper in peius ruere cœpi, vsque dum me totam fortuna pessumdedit, per eius improsperia & infelicitatem. Nunc cum Deus illi det cumulum suarum benedictionum, vt vindicet se de inimicis per eos ipsos, qui erant inimici, & contra conspirationes improborum, prӕterque iudicia bonorum gaudeat sua hereditate, bona in spe sum mutatum iri vitæ meæ conditionem. Desidero tamen mutationem, quæ sit mihi bona: sin, non mutauerim sentētiam, quam concepi de recipiendo bono & malo, tamquam de manu Dei. Ego eam potestatem in Fortunam habere cœpi, vt in posterum eius iniuriæ, vtut violentæ aut subitæ, numquam mihi nouæ aut miræ accidere poßint. Aßueui iam meis afflictionibus, vt gallerianus remo. a *Neceßitas me fortiter ferre docet, consuetudo facile. Hoc tibi scribo,* &c.

Dies S. Bartholomæi.

Rex se vindicat de inimicis per eos ipsos.

Consuetudo edulcorat afflictionem.

d Admiralis Colinius Comitem Antremontanā in vxorem duxit Anno 1571. ex quo tempore incessanter cum fortuna cōflictari cœpit.

a SEN. de Tranquill. vitæ c. 10.

XII.

Rex etiam † in mandatis Gadaneo dederat, vt ad Ducem referret, conquestos apud se tertia vice Geneuenses, de præsidiariis, quos circumcirca in propugnaculis collocasset, exercentibus hostilitates insupportabiles, capientibus ciues, traducentibus eos hinc inde in Sabaudicas iurisdictiones, & adigentibus ad lytra & contributiones indebitas: Maiestatem suam velle, vt hæc vrbs recipiat fructum & securitatem, quam commune Pacis bonum ei promiserit, & vt turmæ Ducis ad Zelotypiam & suspectionem tollendam procul abducantur. Dux noluit ad hæc scripto respondere, ne scilicet præiudicium forte prætentionibus suis faceret, quas se in eam vrbem habere dicebat iam abhinc annis amplius quadringentis: sed tantummodo retulit, *a* non æstimare se, eam vrbem in tractatu Pacis cōpræhensam fuisse, quod ceteræ vrbes & prouinciæ omnes particulatim in eo nominentur & specificentur, nulla Geneuæ mentione facta. Quod ad metum & suspicionem, non posse se vicinis tollere, sed *b* abducendo turmas, quæ ad se refocillandas circa eam vrbem substiterant, & in Longobardiam trans alpes mittendo sublaturum se eis cunctum timoris subiectum, vt cui non sit animus belli miserias præferre Pacis felicitati.

Geneuenses pter hæc cōquerebātur etiam de captiuitate & redemptione cuiusdā Ministri Ecclesiastici à militib. Sabaudis intercepti.

Querellæ Geneuensium.

Prætentiones Ducis.

Geneua cōpræhensa est inter confœderatos.

Milites abducuntur.

XIII.

Ingens † illa læticia super Pacis confirmatione, quæ in cordibus Principum, eius obseruationem iurantium & mandantium, recuneabat, extemplo se per omnes populos eorum obedientiæ subiectos distulit, *c* quibus mandabatur vt grates Deo persolue-

Mandatum Regis de publicatione Pacis.

a Villeregius in exemplari impresso Articulorū Pacis propriâ manu 34. articulū notauit & in margine adscripsit pro instructione Domini Botheonis, sub generalitate sociorum & confœderatorum Heluetiæ etiam Geneuenses fuisse compræhensos.

b Dux mandauit Ioanni Mendozæ Hispano, vt regimentum suum, quod constabat ex mille ducentis militibus, è terris Geneuensium, in Ducatum Mediolanensem abduceret. *c* Rex per literas scriptas Blœsis vltimo Maii mandauit Gubernatorib Prouinciarum, vt tubarum sono Pacem publicarent per præcones publicos in Gubernationum suarū districtib. agendo gratias Deo, & iuberent obseruari à cunctis, nec permitteret quidquam quod ei aduersari videretur.

1598. rent, & mille benedictionibus exsultarent, recognoscentes hoc beneficium esse effectum extraordinariū sancti illius & sublimis Spiritus, qui gubernat harmoniam Angelorum & Cœlorum, qui per discordem concordiam sustinet Elementa, & qui pro bono Christianitatis duos primos Christianorū Principes reconciliauit. Non est solemnior declaratio lætitiæ publicæ, quam quæ fieri solet per ignem, cuius lumen plus, quam vlla res elementaris, Diuinitatem repræsentat, sicut Plato dicit Deum habitare essentiam ignitam, vnde oriantur riui omnis lætitiæ & consolationis. Nihil clarius monstrat beneficium Pacis quam ignis, quia quemadmodum *d* ex igne factæ sunt omnes res iuxta Zoroastrum, tamquam omnium rerum principio secundum *e* Heraclitum, ita ex pace proueniunt omnia felicitatis genera. Et velut sine Vulcano Minerua non fuisset producta ex cerebro Iouis, id est, artes, quę in praxi consistunt, sine igne mansissent inutiles, ita sine Pace omnes elegantes inuentiones residerent & marcescerent in tenebris, si lumen eas non produceret in apertum. Omnes Franciæ vrbes faciebant ignes lætitiæ, quam quæque poterat exsultantissime. Ciuitas Parisiensis pro cinctura habebat catenam oliuariam, & supra complures lanceas, hastas, spicula, pila, hallebardas, gladios, tympana, tubas, & alia instrumenta bellica repræsentata circa hominem armatum, qui consumptus fuit ab igne egrediente ex oliuis arenæ puluerariæ plenis. Accensus hic ignis in palatio Greuano, vbi spectatus est, vna cum *f* tabula, in qua Regis imago, & iuxta eum Victoria, Clementia & Pax.

Ignes lætitię pro Pace.

Ignis principiū omniū rerum.

Vide Vignerium in tabulā de natiuitate Mineruæ.

Ignis lætitię Parisiis 24. Iunii.

XIV. At omnium † ignium lætificorum, celeberrimus, artificiosissimus, inuentione & sumptibus speciosissimus fuit is, quem Lugdunenses exhibuerunt. Is, cui negotium eius celebrandi commissum fuit, (hunc enim honorem accepit, qui designationem eius fecit, & excogitauit ornatum) voluit ea conditione esse compositum, vt ostendens in die flores & fructus Pacis, in ventum & aquam proiiciat miserias & cineres belli. Non amabat sequi vestigia eorum, qui in huiuscemodi occasionibus semper solent arma comburere. Hæc enim necessaria sunt ad conseruandam Pacem, & in ea iustitiam, quæ semper gestat gladium in manu. Exædificari curauit turrem pulchræ, grandis, altæ & iudiciosæ structuræ, ad repræsentandum eam, quæ fuit exstructa tamquam refugium in secundi forte diluuii furore, & quæ prostrata fuit non, vt *a* Abydenus & Alexander dicunt, violentia venti, sed spiritu Discordiæ, quæ se miscens in medio ædificatorum eos confudit & conturbauit. Erat pro signo hieroglyphico confusionis, quæ aperuerat & operuerat omnia Regni hu-

Ignis lætitiæ Lugduni 21. Iunii.

a Alexander Polyhistor & Abydenus scribunt, Deos prostrauisse turrem istā in turbine venti, & deiecisse in capita ædificatorum.

d *Peractis omnibus quæ constant ingenio artem natura faciente, succurrit mirari nihil non igne perfici.* PLIN. lib. 26. c. 26.

e Heraclitus Ephesius dicebat, principium vnicum esse ignem, quia sit subtilissimū omniū corporum, & ex quo primū cœli fuerint cōpositi.

f Hi versus erant velut interpretes tabulæ: *En tibi præpetibus felix Victoria pennis, Quæ volat & lætum adducit Clementia Pacem. Vnde salus populis te Rege Henrice beatis.*

Arma in omni tempore necessaria.

Turris Babel vel confusionis.

1598. Descriptio turris.

b Pictura turris impressa, in cuius fine est Discursus super hoc subiecto & super bellis domorũ Franciæ & Austriæ. per Theobaldũ Ancelinum typographũ Regium Lugduni. Bellum mater omnium vitiorum.

gni huius loca, durante bello extraneo & ciuili. In Colosso erat b Bellona furiosissimum in modum horribilis, crinibus serpentinis, portans in vna manu acinacem sanguinolentum, & in altera facem trium flammarum, quibus significabantur duo bella ciuilia, & tertium extraneum, quæ Franciam afflictauerunt, & eo loci redegerunt, vt vnaquæque ferme prouincia Regnum fieret, & videret cachinnos hostium, tamdem etiam prędam ipsorum ambitionis. Et quia dicitur Tartari & Terræ filius, qui quod ausus fuerit bellum Ioui inferre, deturbatus fuit in montem Ætnę, habuisse centum capita Draconis, ita monstrum, quod Bellonæ pedibus subiacebat, tot habebat capita, quot annos bellum in hoc Regno durauit, omnia ignibus artificialibus farcta, quibus notaretur, bellũ esse matrem omnium vitiorum, quæ ab eo pariuntur, nutriuntur & educantur. Ipsum monstrum sub se habebat centum statuas, quæ turrem Confusionis inhabitabant, & vniuersas Reipublicæ pestes repræsentabant, quæ durante diuisione dominantur, vt sunt Iniustitia, Rebellio, Crudelitas, Impietas, Rapina, &c. REBELLIO, vestita ad habitum eius gentis, quæ præ cæteris omnibus famigerabatur per tętras rebellationes, sola in loco suo immobilis perstitit, ignique magis quam vlla alia restitit. Id tum multorum cogitationes fatigabat, quod postea cum euentu dicere potuere, hoc Regnum ita plenum esse infidelitatum & inconstantiarum, vt numquam defuturi sint homines factiosi, qui Iouis Aquilam allatrent; numquam seditiosi, qui pusillanimos timoribus Panicis turbent. Hoc venenum manat insensibiliter per aures, & ad cor vsque penitrat. Si remedia non adsunt æque parata, quam malum est subitum, pergit semper in furia, & excitat horribiles defectiones. Si non exstinguatur hic serpens, dum adhuc formidine legum serpit per herbam, cito videbitur capite eleuato incedere, & horrendis sibilis totas vrbes venenare. Vnaquæque statuarum in pugno tenebat ingentem facem ignium artificialium; cunctæ Draconum fauces iaciebant fusos & lanceas ignitas; tota turris cooperta erat aliis ignibus, qui exterius flammabant, vt posset conspici pulchritas architecturæ eius turris, quæ postea penitus combusta est, & cum eâ duo millia coronatorum. Nam tantidem constitere sumptus in eam expensi, nec quidquam inde reliqui permansit, præter solam inscriptionem, quæ & postea fuit impressa vna pariter cum pictura turris & aliis compluribus elegantibus & ingeniosis a inscriptionibus super tam plausibili & iocundo subiecto.

Typhon gigas centum capita Draconis vno fulminis ictu exterminauit. Vide Pindar. I. Pythi.

Statua Rebellionis loco integra perhæsit etiam cæteris omnibus combustis.

Vltima statua combusta.

Prænueniendum est seditioni.

Subditorum rebellioni antequam confirmetur, est primo quoque tempore obuiã eundum. TACIT.

a Inter quas inscriptiones & hic versus Chronicus legebatur; *FVLta DVos reges Vno paX nVMIne IVnXIt.*

Ignis iste lætitiæ constitit duobus millibus scutatorum.

Beneficium † istius Pacis adeo percepit interiora populi cor-

XV.

1598. da, vt multo tempore & vocem & oculos Cœlum versus sustulerit supplicando vt ad minimum possit esse diu durabilis, quum per cōditionem rerum mundanarum non possit esse perpetua, promittens sibi, durante illa, se visurum Franciam mutare damna in gaudium, infortunia in felicitatem, discordias in concordiam, sterilitates in abundantiam longe maiorem, quam *b* Indica ferat tellus, quæ duas messes duasque vindemias annuas habet. Numquam recepit noui quidquam tantis cum benedictionibus, nec maiori perfusa vmquam fuit lætitiâ, quam accepto Pacis nuntio. Nec Rex potuit maiorem felicitatem Regno suo acquirere, aut relinquere posteritati perfectiorem memoriam, quam gloriam perfecti tanti Pacis templi. Quidam ex prædecessoribus, qui ob sui valorem gladii cognomentum MAGNI sortitus est, & Imperium ex Oriente in Occidentem transtulit, non se posse quidquam existimauit magnanimitate & amplitudine sua dignius præstare, quam per commerciorum modum ex vniuersa Europa vnam concinnare Franciam, ceu Alexander Magnus ex omni Asia vnam effecisse Prouinciam dicitur. Ea re *a* Saonam cum Mosella iungere aggressus est, quæ Rhenum influit, & ipsum *b* Rhenum cum Danubio commiscere, qui sexaginta fluminibus auctus in mare exoneratur. At magnus noster Rex, qui per magnitudinis suæ valorem ex Neraco fecit totam Franciam, nunc per effectum tam felicis Pacis vniuersum mundum cōstituit communem Francorum terram, & cunctas Franciæ ciuitates refugium totius mundi.

Gloria sit Deo, inexhauribili concordiæ & Pacis scaturigini, & de quo, vt dicit *c* ille, qui iudicio Oraculi habitus fuit dignus qui inter Sapientes in terra, & inter Deos in cœlo reponatur, non est dicendum, nisi animo ad tranquillitatem & pacem composito; & qui auferens pacem suam à terra, eam reddit desertam, vt inquit Trismegistus. Honor dein debetur Clementi VIII. Patri patrum, exhortatori & directori sanctorum huius reconciliationis consiliorum, vetus Papa & Pastor communis Christianorum, mediator & conciliator Pacis. Cardinalis Medicæus Archiepiscopus Florentinus in promouendo & perficiendo opere non parum laborauit. Namque omnes tres Principes ingenue confessi sunt, se ei multum esse obligatos. Is accessit Regem Fontebellandi post exsecutionem Tractatus, vt ab eo veniam redeundi peteret Romam, ad reddendam suæ Legationis rationem, protestatus non morari se quin cursum vitæ suæ vna pariter cum itineris huius cursu finiat, postquam tam grande opus perfecerit, quum *a* *Nihil animo iucundius sit, quam id*

vide-

b ἡ Ινδικὴ δίκαρπος καὶ δίφορος: *India bis fructū fert vno in anno.* STRABO lib. 15.

Caroli Magni memorabile institutum.

C. Tacitus loquitur de consimili instituto.

Deus primus auctor Pacis.

Papa fuit sollicitator.

Publicum super pace gaudium.

a *Facies rerū naturæ, quam mutare Francus statuerat, vt ab æuo fuerat, permāsit.* ÆMIL. l. 2.

b *Quicquid terræ interdiu erigebatur, noctu humo relabente subsidebat.* AVENTIN. lib. 1. Annal. Boior.

c Plotinus, præceptor Porphyrij, cognomine Diuinus; in cuius vita Porphyrius scribit, eum oraculo Apollinis positum esse in numero Sapientū præsentis, & Deorū futuri mundi.

videre & audire, quod desideret. Rex eum suscepit reuerentia & blandimentis solitis, ei gratias agens pro labore, quem pro exstinguenda belli flamma gesserit, rogans vt in sui memoriam recipere vellet Adamantem decem millibus coronatorum æstimatum. *b* Mandauit dehinc Belleurio & Brulatto & quibusdam aliis Curiæ suæ Aulicis, vt eum discedentem comitarentur vsque Moretum. Iter enim per Burgundiam, & inde Rhætiam Curiensem intendebat. Ista reunio & reconciliatio trium Principum pro miraculo habita fuit, & quibusdam etiamnum habetur propter miraculosum anagramma, quod ex eorum nominibus compositum fuit huiusmodi; *c Triple branche d'Olyue ha pacifiè le monde du bon-heur si asseurè,* quod referri potest ad triplicem nodum tam difficilem ruptu, de quo ipsa Sapientia loquitur.

1598.

Miraculum Pacis.

a NICEPHORVS.

b Alexander Medicæus Cardinalis Legatus Papæ, discedit Fontebellã di initio Septembris, reuersurus Romam.

c Anagramma sumptũ ex Discursu de Publicatione Pacis, impresso Camberini.

Summarium quartæ Narrationis.

1 *Regnum diu multumque durabile semper subiectum est famosis accidentibus.*
2 *Natiuitas Regis Hispaniæ, educatio, instructio & gubernatio.*
3 *Carolus V. exsuit se Coronis & Imperij & Regnorum Hispaniæ.*
4 *Expeditiones Regis Hispaniæ contra Mauros in Regno Granatensi.*
5 *Contra Turcos in defensione Melitæ.*
6 *In Belgio contra Ordines per suos Gubernatores, Ducem Albæ, Commendatorem Castiliæ, Ioannem Austriacum, Principem Parmæ, &c.*
7 *In Portugallia contra vires Reginæ Matris nostri Regis & Antonij Electi Regis Portugalliæ.*
8 *In Anglia contra Reginam Elizabetham.*
9 *In Arragonia contra tumultus Antonij Perezij primarij eius Secretarij.*
10 *In Gallia per turbas Ligiorum.*
11 *Eius subductio & solitudo.*
12 *Gubernauit Indiam sola nominis auctoritate.*
13 *Afflictiones domesticæ per praua liberorum molimina.*
14 *Per ambitionem Ioannis Austriaci.*
15 *Per mortem quatuor coniugum.*
16 *Incommoditates & ruinæ senectutis eius.*
17 *Eius virtutes, Pietas, Iustitia, Liberalitas.*
18 *Vicia propter quæ culpabatur.*
19 *Dicta & facta eius memorabilia.*

1598.

NARRATIO QVARTA.

Mors particula vitę huius mundi.

a SEN. ep. 100.

b *Naturæ lex valida est, velle viuere.* EGESIPPVS in Orat. Iosephi.

Molesta dissolutio animæ & corporis.

MORS, particula architecturæ huius mundi & Ordinis Vniuersitatis, bene molesta illis contingit, qui putant mundum debere semper durare propter se, & conditionem suam magis metiuntur potentiæ suæ quam naturæ modulo, nec recordantur homines *a interuallis distingui, exitu æquari.* Rex Hispaniæ, qui inuincibilis videbatur ob tantas fortunæ vires, & victoriosus per plurima sui temporis accidentia, periclitatur nunc, & qui dederat pacem populis suæ ditioni subiectis, non potuit euitare intestinum propriorum affectuum bellum, cuiusmodi est quod anima & corpus sentiunt, quum alterum ab altero seiungitur, & *b* desiderium viuendi, quæ est validissima naturæ lex, se mutat in moriendi sententiam.

c Theodebertus Rex Austrasiæ, filius Hildeberti primi Burgundionum Regis, pater fuit Sigiberti, ex quo nati Otbertus & Theodebertus Comites Habspurgẽses in Vosego An. 625. Augmenta Domus Austriacæ.

Rudolphus Habspurgius.

a Matrimonium inter Maximilianum Imp. & Mariã Burgundam celebratũ an. 1477. mense Augusto. Ipsa mortua est an. 1483. die 2. Martii equo lapsa in venatione.

b Qui pro symbolo habebat equitem armatũ in campo clauso cum lancea arre-

Vita Principis, qui vixit annos LXXI. regnauit L. bellauit XXXV. renouauit in ætate suâ omnium famosissima Principum gesta, quæ ab antecessoribus patrata fuere, non potuit non esse magnis & memorabilibus rebus plena, scribundæque Historiæ dignis. Fuit is omnium familiæ suæ, quotquot exstiterunt, potentissimus, vtcumque origo eius aut à *c* Rudolpho Imperatore, Habspurgi in Argouia Comite, aut Theodeberto Comite Habspurgi in vallibus Vosegi ad Mosellam, deducatur. Nullus maiorum eius ad tantum culmen ascendere potuit, & nisi habuisset ea, quæ dependebant, non potuisset bellum in Belgio vel sex menses sustinere. Omnia iura sua agnatis resignauit, quemadmodum Carolus V. fecerat fratri suo, nihil sibi præter nudum Austriaci nomen reseruans, ditatus aliunde successione regnorum Castiliæ, Burgundiæ & Arragoniæ per duarum filiarum matrimonia, vnicarum heredum. *a* Maria filia Caroli Ducis Burgundiæ nupta Maximiliano I. Imperatori: Ioanna filia Ferdinandi & Isabellæ, heres Castilliæ & Arragoniæ, nupta Philippo Archiduci Austriæ, Principi animoso, *b* qui nec cuiquam cedebat, & cunctos lacessebat.

Pater & filius non potuerunt cursum integri sæculi absoluere.

Philippus Archidux Austriæ, pater fuit Caroli V. Imperatoris: & Carolus V. pater fuit Philippi II. Regis Hispaniarum. *c* Pater occœpit quintum & decimum sæculum Orbis Christiani, cuius finem filius non potuit attingere: & vterque non valuere omnis vitæ suæ annos centum numerare, neque integri sæculi reuolutionem videre, & nihilominus ante vigesimum ætatis annum Carolus fuit factus Rex Hispaniæ post aui Ferdinandi decessum, & Electus Im-

cta in manu, adscriptis verbis; *Qui volet.* *c* Carolus V. natus Gandaui 24. Februarii anno 1500. quo eodem anno & Sultanus Solymannus natus fuit in Oriente: & vterque mortuus mense Septembri, anno 1558.

1598.

d Dux Saxoniæ dicebat, Deum illis dedisse Imperatorem per gratiam & non gratiam.

Gott hat vns ein Kayser geben zu Gnad vnd Vngnaden. ALB. CRANTZ.

Pomp. Lætus de Magnit. Imperii Romani.

a *Magnorum Principũ virtutibus, summa sciẽdi non est vbi quisq; sit genitus, sed qualis in Rep. fuerit.* FLAV. VOPISCVS in Aureliano.

Philippus declaratur Rex Hispaniæ an. 1542. ducit Mariã Lusitanam an. 1543. cõtendit ad patrem in Germaniam inferiorem 1547.

perator Romanorum tamquam Germanici Regni Princeps, *d* partim volentibus partim nolentibus Electoribus. Quæ fuit magna gloria Philippo, quod patrem nactus fuerit tantum Principem, quantus inter Imperatores Occidentis post denatum Carolum Magnum nullus exstitit, dotatus magnis & excellentibus animi, naturæ & fortunæ qualitatibus, vt longe iustiori titulo, quam Reges Persarum, sese appellare potuisset, *Regem Regum, fratrem Solis & Lunæ.* *a* Verum quia plus refert scire, qualis fuerit Princeps, quam curiose in eius originem inquirere, cognoscendus nobis est per propria eius opera, & gubernationem Regnorum, quibus præfuit.

II. Natiuitas Philippi Regis Hispaniæ.

Philippus II. nascitur † Vailladoliti XXVI. Maii, anno M. D. XXV. eodem die quo pater eius Romam cepit, & Germani Hispanique Hunorum ac Gothorum populationes in ea exercerent. Anno ætatis XVI. declaratus Hispaniæ Rex: anno sequenti XVII. matrimonio sibi iungit Mariam filiam Ioannis III. Regis Portugalliæ: anno XX. relicta Hispania ad patrem contendens, Barcinone conscendit cum quinquaginta galeris, & Genuam appulsus, per Mediolanum, Tridentum, Oenipontem, in Germaniam contendit, per eamque mediam transiens, & Ducatum Lucemburgensem, Bruxellas pertendit, vbi ab Imperatore patre receptus, & in Belgio circumductus, in possessione Ducatus Brabantiæ inauguratur.

Iter Regis Philippi in Belgium.

Omne tempus, quod cum patre consumpsit, illi fuit certissimum tyrocinium, in quo res huius mundi & Regnorum, in quibus successurus erat, cõdisceret ac pernosceret. Quid enim potuit ignorare? quid non potuit discere à tali patre, cuius experiẽtia non pendebat ab aliorũ oculis aut auribus, sed ex eo quod ipsemet præsens audiuerat, viderat, fecerat & dixerat? Non enim, vt *a* Octauius Augustus in lecto cubans morabatur, exercitu confligente, sed vt Iulius Cæsar, præsens ipse interfuit, & gessit quæ requirebantur.

Pusillanimitas Octauii Augusti.

a Antonius exprobrat Octauio, quod numquam ausus fuerit exercitum dimicantẽ intueri, *verum supinum cælum intuentẽ, stupidum cubuisse.* D. OCTAVII AVGVSTI.

III.

Tandem † vir pius, pertæsus rerum huius vitæ & crudeliter laborans à *b* podagra, cuius tamen vi non adeo cedebat, vt vigore animi antidotum corpori adhibens non persequeretur bellum, cœpit circiter annum ætatis quinquagesimum se ad subductionẽ præparare, & expertus, vt Monarcha ille Persicus, coronam in tantum esse ponderosam, vt qui sciret, quam difficilis foret portatu, non dignaretur eam tollere per vias repertam, cognouit, totum Imperii sui orbem nihil sibi afferre quam molestissimam seruitutem. Ea causa apud se constituit, Imperium deponere, persuasus sibi certissimis indiciis constare haut procul abesse obitum suum, & *c stultam*

Nihil æque põderosum capiti quam Corona.

b Carolus V. in bello Germanico totã hiemem in castris eques cõtriuit, sustinens alterum pedem fascia linea, quod stapedes sufferre ex morbo neqret. *c* SEN. de breuit. vitæ.

esse

1598. Conuentus Ordinũ Belgii Bruxellis 28. Octobr. 1555.

esse mortalitatis obliuionem, in quinquagesimum ac sexagesimum annum differre sana consilia, & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerant. Itaque Ordines Belgii Bruxellas euocat, quibus cum ordine exposuisset acta præterita & gesta sua, molimina, expeditiones, nouem itinera in Germaniam, sex in Hispaniam, septem in Italiam, decem in Belgium, duo in Angliam, duo in Africam, octo nauigationes in mari Mediterraneo, tres in Oceano, tandem aperit animum suum, quod propter indispositionem corporis, ad quam laboribus animi redactus esset, deliberauerit molem omnium negotiorum publicorum in fratrem & filium deponere: & de facto nunc se resignare illi Imperium, huic Coronas Hispaniæ & prouincias Belgii, remittendo omnibus subiectis iuramentum fidelitatis, quo se sibi obstrinxerint. Quibus dictis, Philippus surgens prouoluitur ad genua Imperatoris capite aperto; cui Imperator lachrymans, cunctis præsentibus simul in lachrymas effusis, imposita capiti manu, benedictionem impertitus, absolutam potestatem in Prouincias concedit, quibus relictis se quæsiturum esse portam salutis, perfectam meditationem summi boni, cuius cognitio est vera Philosophia, immutabilis sapientia & *a* felicitas perfecta. Coronam Imperialem ad fratrem Ferdinandum Romanorum Regem operâ ac ministerio Gulielmi Nassouii, Principis Arausiensis, misit, qui se excusauit, dicens non esse æquum vt auferat Coronam ex capite Domini sui, quam ei imposuerint sui prædecessores.

Imperator conscensa naui in Hispaniam soluit sabbatho 2?. Octobr. 1557.

a ἡ γνῶσις τοῦ θεοῦ, εὐδαιμονία τελεία· *Dei cognitio perfecta felicitas.* IAMBL. protrep. c.3.

Et quamuis inter particularissima præcepta de Regno secure administrando, filio suo consuluerit, vt pacem cum *b* Francis seruaret, nihilominus tamen bellum renouauit, ex quo post duo ingentia prœlia, Grauelinianum & Sanct-quintinianum, cum matrimonio pax nata fuit, quæ multo tempore durauit. Quæ vt primum facta & exsecuta fuit, ipse in Hispaniam abnauigauit cum ingenti *c* sui periculo & amissione pretiosissimorum Europæ spoliorum, facto omnium nauium naufragio in portu S. Iacobi Regni Galliciæ.

b Hoc dictũ est propter officiũ Engelberti Comitis de Massan præstitũ Maximiliano Archiduci Austriæ in pugna Guinegastana.

Pugna Sãct-quintiniana.

c Vix enim Rex pedẽ in nauẽ posuerat, quũ illa, qua vehebatur, mergi & pessumdari cœpit.

Exsistens † in Hispania, vniuersas cogitationes suas conuertit ad amplificandam fidem Christianam, & ad perficiendum id, quod prædecessores sui Reges Hispaniæ instituerant ad exstirpationem Maurorum, qui impiâ suâ sectâ aliquot *a* Hispaniæ regiones iam annos amplius octingentos infecerant, & regnum Granatense tenuere annos plus ducentos & quinquaginta, sub viginti & vno Regibus

IV. Mauri sub Roderico Rege Hispaniæ.

a Mauri Hispaniam tenuerunt annos supra octingentos;

ceperunt intra quinquennium, cæsis ad septingenta millia Christianis. HIST. HISPAN.

Mauris,

1598.

Mauris, quorum vltimus fuit *b* Mahometus Boabdelin, cognomento Paruus, quem Ferdinandus Arragoniæ Rex regno Granatensi exsuit, & in Africam expulit, vbi à suis oculorum lumine priuatus est. Nonnulli Mauri se receperunt in montana sub libertate conscientiæ, quam illis Rex eorum in deditione regni Granatensis pactus erat: vbi à nostris tractabantur, vt illi antea Christianos tractauerant. Spes, quæ stimulat semper animos ad futura, & afflictiones præsentes reddit tolerabiliores, eos vaniter diu tenuerat de aduentu liberatoris, qui eos è tanta seruitute & oppressione eximeret. Itaque proposuerunt sibi gladio libertatem quærere, & aut viuere liberos, aut mori seruos. Confluentes ergo in castra initio anni M. D. LXIX. exercitum congregarunt supra sexdecim millia hominum; qui castrametati in montanis à mari duas tantū leucas dissitis, aditus inter cluserunt, ita vt nemo transire posset. *c* Ioanni Austriaco à Rege mandatum fuit, vt cum illis pugnaret. Quod ille adeo feliciter executus est, vt bestias istas in speluncas suas repulerit. Ingens eorum numerus cæsus, quinque millia capta, & domicilia prædæ exposita. Ab eo tempore Mauri non ausi sunt se mouere, frenati duabus quasi habenis Malagano & Velezio portubus in mari Mediterraneo.

Effectus spei.

Insultus Maurorum ex montanis Granatensibus.

Eorum internecio per Ioannem de Austria.

b Qui cum plorans & eiulans è regno discederet, fertur Regina Zoroyt ad eum eiusq; milites dixisse: *Plorate, plorate vt feminæ, qui vt viri pugnare nescivistis.*

c Ex hac victoria tantū existimationis Ioanni Austriaco accessit, vt Christianus esse non videretur, qui imaginem eius in domo sua non haberet. Eius Classis tres erant summi Duces.

V.

Rex † Hispaniæ multa molitus est contra Turcos, sæpe sustulit brachium ad eos depugnandos, sed ciuilia in Belgio bella impedierunt. Ipse enim maiorem partem contribuit ad *a* pugnam Lepantanam, & Ioannes Austriacus renuntiatus fuit Summus Dux illius Classis. Victoria non fuit cōtinuata ad perfectionem. Namque discordia prosperitatis Christianorum æmula, eorum vires separauit, coegit Venetos redimere pacem, expulit turpiter præsidia Hispanica Thuneto, nec permisit vt *b* Vaticinium Papæ Pii V. verificaretur & compleretur, vt in primo congressu factum fuit. Turci, qui perdiderunt fere viginti millia hominum, centum & quinquaginta galeras, quinque millia captiuorum, triginta quatuor primarios Capitaneos, cētum Gubernatores aut Comites galerarum, ita fuerunt hoc Christianorum successu perterrefacti, vt iam se videre existimarēt ad portas Constantinopoleos fulminantem illum gladium, quem Alcoranus illis minatur. Cuncta Græcia, sub tan â tyrannide fatigata, sperabat per prosecutionem huius victoriæ, & vitæ suæ libertatem, & religioni triumphum consequi. Et quemadmodum *c omnia commota facilius quam quiescentia mouentur*, ita victores, si victoria semel parta vti sciuissent, non dubio totum Imperium Turcicum turbare ac euertere potuissent. Non caruisset quidem res magno labore, sed magna gloria non potest minori pretio

a Classis Papæ, Regis Hispaniæ & Venetorum pro sancto Fœdere cōtra Turcos.

b Papa Pius V. tanquam Propheta ad Ioannē Austriacum referri iussit hęc duo verba: *Pugna, & vinces.*

c πάντα δὲ κινητότερα κινούμενα ἢ κινοῦντα. ARIST. de Mechan.

Turcorum clades in pugna Leptana.

Commota facilius mouentur.

1598.

Gloriosę expeditiones in Terram ſanctam.

comparari. Palmæ non creſcunt niſi in Terra ſancta; Lauri iſtæ non aſperguntur niſi ſanguine: nullus labor, nullum periculum eſt, quod comparari poſſit cum fructu glorioſarum expeditionum, quibus totus mundus pro theatro eſt.

Dux Albæ Romã miſſus.

Francia refugium Paparum.

Pax inter Papam & Hiſpanum an. 1577.

Poſt expeditiones Pennolanam & Velezianam, defenſionem *a* Melitæ, pugnam Lepantanam, Rex Hiſpaniæ reliquit Turcos in pace, nec bellum geſſit vllum niſi per Europam, intra & extra ſua Regna, in Belgio, Portugallia, Arragonia, Anglia & Francia. In initio ſtatim Regni aggredi auſus eſt Papam, & eo nomine Ducem Albæ in Italiam miſit. At molitio eius tãto ardore & furore inflammata, omnis abiit in fumum, nec reddidit alium fructum molienti, quam crimen infamiæ, quod auſus fuerit ſceptri poteſtate vti contra reuerentiam Thumini. Papa, quemadmodum ab omni tempore, ita nunc quoque ad ſola Francorum auxilia confugit. Rex ei auxiliares copias, quantas poſtulauerat, ſub ductu Franciſci Lotharingi Guiſiæ Ducis miſit. *b* Quarum copiarum auxiliis pacem obtinuit Papa tam honorabilem, vt primus ſtatim articulus Pacificationis in hunc modum conciperetur: *Vt Dux Albæ faciens omnem debitam obœdientiam & ſubmiſſionem nomine Regis Hiſpaniæ Domini ſui petat veniam à ſua Sanctitate.*

a Melita à Rege Hiſpaniæ ſubuenta anno 1561. contra Turcorũ vires, & generoſe defenſa à Valetteo Magno Magiſtro.

b Dum Guiſius cum copiis in Italia otioſe & inaniter deſidet, affertur nuntius de clade Sanctquintiniana apud Veromanduos, quæ Papam tam vehementer perculit, vt ſtatim ad pacẽ animum applicuerit.

VI.

Omnium † diuturniſſima & maxima bella in Belgio geſta fuerunt per Gubernatores, poſtquam Margaretha Auſtria eius ſoror ſe gubernatione abdicauit. *a* Ea initium habuere per recuſationem Concilii Tridentini, ſtabilitionem Inquiſitionis, & Grauamina tot voluntatibus & ſententiis comitata, vt ſupplicantes ſatis potentes fuerint ad concitandam factionem & ſumenda arma pro defenſione priuilegiorũ patriæ. Contra quos Dux Albę miſſus, *b* ignarus morum & ingeniorum Prouinciæ (ignorantia ſemper periculoſa Gubernatori Regis,) mandata Regis per aciem gladii promulgauit, & voluit cogere violentia armorum gentem, quæ ſeſe vinci, niſi ſolâ neceſſitate, non patitur. Proceres Belgii, qui Terremondæ conuentum agentes ſe inuicem obligauerant liberos morituros potius & perlaturos eadẽ quæ Saguntini olim & Numantini, quam paſſuros vt antiqua libertas ſub dominatione Hiſpanica ſuffocetur, eius aduentu valde fuerunt perculſi. *c* Comites Hornanus & Egmondanus, qui dicebant ſe conſeruaſſe vltimam ſanguinis ſui guttam in ſeruitio patriæ, omnem effuderunt in ſupplicio, vt eſſent primum exemplum tyrannidis Hiſpanicæ, & ſe pœnituerunt non

a Marchiones de Berghes & de Montigny in Hiſpaniã miſſi ab Ordinibus fuere conqueſtum de obtruſione Cõcilii Tridentini, & de inquiſitione, cõtra priuilegia patriæ inſtitutis: quorũ alter in Hiſpaniâ mortẽ obiit, alter detentus fuit captiuus.

b Noſcenda populi, quõ rege e vis, natura eſt, quique eam callet, prudens dicitur. TACIT. lib. 4.

c Comites Hornanus & Egmondanus Bruxellis decollati.

Grauamina oblata per multos Magnates habitu mẽdicorũ indutos.

Gubernator noſſe debet naturã prouinciæ, quã gubernat.

1598.

Princeps Aurasiensis & Comes Ludouicus recesserunt.

credidisse consilio Principis Aurasiensis, qui animaduertens eos velle Albano obuiam proficisci, dehortatus est, ne facerent, nisi capita sua Hispanis quasi Mercuriales terminos, & corpora tanquam trabes transitorios exponere vellent. Hispani ingressi hanc Prouinciam, quam diuturna Pax cumulauerat omnibus bonis ac deliciis, ita hebetarunt aciem animositatis & sensuum eius, vt nihil offenderint, quod resisteret, præter trepidationem. *d* Dux Albæ persuasus erat, nihil esse tam deforme & inordinatum, quin ab se emendari queat, nec vllum peccatum tam ingens quod vires suas superet. Occœpit probationes Consiliariorum suorum per exsecutiones publicas, misit præsidia in ciuitates, exstruxit arces vrbibus imminentes, quas Castiga-veillacos sua lingua nuncupauit, edixit criminis læsæ Maiestatis reos qui capita sua eius pedibus non subiecerint, coniecit in carceres qui de iustitia conqueri ausi essent, suspendit in patibula qui se eius clementiæ commiserunt, decollari iussit octodecim Nobiles Bruxellis ad satiandam iram & excandescentiam ex victoria Comitis Ludouici Nassouii contra Comitem Arembergium obtenta conceptam, Malinas prædæ militum exposuit quod Principem Arausiensem recepisset. Et ostendere volens Prouincias istas esse quæsitas & subiugatas armis, parum abfuit quin calcaribus & flagellis eos ad instar seruorum puniendo tractauerit, indignos iudicans qui armis compescerentur: voluit eos possidere per vim, explicans vere scuticas Roboami per impositionem Decimæ, per quam loco aureorum fluminum, quæ sibi promiserat, eduxit riuos lachrymarum & sanguinis.

d *Nihil est quin ab Imperatoribus emẽdari queat, nec vllũ peccatum quod vires eorũ superet.* NICET. in Andron. lib. 2.

Motus Bruxellẽsis propter decimũ denarium.

Bruxellenses primi exstitere, qui se opposuerunt isti exactioni, magis volentes rebelles declarari, quam seruos viuere. Inde tumultus in vrbe ortus, ad quem sedandum *a* Dux Albæ mandauit Ammano Bruxellensi, vt carnificem iuberet in promptu habere scalas decem aut duodecim pedes altas & septemdecim chordas; milites autem in armis esse; comminans ni mandatum exsequeretur, strangulationem. Interceptio Brielæ, quæ eadem nocte, qua horribilis illa exsecutio fieri debebat, contigit, eam impediuit & prodidit, dans facultatem incolis considerandi periculum, in quo versarentur, & cogitandi de sua securitate, tamquam qui omnia, quæcumque ad intentiones suas facerent, pro licitis reputarent, contra omnem ordinem, omnes leges, iura & consuetudinem. Hæc *a* impositio dedit primam commotionem ruendis Hispani & Prouin-

Captio Brielæ in Holandia primo April. 1572.

a Dux Albanus Ammano dixit: *Por estas si voz no lo hazeys, yo hos hare a hórcar.* & quũ Ammanus replicaret, non posse se tale qd exsequi sine Iudicũ sentẽtia, subiecit; *Los Iuezes son veillacos, basta que yo os lo mãdo.*

Morbi Rerumpubl.

a Albanus Regi Hisp. scripsit, se inuenisse venam, quæ auri massas ad instar brachiorum funderet. Intelligens impositionem decimæ. sed hæc fuit causa omnium malorum, quæ postea euenerunt.

1598. ciarum rebus,& manifestum fecit, eiuscemodi mala curari velle & remediis dulcioribus,& à Medicis humanioribus. Dux Albæ recessit in Hispaniam, nulla alia memoria relicta, quam tyrannidis suæ studiosissime conseruatæ in cordibus tot mille hominum læsorum, & in erectione statuæ ex ære Cyprio in arce Antuerpiana calcantis pedibus Ordines Belgii, in forma Herculis Alexicaci. Insolentia & crudelitas eius in gubernatione valde displicuit Regi Hispaniarum, qui exinde eum ab Aula & Consilio amandauit, iussit statuam illam tolli, reuocauit processus eius sanguinarios, per quos gloriari solitus erat se manu carnificis octodecim millia hominum & amplius ad mortem dedisse, vt multo verius de illo dici debuerit, quod de quodam Imperatore Romanorum circumfertur; *b Tantum vini hausit nemo, quantum fudit sanguinis.*

Statua Ferdinandi Toletani Ducis Albæ erecta in medio arcis Antuerpianæ.

b FLAV. VOPISCVS in Aureliano.

Ludouicus Requesentius Magnus Commendator Castilliæ, ei successit. Modus eius procedendi videbatur dulcior & moderatior, sed tandem nec minus seuerus, nec magis felix tam sibi quam populo euasit. Mortuus est peste. Et prouincia inundata fuit omnis generis oppressionibus per militum illuuiones. Rex gubernationem Prouinciæ Consilio Ordinum commendauit, cuius auctoritas tamen non satis potens erat ad inhibendam tantam insolentiam, quæ tamdem, ceu torrens ruptis repagulis, se exundauit in prædam nonnullarum vrbium. *a* Antuerpia, omnium totius Europæ vrbiũ ditissima & florentissima, complures dies populationi & direptioni Hispanorum succubuit, qui per arcem in eam ingressi exercuerunt crudelitates tantas, quantas nec vetustas vlla audiuit, nec posteritas poterit credere. Cæteræ vrbes, quibus eadem tempestas certissima exspectanda erat, se cum Holandiæ & Selandiæ vrbibus coniunxerunt, & mutata patientia in vindictam, dolore in audaciam, obligauerunt se inuicem cuncta facere pro conseruatione libertatis, quæ Athenienses fecisse memorantur contra Philippum Macedoniæ Regem, & Thebani contra Alexandrum. Populus hoc in more habet positum, vt semper sequatur peiora exempla. Belgæ, qui semper fuerant sub vnius Principis imperio, sibi in libertate imaginabantur formam instituendæ Reipublicæ, cuiusmodi est Heluetiorum. *b* Periculosum est se ad alterius exemplum conformare, vbi non eadem ratio, prudentia & fortuna subest.

Magnus Cõmendator Castilliæ.

Direptio vrbis Antuerpiæ.

a Hispani tumultuantes pro rebellibus Regiæ Maiestatis pronuntiati 22. Septemb. prædati & populati sunt Antuerpiã 24. Nouẽbr. 1576.

Arma pro libertate.

Periculosum est gubernare se ad exemplum.

Ioannes Austrius missus in Belgium pro Gubernatore, offendit seruitia Regis tam prostrata, Consilia tam infirmata, omnium animos ita mutatos, vt coactus contra naturam suam fuerit Consi-

b Molto pericoloso il gouernare con gli essempi, se non concorrono, non solo in generale, ma in tutti i particolari, le medesime ragione se le cose nõ sono regolate con la medesima prudẽtia, & se oltra tutti gli altri fondamenti non v'ha la parte sua, la medesima fortuna. GVICCIAR. lib. 1.

lia se-

lia ſequi, & permittere vt forma aliqua pacificationis componeretur, cuius primaria conditio hæc fuit, vt Hiſpani ex Prouincia diſcederent. Sed non diu perſtitit in hoc ingenio. Leo non poteſt vngues ſuos ita occulere, vt tandem non appareant mucrones. Nec Princeps poteſt adeo diſſimulare deſiderium belli, vt non aliquando ad illud ſuſpiret. Pugna Gibluana, in qua diſſipauit vires hoſtium, vt Aquila diſpergit gregem auium, illi inflauit animoſitatem ad conſilia ineunda ſeruitiis Regis parum neceſſaria, conditioni temporis & rerum parum conducibilia. Actiones eius in tantum deniq; odium conuerſæ ſunt, vt hoſtis Regis & Reipub. declararetur. *a* Quod ſi mors non abrupiſſet curſum conſiliorum eius, eo tandem ambitionis peruenturus erat, vt non tam Rex Hiſpaniæ, quam conſtitutiones integrorum & nouorum Regnorum eam ſatiare potuiſſent.

1598.

Ioannis Auſtrii ambitio.

a Ioannes Auſtrius in litteris ad Antonium Pereziũ Secretariũ intimum Regis Hiſpaniæ miſſis anno 1577. ſcribit: *Io no tengo cõdicion ny ed ad para la ociosidad d' este gouierno.*

Ei ſucceſſit Princeps Parmenſis, qui plus effecit prudentia & moderatione, quam priores omnes poterant violentia & impetuoſitate, & meritus eſt virtute ſua nomen *b* Magni vt Scipio, & prudentia nomen Maximi vt Fabius. Naucleri non ſe cognoſcunt in malacia & tranquillitate, ſed vbi tempeſtas minari cœpit ratis naufragium, & eadem hora nunc ſurſum verſus cœlum attollit, nunc deorſum verſus abyſſum deprimit. Princeps iſte apparuit velut ignis quidam Sancti Hermetis in medio turbinis, & res Regis Hiſpaniæ remiſit in meliorem ſtatum, quam ſperare potuiſſet. Nullus vmquã Capitaneus aut maius iudicium in gubernando exercitu, aut maiorem iuſtitiam in diſciplina militari tenuit. Hiſpanos auerſabatur inclinatione naturæ, eoſdem tamen prædicabat ex regula prudentiæ. Et ſicut *c* militibus vulgare eſt, obſequi voluntarie & animoſe iuſſis eius Ducis à quo ſe amari vident, ita huius mandata tanto cum obſequio & affectu implebant, vt non maiori gloriæ ducerent beneficia eius accipere quam officia, quæ dabat, vtcumque periculoſa forent. Debebat quidem poſt Antuerpiæ captionem gladio rem gerere, quum non poſſet quidquam exſequi aut maius aut glorioſius: auxilia tamen Pariſienſibus & Rothomagenſibus præſtita gloriam eius ampliter adauxerunt. *a* Mortuus eſt ex hydropia, cum qua aliquot annos conflictabatur: & qui vixerat vt Princeps, voluit ſepeliri vt Monachus Capuccinus: magno ſui deſiderio apud omnes relicto, etiam eos ipſos, quibus iuſta fuit occaſio mortem eius deſiderandi, antequam exempla animoſitatis ſuæ ederet, quippe qui in media magnitudinis ſuæ ſpe deceſſerit.

Alexander Farneſius Princeps Parmæ.

b Φάβιος ἐπικλήθη Μέγιστος, Σκίπιων Μέγας: *Fabius dictus Maximus, Scipio Magnus.* POLYÆN. l. 8.

Laus Principis Parmenſis.

c Exemplo Romanorũ ſub Val. Coruino. T. LIVIVS lib 7.

Iudiciũ Domini de La Noue de Parmenſi poſt captam Antuerpiã.

Obſidio Pariſienſis & Rothomagenſis.

a Atrebate 2. Decembr. 1592. ſurgẽs è lecto ad reddendam aquam.

Qui ei ſucceſſerunt in officio, non ſucceſſerunt in auctoritate. Maioris tamen æſtimabantur, quam magni cogniti fuerint eſſe

Comes Mãſfeldius Gu-

1598. bernator poſt Parmẽſem.

in bello Duces. Et nihilominus tamen *b* quia res poſteriores plerumque aliquid retinent ex prioribus, & vulgo finis potius quam cauſa actionum conſiderari ſoleat, ad illos relatus honor fuit exſecutionum, quas illi non auſi fuiſſent aggredi. Arma, quæ Rex Hiſpaniæ alio transtulerat, rebus Belgarum nonnihil tranquillitatis attulere, vsque ad aduentum Archiducis Alberti, qui ex Portugallia euocatus ad ſucceſſionem fratris Erneſti in Gubernatione Belgii. Hæc ſunt omnium maxima bella, quæ in Regno huius Regis geſta. *c* Vnicus modus abſcindendi eorum longitudinem, & prohibendi ne ad hæredes tranſirent erat in præſentia Regis, ſi eam præſtitiſſet, & quidem ſtatim ab initio. Hoc aſtrum auctoritatis Regiæ in Hiſpania iam impreſſum, nec adſplendens niſi Curialibus, nimis diſſitum erat longius, quam vt glacies tantæ obſtinationis potuerit liquefacere. Quo proprius Planeta aut alia ſtella accedit ad noſtrum Meridianum aut punctum Verticale, eo fortior & efficacior eſt eius influentia, quod reflexio radiorum eius vires augeat ac duplicet. Certum eſt, præſentem eum potuiſſe obſtinationes iſtas aut armis vincere, aut pietate indulgere lachrymis populi omnium quantum eſt in terris afflictiſſimi, ſi ſe oſtendiſſet rebellantibus ſubiectis, vt *d* fecit alius quidam Cæſar.

Cardinalis Albertus Auſtrius.

Nihil citius ſedat rebellionem quã præſentia Regis.

b Le coſe ſequenti tiranno à ſe le precedenti, & l' anmento coprè la partè aumentata. GVICCIAR. lib. 11.

c Nihil magis promouit longitudinẽ & languiditatem bellorum in Belgio quã abſentia Regis longe diſſita.

d Simulatq; Gandauenſes rebellare cœpiſſent, Imperator Carolus V. eo accurrit 1539. & ex Hiſpania per Franciam tranſiuit.

VII. Bellum Portugallenſe.

Durante † Pacificatione in Belgio, bellum in Portugalliam transtulit. Cauſa erat ſucceſſio in Regno poſt obitum Henrici Cardinalis, qui Rex factus fuit per diſpenſationem Papæ. Vtilitas, dominatus in tria Regna, Portugalliæ, Algaruiæ in Hiſpania, & Goæ in Aſia. Munimen Septæ aperit viam ad Imperium Africæ, & Olyſſibona ad Imperium Indiarum vsque in Braſiliam. *a* Ex trecentis ſexaginta gradibus, quos orbis continet, extenſio Portugalliæ habet ducentos in quos dominetur. Populus, auerſans & deteſtans domi nationem Hiſpanorum, elegit Antonium, quem Ludouicus filius Regis Emanuelis ſuſcepit ex quadam Iudæa, quam, vt dicebant Antonio fauentes, Ludouicus clam ſibi matrimonio iunxerat. Catharina Mediceа, *b* tamquam ex legitimo matrimonio Alphõſi III. Regis Portugalliæ & Mathildis Comitis Boloniæ deſcendens, reſuſcitauit actionem Roberti contra *c* Dionyſium natum ex ſecundo matrimonio Alphonſi cum Beatrice Caſtilliæ Regina, ſed illegitimo & mere adultero, quia Mathilde adhuc viuente contractum. Et quamuis iam ipſos trecentos & per plures annos vſurpatio tranſierit in titulum iuſtæ propagationis, tamen probare voluit nec Dionyſium, nec ſucceſſores eius vmquam habuiſſe vllum ius in Re-

a Potentia Regni Portugalliæ, cuius nomine Rex Portugalliæ pro ſymbolo gerit Sphęram, vt ſignificet Regnum ſuum extẽdi in quatuor mundi angulos.

b Alphonſus Portugalliæ Rex duxit Beatricẽ Caſtilliæ Reginam viuente adhuc Mathilde legitima ſua coniuge. *c* Dionyſius filius Beatricis fuit coronatus Rex Portugalliæ.

Regina mater Catharina Medicæa.

gnum

1598.

L. vbi lex, ff. de vsucap.

gnum Portugalliæ, propter incapacitatem natiuitatis, qui reddiderit vitium reale in hereditate, propter quod nulla possessio transferri potuerit in vsurpatorem. *a* Dux Sabaudiæ prætendebat successionem, tamquam filius Beatricis, secundæ Emanuelis filiæ. Princeps Parmensis, tamquam filius Mariæ, quæ fuit filia Eduardi dicto Emanuele geniti, voluit præferri prioribus omnibus, quippe qui genus suum à filiabus tantũ deducerent, quæ non fuerint germanæ ex arbore successoria. Catharina Dux Bracantiæ, filia Eduardi, voluit contra legem sexus habere eamdem qualitatem, quam pater eius, filius Emanuelis, habuerit. Rex Hispaniæ prætendebat ius Isabellæ matris suæ, & simul ius gladii, quo Dux Albæ coegit Portugallenses eum recognoscere, expulso Antonio, qui se in Galliam recepit, asylum afflictorum Principum. Regina mater ei aliquot auxiliares copias subministrauit sub conductu Mareschalli Strozzii, *b* quas tamen impediuit Marchio de Sancta Cruce, ne transfretarent, qui commonitus ab Rege Henrico III. qui eam expeditionem præter auctoritatem suam esse edicebat, tractauit eos quos cepit non vt bello captos, sed vt malefactores; non vt milites, sed vt piratas, & iuxta Regis edictum viginti octo Nobiles decollari iussit, & compræhendi complures alios. Editum est scriptum & in Galliam missum, huius consilii auctores fuisse *c* Iesuitas, & exsecutionem eius fuisse multo crudeliorem, nempe iussu Marchionis viginti octo Barones, & quinquaginta Nobiles Gallos, eodem die & in eodem theatro fuisse capite plexos, & compræhensos quingentos Franciscanos & alios Monachos, quod pro Antonio Rege Portugalliæ concionati fuerint. Sed nec Portugallenses, qui hanc historiam literis mandarunt, neque alii qui eandem nullo alio quam veritatis affectu scripserunt, vllam eius rei faciunt mentionem, quam sane rem tam notabilem citra extremam obliuionis supinitatem præterire minime potuissent.

Dux Sabaudiæ.

Princeps Parmensis.

Catharina Bracantina.

Philippus Hispaniæ Rex.

a Fertur Antonius ægrotãs Terceræ testamento declarasse, Regnũ Portugalliæ pertinere se mortuo ad Ducem Sabaudiæ filium consobrini sui, quæ non minima caussa fuisse existimatur, quod Rex Hispaniæ filiam suam Duci elocarit.

b Classis Gallica ad Insulas Treceras profligata anno 1582.

c Hieronymus Franchius Nobilis Genuensis, qui scripsit Historiã, laudat Iesuitas, quod se factionibus popularibus non miscuerint: cuius rei caussa etiam murati in monasteriis suis fuerint, vbi captiuis bis tãtũ in septimana cibus fuerit præbitus. Vide Querelam Apologeticam RICHEOME.

Portugallenses, vtut male affecti & animati in Castellanos semper fuere, in hoc tamen bello nulla in eos animorum suorum memorabilia exempla ediderunt. Dicitur, eos in patria sua non esse bonos milites, neq; accipere animos nisi extra proprium Regnum, quum rebus desperatis pugnandum est. Et sane verum est, commoditatem refugii ansam præbere fugæ, & desideria natalis terris longe vehementiora esse in dissitis, quam vicinis locis.

Milites abducẽdi sunt longe à patria.

Per occupationem Regni Portugalliæ Hispano accreuerunt Regna Indiarum Orientalium, columnæ Principum Christianorum, Rex noui Orbis, cuius diuitiæ & abundantiæ homines ex no-

1598.

a Diuitiæ noui orbis ſunt incredibiles. Duæ claſſes, Peruana & Marocana, anno 1587. apportabant duodecim milliones auri, quorũ medietas ad Regem ſpectabat. Alia claſſis aduexit duodecim caſſonos auri, quorum ſinguli pendebãt quatuor quaſi ſtrobos, qui faciunt vnum quintale. IOSEPH. à COSTA l. 4 Hiſt. Ind.

b *Romanis cũ nationibus, populis, regibus, cunctis, vna & vetus bellandi cauſa eſt cupido profunda imperij, & diuitiarum.* SALVST.

ſtro orbe attrahunt. Deus, qui per ordinationem ſummæ ſuæ voluntatis vtitur noſtris inclinationibus, Indis præſtitit, quod parentes præſtare ſolent filiabus turpibus. Dotauit eos *a* maximis & inexhauſtibilibus diuitiis, quo citius maritos allicerent & nanciſcerentur. Hæ ſunt filiæ turpes, ſed adeo diuites vt non opus habeant maritis. Hiſpani & Portugallenſes, de quibus idem poteſt dici quod de Romanis, eos numquam arma extrá patriam extuliſſe, niſi auaritiæ aut ambitionis gratia, numquam inſtituiſſent ingentes iſtas & periculoſas nauigationes, ſi non plus auri illic reperiſſent quam in deſertis Lybiæ. Quidquid inuentum ibi & ad nos perlatum, inutiliter in Europa expenſum eſt. Splendor auri, qui lumen præbuit Euangelio apud Indos, debebat impendi pro eodem reſtituendo in ea loca, vnde ab Alcorano expulſum eſt. Abundantia Auri in India principaliter à natura producitur, quum plures fodinæ auri & argenti in Peru reperiantur, quam in toto cetero orbe habitabili, & ſecundum iudicia, quæ duci poſſunt ex emenſione vnius terræ ad alteram, longe maior adhuc fodinarum numerus reſtat indagandus, quam ſit iam indagatarum. Alioquin aurum in illis regionibus nulli vſui præter ornatum ſeruiebat, vnde tanta quantitas & vis auri in templis, palatiis & ſepulchris eorum reperta.

Auaritia & ambitio bellorum cauſæ.

VIII.

Finito bello † Portugallenſi, *a* Rex Hiſpaniæ inſtruxit ingentem illam & potentem claſſem, quæ Angliæ minabatur pedibus & manibus vincula, damnationemque in metallifodinas Indicas. Reſiſtentia Inſulariorum & cunctæ vires Admiralii Draconis cum ignibus quibuscumq; artificialibus non ſuffeciſſent ad tantum impetum euitandum, niſi ventorum & maris iniuria eos adiuuiſſent, qui magnam nauium partem peſſumdederunt & inſabulauerunt. Cuiusmodi fortuito caſui nec prudentia gubernatoris nec animoſitas hominum poterat mederi: *b* nec quidquid erat quod non debuerit referri ad inconſtantiam & infidelitatem huius elementi, quo nihil eſt magis capax rerum fortuitarum & inſperatarum.

a Claſſis Hiſpanica in Angliã conſtabat ex hominum amplius centũ & triginta millibus, cõprahẽſis pariter nautis, qui trahebãt naues centũ & viginti octo, & bis mille octingẽtas & quadraginta rates.

b *Nihil tam capax fortuitorum quam mare, & ſi naufragio intercepta ſit, quẽ adeo iniquum, vt ſceleri aſsignet, quod venti &*

IX.

Motus Aragonenſis.

Nulli motus † aut ſeditiones durante eius Imperio in Regnis Hiſpaniarum & Indiarum. Magnates quidem nonnumquam turbare machinabantur, ſed ſecum reputantes, cum quo ſibi res futura eſſet, gladius eorum in manibus contremuit, & anima in corpore. Turbatio Arragonenſis fuit tantum breuis emotio. *c* Antonius Perezius primarius Secretarius ab arcanis Regis Hiſpaniæ aufugiens

fluctus deliquerint? TACIT. Annal. 14. *c* Ant. Perezius fuit primum ab officio tantum Secretarii amotus ad decennium, & ad carcerem condemnatus biennalem, & deinde trigeſimalem, & totidem millia ducatorum. RELAT. Perez.

1598.

ex carcere Castillano, & Tarraconem perueniens ab Inquisitoribus illic detinetur. Populus existimans, decennali carcere purgari debuisse omnia eius commissa, nisi innocentia destitueretur, Regis Hispaniæ ministrorum fauoribus, *a* tumultuari cœperunt, & vnanimi consensu concurrentes ad Aliaferiam, palatium quondã Regum Maurorum, Inquisitores inclusos & obsessos sub ignis & sanguinis minis coegerunt Perezium liberare. Rex in tantum offensus fuit hac seditione, vt in continenti Alphonsum Vargasium cum exercitu in Arragoniam miserit. Arragones videntes ex priuata Perezii causa consequi publicam, & Regem libertatem Regni interrumpere, & priuilegia, quæ *b* Petrus Arragoniæ Rex sanguine suo consignauerit, & quæ Regi non permittant, cum exercitu in Regnum ingredi, exercitui Regio se suasque fortunas opposuerunt. Vargasius fuit hostis Reipublicæ declaratus, & ad capitis supplicium condemnatus, & cum eo omnes, qui exercitum sequerentur. Tum Rex ad Proceres Regni litteris datis significat, exercitum esse conscriptum vt transmittatur in Galliam; meliorem se esse Arragonem, quam quemquam eorum, qui transitu exercitum arcere conantur: & valde sibi mirum videri, illos sibi persuadere rem, quæ sibi numquam in mentem venerit, hoc est, violationem priuilegiorum Regni, quæ tam sancte semper custodierint. Populus non potuit amaritudinem huius pharmaci persentiscere, quippe sermonum dulcedine perliti. Vargasius cum exercitu Tarraconem admissus & ingressus, statim arma nudare militem per vias iussit. Et licet totus populus peccauerit, tamen pœna in auctores tantum peccati & seditionum assecl as districta fuit. Primarius Magistratus, qui vulgo appellatur Iustitia Arragonensis, quod in eo sita sit omnis legum ac iuris auctoritas, in egressu ex Palatio compræhensus, & in currum positus fuit. Per viam occurrentes duo Iesuitæ petierunt in currum recipi. qui recepti dixerunt ad Magistratum, adesse se vt moriturum consolentur. Ille *a* obstupefactus, vt fieri amat, ad processum tam insolitum & extraordinarium, & sciens non posse se iudicari nec condemnari nisi per Ordines Regni, petiit sibi ostendi sententiam. Tum producta schedula aliquot linearum manu Regis ad Alphonsum Varg sium scriptarum, quibus iubetur Ioannem de la Nuza (ita enim Iustitia Arragonensis appellabatur) capitis damnare, & mortem simul cum carcere pronuntiare. Quod, vti iussus erat, confestim exsecutus est. Hæc correctio ac punitio Arragonensium est omnium rerum, quas Rex Philippus in omni vita sua gessit, gloriosissima, sub cuius *b* statua nihil illustrius, nihil memora-

a Marchio Alameranus volens inhibere tumultũ adeo verberibus & aliis iniuriis affectus fuit, vt nullo modo liberari potuisset, nisi ad carcerẽ fuisset petitus. RELAT. Perez.

b Regnũ Arragoniæ erat electiuum, quod Rex Petrus hæreditarium facere cupiens cõcessit Arragonibus summa priuilegia, eaq; subsignaturus sanguinẽ è manu misit & aspersit, significãs ea se sanguine suo comparasse. Vnde hodieque cũ pugione in manu pingitur.

Punitio crudelis Arragonensium. Iustitia Arragonensis, nomen primarii magistratus.

Aliaferia Arragonensis.

Priuilegia Arragonum.

a *Cosa nunca vista que sepa el confessor del Insticiado la muerte del paciẽte primero que el mismo.* REL.

b in Alcazaro Siuiliæ est ingẽs cœna-

1598. Ant. Perezius euasit in Pau.

rabilius haberi potuit quod poneretur, ſubactione iſtac Arragonenſium. Antonius Perezius, auctor huius tumultus, euaſit in Bigerrenſem tractum, & ad Catharinam Borboniam Nauarræ Principem ſe recepit, inde Pariſios, vbi ceu monſtrum quoddam fortunæ omnibus fuit admirationi.

culum, vbi omniū Regum Caſtiliæ viſuntur ſtatuæ, ſub quarum pedibus vniuscuiusq; facta exſtant memorabiliſſima. ſub Philippi II. ſtatuâ inter alia leguntur hæc verba: *Allano Arragon.* Gallia inuincibilis.

X. Bella Gallica.

Nunc reliquum † eſt vt de bellis in Gallia geſtis dicamus, quæ fuerunt vt prima eius in vita & deſtinatione, ita poſtrema in exſecutione bellicarum expeditionum. Verum iam integrum diſcurſum ea ſuper re dedimus, & in libris antecedentibus integræ huius Hiſtoriæ, quam molimur, nos referemus principalia eius documenta. In ſumma poſt flumina ſanguinis & montes cadauerum, coactus fuit conſiteri Galliam non poſſe vinci niſi per Gallos; quæ recipiat vires vt Anteus poſt caſum; releuet ſe ex profundis ruinarum; nec ceſpitet niſi quo ſecurius ambulare poſſit. Valde ei ad tranquillitatem rerum ſuarum profuit, ingens illa Ligæ factio, quæ vt res noua approbata, videbatur in tria capita diuidere, quod Monarchia ſub vno capite gubernat. Non ignorabat, Galliâ in tres partes diſtractâ, diſcordiam non ceſſaturam, donec vna ex tribus exterminetur; quę res ſatis futura ſit ad magnum illud corpus infirmandum, cuius robur ac vigor admodum ſuſpectus & inuiſus ſemper fuit cæteris ſuis prouinciis. Sollicitare *a* Regem, quum adhuc eſſet Rex tantum Nauarræ, inſtitit ad bellum Regi Galliæ inferendum: &, illo ad incantationes eius aures obturante, Ducem Guiſiæ, quem in ea re promptiorem nactus fuit. Hoc modo in flammam abiit grandis illa factio, quæ diuiſa in compluria capita nomen Ligæ ſumpſit, mox Vnionis. Numquam vllus error aut deuiatio tam ſubitanea fuit. Secuti pellebant priores, cadebant cum illis, & cadendo deturbabant eos à quibus primum impulſi erant, adeo vt omnes ad præcipitia ruerent, exceptis poſtremis, qui ſapientiores & ſui retinētiores perſtiterunt in obœdientia, nolentes ſe vlterius in turbas iſtas coniicere. Fuit tempus quum nemo iuraret niſi per potentiam * eius, qui, quemadmodum Atlas cœlum, hanc cōſpirationem ſuſtinebat. Sed tandem tamen ecquem fructum inde tulit? hunc tantum, vt turbas in omnibus Galliæ angulis dederit, & diſcordiam in Gallorum cordibus aluerit, bellum aduerſus Principem geſſerit, non quod eſſet Huguenotus ſiue Proteſtantium religioni addictus, ſed quia regnum Galliæ ad eum attinere dicebatur. Vidit, quod nullus prædeceſſorum eius videre potuit, *a* Hiſpanos in præſidio primæ Regni ciuitatis, quæ Lutetia Pariſiorum appellatur, cum feſtinatione ad

a Quū Dux Niuernenſis Romæ eſſet, documentis apud Papam euicit, verū eſſe quod Rex Hiſpaniæ ducenta millia coronatorū Regi Nauarrę obtulerit, ad bellum Regi Galliæ inferendum.

* *Hiſpani.*

Grandis & famoſa Ligæ factio.

a Hiſpani in pręſidiis Lutetiæ poſiti ſub imperio Ducis de Feria, eiecti fuerunt 21. Martii. 1594.

b Men-

b Mendozam in ipsos. Expertus denique est, nullum consilium perditius esse illo, quum quis super arenam fauoris popularis ædificat. Namque ciuitates, quæ omnium ardentissime desiderabant eius suppetias, & quæ omnium liberrime se subiecerant eius protectioni, destituerunt vno momento cunctas eius intentiones, & fecerũt omnia, quæ potuerunt facere, vt exemplo comprobarent, *magnam populi aduersus tyrannum victoriæ partem esse, nolle amplius tyrannidem pati,* qui quod semel apud se statuit, non impossibile factu efficit. Repertæ sunt ciuitates, quæ in odium & detestationem Hispanorum eorumque fautorum, vt ostenderent se vi adactos in hanc conspirationem consensisse, *c* imaginem Regis Hispaniæ igni flammisque publice sacrauerint. Vbicumque Hispani superiores facti per Galliam sunt, rem modo suam curarunt, pessimis modis Gallos tractantes, quos belli sors ipsorum manibus forte dedisset. Tres Hispani capellam in Britannia ex centum Lutheranorum auribus construxerunt.

XI.

Hæc fuit † fortuna publica huius Principis, quæ ei nihil vmquam sine extremis difficultatibus largita est. Nec domestica minus mirabilis fuit. *d* cuius vtriusque aduersitatibus semper opponere solitus erat constantiam, vt & perturbationibus animi rationem. Occupato Regno Portugalliæ, quod ille coronam laborum suorum reputabat, tamquam sibi sceptra & tributa Indiarum reddens, quibus repagulum aperiret ad delibandas, quum placuerit, *e* coronas omnium Europæ potentissimas, inclusit se in Curiale, cum intẽtione numquam inde egrediendi, & ceu ex specula contemplandi vndas & fluctus exsultantes in vniuersam terram. Actiones corporis erant in vno solo loco, at actiones animæ sese per vniuersum terrarum orbem, veterem & nouum, effundebant & dilatabant, tantumdem acumine pennæ faciens, quantum prædecessores eius acumine gladii. Quo magis procul dissiti erant eius subiecti, eo magis eum reuerebantur, concipientes secum met in tanto interuallo magnitudinem eius quasi adorabilem, & aliquid in eo plus quam in cæteris communiter esse solet. Sui conspectum perraro nec temere Hispanis exhibebat, nec quisquam vel potentissimus in aspectum admittebatur, nisi cui longissimo tempore postulanti id in summi fauoris gratiam concederet. Tam grauis & seuerus erat, vt numquam vel familiarissimis facultatem daret remittendi vel tantillulum à timore & respectu, quo eum venerabantur. *a* Grauitas semper quidem Principem decet; sed decet & illud meminisse, quod in

T. LIVIUS lib. 6.

Nihil impossibile populo aduersus Tyrannum.

Hoc sumptũ est ex Littera mystica.

Solitudo Regis Hispaniæ.

Erant qui morerentur præ angore, quod torue eos Rex aspexisset.

a Αὐχὴν λυσιτελέστατον ὁ τῦφος: *Principi vtilissimus fastus.* PHILO IVD. contra Flaccum.

1598.

b Discursus II. de Rebus Galliæ dicit, interceptũ esse fasciculũ Regis Hispaniæ scribẽtis ad Mẽdozam hæc verba; *Iussi Ducẽ Parmæ suppetias venire ciuitati meæ Parisiẽsi.*

c vt Narbonæ, quũ an. 1596. mense Martio in obedientiã Regis reciperetur, imago Hispani semiustulata in aquam præterfluẽtẽ fuit cõiecta.

d δεῖ ἀντιτιθέναι τύχῃ μὲν θάρσος, νόμῳ δὲ φύσιν, πάθει δὲ λόγον: *Oportet ođẽ obycere fortunæ cõfidẽtiã, naturã legi, ꝑturbationẽ rationi.* DICT. DIOG.

e Rex Hispaniæ dicebat, ꝑ regnũ Portugalliæ se frenare posse Galliã, Angliã & Hiberniã. & sane in continẽti potentiã suã monstratur⁹ cũctas vires suas in ea regna domãda effudit. CONNESTAG. l. 1.

1598.

hac natione populo bonum est, in altera non esse bonum. Si Rex Galliæ vellet subiectos suos eodem modo tractare, si se in Sancti Germani palatio aut Fontebellandi secessu per dies quasi quindecim includeret, ab omnibus pro defuncto haberetur. Reges illi primæ originis, quum se vellent in secessum recipere, nec sui conspectum populo nisi semel in anno exhibere, vt Assyrii fecisse memorantur, confestim à subiectis contempti, & post id regnis exsuti fuerunt. *b* Galli amant iuxta Regem suum versari æque pacis ac belli tempore. Est quidem verum, *magnitudinem in excelso fastigio positam, humili & trita consuetudine, quo sit venerabilior, vacuam esse conuenire.* Rex Hispaniæ non apparebat, nisi vt ignis Sancti Hermetis in nubibus post tempestatem forte vibrans: & quamuis raro *a* feliciter Principibus euenerint, qui semper tristes & melancholici inter oratoria & altaria instar Numæ se continuerunt, huic tamen Regi solitudo sua non parum profuit, reddiditque ingenium eius habile ac liberum ad tractanda mundi huius negotia.

Reges qui sui conspectum non faciunt.

b Nihil est sub Sole, quod Galli magis expetant, quam cognosci, & posse ad Principem libere accedere.

VAL. MAXIM. lib. 2. c. 7.

a vt Anco Martio Regi Romanorum.

Solitudo & Otium Numæ.

XII.

At non † sine ingenti admiratione dici potest, Regem hunc Indias Orientales & Occidentales gubernasse in secessu Curiali existentem, apud quas tantum eius auctoritas & reuerentia valuit, vt vnus homo cum mandato & litteris eius plus impetrarit, quam alibi tot millia militum cum armis & auri milliones efficere potuerint. Regiones illæ bello quidem quæsitæ, sed per *b* colonias conseruantur, quæ sunt multo gratiores victis populis quam præsidiarii milites. Viuunt simul, concelebrant matrimonia & affinitates, & peregrini auferunt per humanam conuersationem, quod nullæ vires temere impetrare possent. Quo pacto totus nouus orbis intra paucas tempestates Hispanica & Portugallica euentura est. Hospites non modo hospitiis expellent eos, à quibus in ea recepti fuerunt, sed sufficientes erunt ad leges illis imponendas, à quibus nunc accipiunt.

Coloniæ in Indias ductæ.

b *Non se del bono fare colonie lungi dallo stato, per che non essendo facile il soccorrer le, esse o resta no pred à de nemici, o, accommodando se all occasioni, & à tempi, si gouernano senza rispetto della loro origine.* BODERO.

Facile est coloniis, quæ sunt longissime ab originatio solo dissitæ, à dominatione sese liberare. Vicerex Goæ, si volet, poterit multo plures milites in classem producere, quam omnes Hispaniæ contineant; & plures naues in mare committere, quam vniuersa Europa suppeditare queat. Nemo tamen vsq; adhuc defecit, & seditiosi numquam ad rebellationem vsque peruenerunt. Quisque ab ea retinebatur per iniectam magnitudinis & auctoritatis tanti Principis opinionem. *a* Maiestas Imperii & verum ac vnicum repagulum, quo Princeps à contemptu & rebellione subditorum se tueatur. Noui Principis actiones propius & penitius considerantur,

Potentia Viceregis Goę.

a Maiestas Imperij, salutis est tutela. Q. CVRT. lib. 8.

Princeps stabilitus longa manu regnat secure.

quam

quam eius qui cognitus & bene stabilitus est, cuius actiones, vt antiquæ monetæ, pensari iam negleguntur. 1598.

XIII.

Verum † licet felix in longinquo fuerit, quæ infelicitates eum habuerunt sub eodem tecto? Prosperitate vsus est, sed semper comitatâ aliquibus infortuniis: gaudiis, sed seminatis & succrescentibus inter tristitias, vt violæ solent inter carduos subuenire. Ægritudines ac molestiæ non abstinuere ab ingressu *b* superbi illius & admirabilis ædificii, in quo tantopere acquiescebat, vt id dixerit se incepisse, perfecisse, instruxisse, Deumque orare vt sibi eo vtendi fruendi gratiam faciat. In eo ingentes & acerbissimas fortunæ aduersitates expertus est. Namque vt foris ea propitia ac fausta semper fuit, ita domi maximis eum miseriis ac ærumnis exercuit. Adeoque nec sui ei denique pepercerunt. Proprius filius in personam eius machinatus est, quem coactus fuit non regni sed vitæ exsulem facere, nec paterno affectu prosequi, qui debitum filiale reddere noluerit. Tragica huius Principis mors superat omnem comparationem & exemplum, quam dubitabit posteritas an credere debeat, ita causæ referuntur diuersæ ab iis, qui rem literis pro affectu quisque suo reddiderunt. *c* *Ingenij in Historia scribentis parum æqui signum est, cum duo aut plures vna de re sermones feruntur, deteriora amplecti.* Oportet omnia aut nihil dicere.

Ædificium Curialis.

Ærumnæ domesticæ Regis Hispaniæ.

PLVTAR. de Herod. malignit.

b Rex Hispaniæ destructa S. Laurentii ecclesia, eodem, quo Sanctquintinum captum fuit, die aliâ loco superstruxit, hoc est, Curiale, ædificatum in modũ grilli; quod, vt fertur, constitit viginti millionibus auri.

c *C' est un tesmoignage d' extreme malice de porter son opinion au mal, ou le iugement se doit faire au bien.* CHARVALLON. in præfat.

Sunt ex Gallis qui scribant, quod statuisset Belgas in protectionem contra violentias & inhumanitates Ducis Albani suscipere, in carcere mortis fuisse condemnatum. Addit quidam Annalista, mortem eius non nimium ægre molesteque fuisse latam, qui à virtute maiorum degenerare videretur. Hispani tacentes & causam & effectum, dicunt, Principis stomachum fuisse irremediabili frigore offensum, ita vt vix quinque dies decubuerit, mortemque eius in vniuersa Hispania deploratam. Itali contra, Principem fuisse noctu in suo cubiculo ex mandato Regis patris captum; qui se captiuum cernens, & nullam sibi præter mortis libertatem relictam, adeo cõtristatus fuerit, *a* vt deliberarit ad mortem non ire lentò, sed currere cum impetu: & quum mors fame ac cibi abstinentiâ differri videretur, eam properasse per excessiuum viuẽdi modum, vnde in morbum incidens è vita exciderit. Germani asserunt, eum inclusum fuisse in quoddam cubiculum die XVIII. Ianuarii apposita custodia arctissima; exstinctum autem noctu, XX. Iulii per sententiam Inquisitorum. Ordines Belgii in Oratione coram Imperatore & Statibus Imperii habita Spiræ, dicunt, Regem Hispaniæ ex Inquisitorum instigatione vnicum filium suum ad mortem cõdemnasse, eam vnam

Belleforest⁹ in Vita Caroli IX. pag. 1668.

Petrus Iustinian⁹ in Historia Veneta.

Simo Schardius in Rebus memorabilibus sub Maximiliano II. Imp. gestis.

a *Vitam oportet finire, cum ratio suadet, sed non temere, nec pro cursu capiendus est impetus.* SEN. lib. 3. epist. 24.

1598. ob causam quod Inquisitores non amaret, nec commoueri vellet ad illorum delationes miserabiles, loqueretur libere contra rigorosos Inquisitionis processus. Veritas vno tantum vultu prædita est, qui non potest adaptari tot capitibus & opinionibus contrariis. Cum Historia comparatum est, vt cum aulæo Babylonico historiis & figuris variegatis picto, cuius non possunt conspici imagines, nisi totum euoluatur & explicetur. Omnia dicenda sunt, si secretum mortis filii Regii indagare volumus, quæ adhuc extremis plicis secretissimarum Regis actionum inuoluta celatur. Princeps adolescens cursu insequens virginem Aulicam ex alto scalarum cecidit *a* semianimis. quem in apoplexia iacentem quum nullo remedio iuuare posset Vesalius, tandem adactus fuit cranium eius aperire, quo fluxionibus, quæ intus in cerebro residebant & putrescebant, viam faceret. Ab eo tempore cerebrum perpetim infirmum sensit, subiectum frequentibus decubitibus, functiones ingenii errabundas, & mentem omnibus impressionibus susceptibiliter expositam. Fuit alioqui natura prompta & feruida, sed sicut *b facile ingenia adolescentum a recta & honesta disciplina ad luxum voluptatemque delabuntur*, nihil in eo temperati, nihil moderati, nec quidquam tam desiderauit quam procul à patre posse pro suo arbitrio viuere, & inter complures conuenientias, quibus cum Gallieni Imperatoris ingenio conspirare videbatur, notatum in tempore est, eum eodem modo *c censuram parentis ferre non potuisse, votiuumq; illi fuisse, quod imminentem ceruicibus suis grauitatem paternam non haberet.*

Apophthegma Themistoclis.

a Putabatur hoc casu mortuus. Rex pater se recepit Matritiũ ad S. Hieronymi, vt eũ deploraret. Post frequentes processiones extractũ fuit ex sepulchro corpus F. Diegonis de Alcala ante centũ annos eo illatũ, ita tamen integrum, ac si eodẽ die sepultum fuisset. Id simulatque super Principem fuit extentum, recepit ille spiritum ac reuixit. Factum id anno 1563.

Andreas Vesalius Medicus Bruxellensis.

Hugonis Blotij Delph. IC. acroama.

Ingeniũ Caroli Hispaniarum Infantis.

Protestantes Germaniæ Principes, Ordines Belgii, Regina Angliæ, Rex Daniæ, eum sollicitabant ad fœdus secum ineundum, promittentes ei Imperium & obedientiam omnium gentium, quæ sub iugo Hispanorum viuere detrectant. Passus est sibi persuaderi, & ne quid impedimenti obesset, machinari in vitam Regis *d* patris (vt perhibetur) instituit. Accersito ad se Ioanne Austrio, rogauit num animus illi esset sequi se & iuuare pro omnibus & contra omnes quos vellet. Austrius fidem suam sancte adpromittens neminẽ exclusit, excepto solo Rege. Quum Princeps instaret, vt sibi operam suã simpliciter sine vlla cõditione aut vllius hominis exceptione addiceret, Austrius secretũ Principis, quod ipsemet ex naturæ impetuositate celare nequiuset, detexit & ad Regẽ retulit, qui *a* inexorabilis, quippe seuerus cõtra eos qui deliquerunt, intrauit noctu in cubiculũ Principis, depræhenditq; cubantẽ cũ duob. pistoletis, quos

Seductus fuit à debito.

Aperit animum suum Austrio.

b HEROD. lib. 1.

c TREBEL. POLLIO in Gallieno.

d Res horrẽda & præter naturam, vt filius coniuret cõtra patrẽ. Ouidius tamen iam olim dixit versum, in quo litteræ memorabiles conficiunt exacte annum, quo imprudens iste Princeps periit. *FILIVs ante DIem patrIos InqVIrIt In annos.*

a Σεβῆρος ἐπὶ τοὺς ἁμαρτάνοντας ἀπαραίτητος. ZOSIMVS lib. 1.

vocant,

1598.

vocāt, sub lecti puluino positis, & litteris societatis coitionem cum hostibus significantibus. Rex ei primum custodiam, dein carcerem, denique mortem dedit. Sed prius congregato Consilio conscientiæ rogauit, quid commeritus esset filius Regis, qui contra Rempublicam se confœderauerit, & contra vitam patris cōspirauerit, num pater eum posset condemnare? Cui Consiliarii proposuerunt duas vias, vtramque iustam & possibilem, vnam gratiæ & veniæ, alteram iustitiæ & pœnæ: ostendentes simul differentiam inter misericordiam patris & iustitiam Regis, dixerunt, *b* si clementer sæpe illis ignouerit quos non amabat, quanto minus indulgentiam posset recusare ei, quo carius in toto mundo nihil habere deberet. Orarunt, vt imitari vellet exemplum Caroli Magni Imperatoris, qui leuitati adolescentiæ condonauit pœnam, quam filius eius Pipinus Gibbosus commeritus erat, quum prima vice contra se conspirasset: & pro secunda vice detrusit eum in Monasterium, protestatus se esse patrem, non Regem aut Iudicem filii sui. Respondit Rex, *c instituente quidem natura plus se filium, quam semeipsum diligere*, sed instituente Deo, plus se diligere populum suum: rogauitque, an sciens mala, quæ ex impunitate aut dissimulatione criminum filii sui euentura essent, posset salua conscientia ei veniam dare, & sine culpa esse miseriarum, quas clemētia sua esset productura? Ad quæ verba Theologi, sublatis humeris & oculis in lachrymas effusis, responderunt, salutem populi debere ei esse cariorem salute filii, *a* & indulgenda quidem esse peccata, sed eiuscemodi enormia crimina, veluti monstra abominabilia, esse suffocanda. Quo facto Rex submisit filium iudicio Inquisitorum, vetans eos respicere auctoritatem suam, non magis quam cuiusquam vel infimæ sortis in Regno: iubens considerare qualitatem filii sui, tamquam Regis, neque eam separare à qualitate eius qui accusat, donec cognoscerent enormitatem criminis non permittere amplius eam considerationem; & recordari quod gestarent in anima viuam imaginem eius Regis, qui iudicauit Angelos, & qui absque omni discrimine iudicaturus est Reges & filios Regis vt cæteros homines: committens se eorum conscientiæ, in quos suam conscientiam deposuerit.

Inquisitores, *b* propter commercia quæ habuit & practicauit cum hostibus Religionis, eum declararunt Hæreticum; & propter conspirationem contra vitam Regis patris initam, condemnarunt ad mortem. Rex fuit accusator, Inquisitores iudices. Verumtamen

Captus.

Rex Consilium Conscientiæ cōsulit.

Admonitio Theologorum.

b *Inimicorū delicta toleramus, quid mirum, si etiam filiorum?* PLVT. de lib. educ.

c LATINVS PACAT in in Panegyr. Theodosii.

a *Multa donāda ingeniis, sed donanda vitia, non portenta.* SEN. 10. Controuers. 3.

Rex vult vt filius suus tractetur tamquam Rex.

Sentencia inquisitorum.

b Princeps Aurasiensis in Apologia dicit, quum hic Princeps fuerit Hispaniæ Infans, ac Dominus & Magistratus præsumptiuus, fuisse omnium Regni Ordinum eum iudicare, non trium aut quatuor Inquisitorum tantū, si Rex ipsius haberet habuisset aduersus eum criminationē morte dignam.

senten-

1598.

ſententia à Rege fuit ſignata: quam *c* ſignaturus, Deus ſcit quantam violentiam, quanta tormenta in animo ſuopaſſus ſit, vt rumperet inuincibilia affectionis paternæ vincula. Vtut ſit, tamen pater fuit ac manſit, & ſenſit ſe condemnatum in ſententia filii ſui. Sententiâ ſignatâ & pronuntiatâ, varia mortis genera depicta ei præſentabantur, vt quam putaret omnium leniſſimam eligeret. Ille vero rogauit, an nulla ſupereſſet pietas in patre pro impetranda gratia, nullus fauor in Conſilio pro Infante Hiſpaniæ, nulla prudentia pro excuſatione adoleſcentiæ? Et quum illi diceretur, ſententiam mortis eſſe latam, quæ reuocari nullo modo poſſit, nec reſtare quidquam gratiæ niſi in eligendo mortis genere quodcumque vellet, reſpondit, vt ſe morte afficerent quacumque ipſi vellent: non eſſe vt genus mortis eligeret, quum ea dari non poſſet, quam *a* Cæſar optimam iudicauit. Quæ poſtrema verba prolata cum ardore animi, conſequas habuere mille imprecationes aduerſus fortunæ malum, aduerſus inhumanitatem patris, aduerſus denique crudelitatem Inquiſitionis, ingeminantium ſæpe hæc verba; *O miſerabilis filius patris multo miſerabilioris!*

Dilata mors in aliquot dies, quo & ſe ſentiret mori, & cogitaret ea quæ poſt mortem ſunt. Confeſſor, vbi conſcientiam eius habuit conformatam ad ſuſcipiendum mortem ſecure & ſine horrore, ſubiecit, quod etſi in flore ætatis ſit moriendum, non tamen eſſe cur de morte conqueratur: *b portum petendum numquam recuſandum eſſe, in quem ſi quis intra primos annos delatus eſt, non magis queri debet, quam qui cito nauigauit.* Poſtero die mane quatuor mancipia in cubiculum ingreſſa eum excitarunt, vt in perpetuum ſomnum inducerent. Annuntiatur hora vltima, conceſſo aliquantulo ad precandum ſpatio. Inde cum horrore ſurgens ſe in angulum lecti coniecit, vbi duobus brachia, tertio pedes tenentibus, quartus funem cum laqueo ſerico adſtringens eum leniter *c* ſtrangulauit. Pleriq; tradunt, eum ſecta vena, & pedibus in aqua poſitis periiſſe.

Mors Reginæ Hiſpaniæ, quarto poſt menſe defunctæ, occaſionem præbuit alias cauſas mortis efferendi. Quidquid ſit, *d magna oportet eſſe vitia atq; peccata filij, quibus incenſus parens potuerit in animum inducere, vt ipſam naturam violaret: vt amorem illis penitus inſitum eijceret ex animo, vt deniq; patrem ſe eſſe obliuiſceretur.* Hoc factum nemo culpauit, niſi quatenus iuſtitia modum exceſſit. Atqui ſecuritas rerum patris non permittebat clementius agere aduerſus filium tam prauum. Laudatur Torquatus, quod iuſſerit filio caput præcidi, qui contra mandatum pugnauiſſet. Brutus interfecit duos filios, qui complices

erant

Marginalia:

c Pater erat: numquam hi affectus in tantum vincuntur odio, vt non ad naturam ſuam tandem reuertantur. QVINTIL. Declam. 322.

Electio generis mortis.

Inopina mors eſt optima.

a Qui pridie quam occideretur, in ſermone nato, ſuper cœnam, apud M. Lepidum, quunam eſſet finis vitæ commodiſſimus, repentinum inopinatumq; prætulerat SVET. in Iul. Cæſ. PLVT. in Vita Iul. Cæſaris.

Excuſatio dilatæ mortis.

b SENECA epiſt. 69.

Mors Caroli Infantis Hiſpaniæ.

c Sepultus eſt Madritiæ in æde S. Dominici Realis: vbi & Petrus cognomento Crudelis Rex Caſtiliæ, & quidam Regius filius in carcere mortuus, inhumati iacent.

Mors Reginæ Hiſpaniæ.

d CICERO pro Roſcio Amerino.

1598.

erant coniurationis aduersus Rempublicam coitæ. Quid potuit facere Rex Hispaniæ inter duas ingentes passiones, Iustitiæ Regiæ & affectûs paterni, quam vt se submitteret Iudicibus? Nam vt sequeretur antiquam consuetudinem parentum, qui crimina suorum liberorum cum consilio agnatorum & amicorũ iudicare soliti erant, videbatur procedendi modus nimis periculosus. Quidquid ad sui defensionem protulerit, constat accusationem æque fuisse veracem, quam delictum fuit enorme. Ita sidus, quod potentissimi quique in Hispania iam admirari cœperant in ipso ortu ætatis & spei disparuit, cum ingenti totius Europæ obstupescentia. Rex Hispaniæ maluit *a* perdere, quod in toto mundo habuit carissimum, quam permittere vt Respublica turbaretur. Res est inaudita, vt Princeps Rempublicam præferat vitæ vnigeniti filii & in ætatis flore constituti.

Rex Hispaniæ prætulit publicum bonum suo priuato.

a *Ingens gloria morientis Principis, Rempublicã magis amare quam filios.* FL. VOPISCVS in Tacito.

XIV.

Quemadmodum † exercitatus fuit prauis & degeneribus filii inclinationibus, ita offendebatur Ioannis Austrii ingenio & moribus, sæpeque pœnituit quod eum non vouerit Ecclesiæ, quemadmodum pater ordinauerat. Hic iuuenis post victos Mauros & prœlium Lepantanum, concepit spiritus conditione sua elatiores. Virtutem suam longe maioris æstimabat, quam publica opinio admitteret. Amabat homines militares, & *a* quibus domi nihil erat quod curarent, cum sequebãtur, non ignari ingenium eius tale esse, quod eos otiari non sit passurum, & quocumque venturus sit, semper confore rerum mutandarum studium. Naturale ingenium eorum, qui in pace ad famis necessitatem adiguntur. Voluit contra legem & conditionem natiuitatis suæ, vt Rex Hispaniæ sibi concederet statum & locum Infantis Hispaniæ; & quum non posset habere partem regnorum eius, voluit quærere alia. Habebat Secretarium nomine Ioannem de Soto, cuius ingenium foris incrustatum multis magnisque experientiis, intus erat repletum grandibus & excelsis imaginationibus, quibus ducebatur ad Dominum suum æqualem potentissimo Europæ Principi reddendum. Cui persuasit vt se faceret Regem Thuneti in Africa, & cum Papa ageret de erectione illius Regni, vnde sibi totius Africæ Monarchiam pollicebatur. Interea Rex Hispaniæ Austrio mandauit, vt muros Thuneti solo æquaret propter incommoda, quæ præuideret inde secutura. quod ille quidem facere neglexit, diuersis consiliis agitatus, & existimans se facile conseruaturum eam vrbem & quasi alteram Carthaginem redditurum, *b* nec fieri posse vt victi in continenti ament suos victores. Verum secus euenit. Nam propter incuriam Consiliario-

Ioan. Austrius destinatus Ecclesiæ à Carolo V.

a *Semper in ciuitate quibus opes nullæ sunt, noua expetunt, vetera odere, odioque suarum rerũ mutari omnia student.* SALLVST. in Iugurtha.

Ioan. Austrius feminis addictus.

b *Quos viceris, caue amicos tibi esse credas.* CVRT. l. 7.

1598. rum, aut diſſolutos iuuentutis eius mores, Sinan Baſſa, vtrumque propugnaculum pariter abſtulit, reliquias glorioſiſſimorum triumphorum Caroli V. Imperatoris. Rex Hiſpaniæ æſtimans, ſublatis illis, qui eiusmodi cogitationum elato iuueni auctores exiſtebant, easque inſtillabant, fieri poſſe vt ſimul & ipſæ euaneſcerent, adempto illi Ioanne de Soto, ſubſtituit Ioannem Eſcouedum, qui ſtudens Domino ſuo ad placitum ſeruire, Conſilia ſua ad eius ingenium accommodauit. Eſcouedus animaduerſa Domini ſui voluntate, ad cuius arbitrium altiora ſumere oporteat, quam Hiſpaniæ Conſilium iniunxerit, eum informare cœpit de Regnis Angliæ & Hiberniæ occupandis, & precibus Papæ pro & interponenda auctoritate & ferendo auxilio offerendis. Rex Hiſpaniæ diſſipauit conſilia nouellæ huius Monarchiæ, adeo vt omnia in ventos cum ramentis abierint.

Ioannes Eſcouedus.

XV. Matrimonia Regis Hiſpaniæ.

Si fuit † infauſtus in cariſſimis pigneribus ſuis, longe fuit infauſtior in matrimoniis, & omnium ſuarum felicitatum primam tantum ſyllabam guſtare didicit, id eſt *a* FEL. Prima eius vxor mortua eſt in puerperio, Carolum Principem enixa. Altera iam annoſa erat, quum ei ſponſaretur, matrimonio parum *b* honorificis conditionibus contracto. Nam refutata ei fuit Anglicana Corteſia, quę marito poſt Reginæ deceſſum permittit vſumfructum omnium bonorum relictorum à Regina ſine liberis decedente. Tertia coniux defuncta eſt ante dies: Princeps à cunctis Hiſpanis deplorata, felicior in fructibus coniugii & auctoritatis gloria, quam fortunæ magnitudine. Erat enim pulchra & magnanimis, & (vt vno verbo omnia dicam) Galla, filia, ſoror & vxor Regis. quam mors non fuit auſa aggredi niſi proditorie. Quantum Rex eius deſiderio mœſtatus fuerit, abunde *c* litteris ad Regem Carolum IX. Reginam matrem, & Principem ſcriptis declarauit. Quarta fuit Anna Auſtriaca, neptis eius ex propria ſorore, quam in expeditione Portugallenſi amiſit. Si qua infortunia in coniugiis ſenſit, certe nec in liberis eadem abeſſe voluerunt. Is, qui ei ſucceſſit, magnam ætatis partem ſine ſpe viuendi aut regnandi conſumpſit. Ex impudicitia nutricis vlcus contraxit, cuius ſanandi cauſa quatuordecim integros menſes habitus fuit in curatione, vt tractari ſolent qui laborant *a* morbo, quem Veſputius ex America apportauit.

Corteſia Anglorum.

Impudicitia nutricis Regiæ.

XVI. Nec † animi tantum, ſed & corporis afflictionibus ſuccubuit. In iuuentute nimium deditus voluptatibus, neque ab iis ſeſe temperare iam ætate adulta potuit. Coactus tandem fœnus cum ſorte perſoluere, afflictus maximis & grauiſſimis morbis, quum *b* *in ſenectute*

a *Doce leue eſſe & vanum hoc, quod felicitas dicitur, vnã illi ſyllabam facillime accedere.* SENEC. Quæ autem illa ſyllaba? *Fel.*

b Imperator Carolus V. petiit quinquaginta Nobiles pro obſidibus, dum filius eius eſſet in Anglia, dicens, filium ſuũ non ſatis tutũ eſſe in regno vxoris ſuæ. BODIN. lib. 6.

c Quarũ originale vidi apud D. Vicum Legatũ Regiũ apud Heluetios.

a Variola, vulgo *morbus Gallicus*, aduecta fuit ex America per Americũ Veſputium Nauarchum nominatiſſimum.

b PLATO in Axiocho.

1598.

ctute erumperent & effunderent se naturæ eius mala ac vitia omnia, viuens moriens in viua morte, in qua nihil opus habebat præter puerum, qui cottidie mane occineret; PHILIPPE TV ES HOMO, vt *c* Philippo Macedoniæ Regi, quippe omnibus miseriis, quibus conditio humana sine vllo magnitudinis respectu est subiecta, circumfluens & expositus.

c Cui puer singulis matutinis in cubiculū ingressus acclamabat trib. vicibus; φίλιππε ἄνθρωπος εἶ. ÆLIAN. lib. 8. de Var. hist.

Principes plerique peccata Dauidis imitantur, sed non pœnitentiam. At Rex Hispaniæ sibi ipse seuerissimas disciplinas imposuit ad corrigendum sua delicta. Viuebat instar Monachi. Exercitia eius erant lectio SacræScripturæ, per quam Deus cum hominibus colloquitur: aut preces, per quas homines loquantur cum Deo. Quod si quandoque oblectandi animi gratia excurrendum fuit, *a* quemadmodum senectus quoque licet capularis & silicernia habet suas voluptates, aliquot horas in venatione vulpium cōsumere solebat, curru cum Principe filio & Infante filia vectus. Duodecim aut quindecim annos ante mortē vino se abstinuit, nec cibū nisi statutis horis, certorum eduliorū & certi ponderis, sumpsit. Deficiente naturali calore ad digerendos podagræ humores, crus ei sæpe non sine maximis doloribus aperiendum fuit. Paucis ante mortem diebus digitus à manu rescissus, in quo gangræna serpere occœperat. *b* Quod fuit interusurium longæ moræ, nolente natura gratis dare tam longam senectutem. Mors noluit eum abripere, priusquam illi reipsa ostendisset, Principes, vel Summomaximos in orbe, habere vitæ excessus æque miserabiles & turpes, quam vel homines omnium pauperrimos. Principio inuasit illum sedes phthiriatica & innumerabilis pulicum exercitus, in quo ipse fuit & castrorum locus, & pugnator & pugnatus. Sed miseria præsentis non tam eum excruciauit, quam futuræ vitæ. Nam cogitans profundissimam iustitiæ Dei abyssum, simul & rationes quas eidem reddere haberet de tot diebus, tot actionibus, tot populis, tanto sanguine fuso & perdito, optare cœpit vt aut Rex numquam natus fuisset, sed omniū pauperrimus in Hispania opilio, aut statim post natiuitatem in pueritia exstinctus, existimans *c Deum, qui rerum humanarum sciens est, eum, quem habet carissimum, celerrime vitæ incommodis liberare.* Boni Principes, qui regnant feliciter, recompensantur dupliciter in felicitate regni cœlestis. Mali econtra semper in hoc sæculo afflicti sunt, neque in altero liberantur. Similes sunt illis, qui multo tempore pericula & tempestates maris experti, tandem ad aliquem portum appellunt & in terram se recipiunt, cuius incolæ tam crudeles & inhumani sunt, vt homines deuorent. Paullo antequam moreretur, vo-

a *Iucundissima est ætas deuexata, non tam præceps: & illam quoque in extrema tegula stantem iudico habere suas voluptates.* SEN. 12. epist.

Abstinentia & frugalitas Regis.

b *Si quis tardius veluti debitam vitā minime reddiderat, natura tamquam feneratrix instans atq; vrgens, ab alio aspectum, ab alio auditum, sæpenumero vtrumq; tanquā pign⁹ exigit.* PLAT. in Axiocho.

Pœnitentia Regis.

c PLATO in Axiocho.

Deus aufert ex mundo, quos amat.

Exhortatio Regis Hi-

1598. ſpaniæ ad filium.

catum ad ſe Principem filium hiſce verbis alloquutus eſt, *a* non eſſe ſibi tantum virium & capacitatis, vt eum inſtruere poſſet præceptis neceſſariis ad condigne formandam gubernationem tot populorum, quorum hereditatem illi relicturus eſſet: dediſſe tamen ſchedam Confeſſori ſuo, in qua eī præſcripſerit ſaluberrima experientiæ ſuæ conſilia, & iuſtiſſimas conſcientiæ ſuæ admonitiones: nunc ſaltem voluiſſe, vt præſens in extremo vitæ articulo, pro vltima valedictione, audiret poſtrema verba omnium maximi, ſanctiſſimi & iuſtiſſimi in orbe Regis.

Teſtamentũ S.Ludouici.

Hinc recitari iuſſit paræneſes S. Ludouici Galliæ Regis, quas moribundus ad Philippum Auguſtum filiũ fecit. Quo facto, *b* more priſcorum Regum, qui in extremo vitæ conſtituti munera distribuere inter cariſſimos ſolebant, annulos digitorum, aut talia quædam, iuſſit ſibi præſentari ciſtulam eburneam, inde amoris monile & annulum memoriæ, quo Principem filium ſuũ honoraret, ſumpturus. In eo fuit Crucifixi imago cum Diſciplina, quam filio porrigens dixit, patrem Imperatorem manu tenentem Crucifixi imaginem mortuum eſſe, cupere & ſe mori eandem tenentem, precari Deum vt & filio gratiam aliquando faciat, vt moriturus eandem tenere poſſit, geſtans in manu vt in corde triumphum redemptionis humanæ. Cum Diſciplina vero poſſe ſanguinem eius, cum aui & patris ſanguine commiſceri. Quibus dictis, commendauit illi Infantem Iſabellam, quam vnice diligebat. Nihil autem de liberis ex Catharina Sabaudiæ Duce natis, quibus paullo ante in ſui memoriā legauerat effigiem Diuæ Virginis Lauretanæ.

Sexennio antequam moreretur, Crucifixi huius locũ indicauit.

a Itali ſcribunt, commendaſſe eũ filio reuerẽtiam & obedientiā Eccleſiæ Romanæ, iuſtā electionem Magiſtratuũ Iuſtitiæ, exſtirpationē hæreſium, & ſolatiũ populi in moderandis exactionibus.

b SVETON. in Tiberio cap. 73. & in Caligula c. 11. DIO lib. 53. de Auguſto, EGESIPP. lib. 1. c. vlt. de Ptolomæo.

Conſolationes in morbo.

In acerrimis morbi cruciatibus recitare ſolebat Pſalmũ XLII. in quo Dauid ſub comparatione cerui à canibus & venatore agitati repræſentat extremum ardorem animæ deſiderantis ſe iungere cũ viuo vitæ fonte, qui non moritur nec vmquam exſiccatur. In hoc ardore & in quinquaginta poſtremis vitæ diebus, quater & decies communionem Corporis Chriſti ſumpſit, præcedente ſemper confeſſione generali quantum potuit ſtrictiſſimo & rigidiſſimo examine facta, *a* proteſtatus contra Confeſſorem, ſi ſibi non iniungeret omnia ea, quæ neceſſaria viderentur ad bonum conſcientiæ, præſtita exactiſſima cunctorum obedientia, quæ ordinaturus foret.

Frequens Communicatio, quarũ vltima fuit 8. Septemb.

Hæc ad mortem promptitudo tanto cum feruore erat coniuncta, vt Confeſſor optarit mori eodem in morbo, & in ſtatu eodem, ne ſanitas mutaret aut refrigeraret forte tam pulchram & felicem diſpoſitionem animæ. Febris lenta, cum qua tres annos conflictatus erat, & podagra omnium violẽtiſſima & crudeliſſima, quæ

Diſpoſitio & cōformitas ad volũtatem Dei.

a Miſſo ad eũ hoc ſcripto p Chriſtophorum Moram: *Padre vos eſtais en lugar de Dios, yo proteſto delate de ſu acatamiento que hore yo lo que me dixeredes, que he meneſter para mi ſalvacion: y aßi por vos ſtara lo que yo no hiziere porque eſtoy apareiado para hazerlo todo.*

1598.

Noluit audire sermones nisi de Deo aut de morte.

corpus torquere possunt, præparauerunt eum ad mortem multo tempore antequam paratus fuerit eam adire. Nullos sermones, nisi qui de morte haberentur, adueheretur sustinebat. Nobilis quidam, videns eum inter dolores nonnumquam cruciatuum interuallum & alleuationem sortiri, dixit, si mutare cubiculum, & in aliud Curialis amœnius & magis aerium transportare se pateteretur, asserere Medicos, posse eum adhuc duos annos superuiuere. Ad quem ille conuersus: Date, inquit, effigiem Diuæ Virginis, quæ fuit Imperatricis matris meæ, & quam ego annos amplius quinquaginta circumgestaui, Infanti filiæ meæ. Super excessu suo, tamquam de Regio aliquo ingressu in splendidam Regni vrbem, sermocinabatur, & de sepultura, tamquam de coronatione. *a* Volo, inquit, vt Crucifixus in collo appensus requiescat super meo pectore: Volo in manibus meis tenere eum, quem pater meus moribundus gestauit. *b* Facite præstò sit candela Montserratensis, quam mihi in agone iacenti præbeatis. Ite, inquit, ad duos Religiosos, & sumite mensuram feretri patris mei, & inspicite vt sit inuolutus: volo ego eodem modo sepeliri non maioribus ceremoniis, quam vel pauperrimus Monasterii Monachus. Qui morienti adfuerunt, de eius constantia referunt, quod S. Augustinus alicubi de quodam Sancto Hispano scripsit: *Tanta pœnarum asperitas sæuiebat in membris, tanta securitas sonabat in verbis, vt miro modo putaremus, Vincentio patiente, alium non loquentem, torqueri: & vere ita erat, caro enim patiebatur, & spiritus loquebatur.* Nihil diutius in illo viuebat, quam peccatorum sensus, quo ita acriter stimulabatur, vt quum ei crus aperiretur, & Princeps filius rogaret, num magnos dolores ex nouo vulnere sentiret, respondit, se maiores ex vulneribus peccatorum suorum sentire. Commendauit se totum Dei voluntati, & plus millies millies hæc verba ingeminauit; *Pater tua voluntas fiat, non mea.* *a* Omnia hæc mala, quæ patior, erunt mihi in remissionem peccatorum.

Ordinat ipsemet pastum suæ sepulturæ.

a *Aueisme de aiar alcuello vna cuerda de donde cuelgue sobre le pecho vna Crutz de palo: con este Crucifixo tengo de morir, que es con el que muri el Emperador mi segnor.*

b *Alli estan vnas velas de nuestra Segnora de Montserrate. apereiame a qui vna, y tened la punto: desta forma sera la caxa en que me aneys desepultar.*

Serm. 12. de Sanctis.

Vulnus peccatorũ sensibile in bona conscientia.

a *Mucho mas me dolian mis peccados: Sea en remißion de mis peccados.*

Extremam Vnctionem suscepit Kalendis Septembr. Vesperi circiter horam nonam, postquam ab Archiepiscopo Toletano cu piuisset de ordine & forma administrandi eius sacramenti, quod celebrari numquam vidisset, instrui. In animo habebat Principem & Infantem Madritiam amandare, ne miserabili spectaculo dissoluendi corporis interessent, sed mox propositum mutauit, voluitq; vt Princeps, quum extrema Vnctio daretur, sibi adesset: qua accepta, amotis ceteris, quos facessere omnes iusserat præter Principem, ad eum solum hæc verba fecit: *b* Desideraui, Fili, vt præsens huic

Extrema vnctio.

b *He querido hijo mio que os hallassades presente en esta ora, y viessedes como ho recibido el Sacramẽto de la Extrema vnzione. Lo vno*

Postrema verba Regis ad Principẽ filium.

1598.

porque no os acontezea lo que a mi y tẽgays la ignorancia que yo he tenido de como se administra este Sacramẽto diuino: Lo otro para que veays en que paran las Monarquias deste mũdo. Ya veis hijo mio, como Dios me ha desnudado de la gloria y Magestad de Rey, para daros a vos esta inuestidura, a mi me vestiran dentro de pocas horas de vna pobre zauana, y me cogniran con vn pobre cordel. La Corona de Rey, ya se me caede la cabeza la muerte me la quita para daros la à vos.

actui esses, quo tibi certius constare posset, me vixisse secundum ordinem huius sacramenti; & vt simul videres, quæ maneat Reges finis, & quo denique sceptra ac coronæ redigantur. Nunc tibi duas res commendo, vt & in Ecclesiæ obedientia constanter perseueres, & iustitiam subiectis sancte administres. Veniet tempus, quum hæc Corona æque de capite tuo, ac de meo nunc, decidet. Iuuenis es, & ego fui. Dies mei erant in numerato, qui nunc sunt consummati. Deus tenet numerum dierum tuorum, qui & aliquando consummabuntur. Sunt qui dicant, præterea illi commendasse bellum aduersus Hæreticos, & pacem cum Gallis.

Princeps putans iam cum patre factum esse, & desiderans in tempore stabilire Marchionem de Denia, cui impense fauebat, mandauit Christophoro Moræ vt sibi clauem auream cimeliarchii redderet, qui se excusauit dicens, non audere se, viuente Rege, eam cuiquam committere. Quare Princeps vehementer offensus postea, quam grauiter hanc repulsam tulerit, facto demonstrauit. Christophorus de eo ad Regem retulit, qui nec intempestiuum filii mandatum laudauit, nec denegationem Christophori probauit, quem iussit confestim Principem accedere, & petitâ humiliter veniâ clauem offerre.

Marchio de Denia.

Vsque ad eam horam Rex negotia publica Regnorum semper ipse gessit: quorum *a* Principi filio ne minimam quidem partem in administratione participare sustinuit. Morbus nec intelligentiam, nec exsecutionem mandatorum impediebat. Consilium existimabat, auctoritatem supremæ potestatis penes illum viuam ac sanam *b* vsque ad extremum halitum duraturam. Post extremam Vnctionem se mutauit, vt Ezechias facie ad parietem, & humeris ad rem suam conuersis. Et animo cœlum versus erecto noluit amplius humum propendere.

Rex Hispaniæ negotia publica tractauit vsque ad finem.

a Princeps Hispaniæ subscribebat hoc modo: *yo el Principe.* Et inferius subiiciebatur: *Por mandado del Roy nuestro Segnor su Alteza en su nombre.*

b *Ab incolumi quamuis paulatim negotia perfici possunt, à mortuo nihil.* S. AVREL. VICT. in Commodo.

Mortuus est leniter die Dominica XIII. Septembris circiter horam quintam pomeridianam. Qui mensis notatur semper exstitisse *a* maximis Principibus fatalis, ab iis qui Caroli V. Imperatoris obitum descripserunt. Annos vixit vnum & septuaginta quam ætatem nullus vmquam ex domo Austriaca attigit. Æuum est longissimum, si aliorum Principum annos spectes, & abbreuiationem vitæ, quæ nobis non contingit tam longa, vt Patriarchis, postquam post *b* Moysis tempora ad LXXXX. annos redacta est, & Dauid dixit esse

Mensis September destinatus magnis effectibus.

a Mensis Septẽber summis Principibus & Monarchis fatalis, vt Augusto, Tiberio, Vespasiano, Tito, Domitiano, Aureliano, Theodosio, Valẽtiniano, Gratiano, Basilio, Cõstantino V. Leoni V. Rudolpho, Friderico III. Pipino, Clothario, Carolo Caluo, Ludouico Iuniori, Philippo III. Ludouico Regi Hungariæ, Carolo V. Imp. Carolo V. Regi Galliæ, Sultano Solimano, Ioanni Duci Burgundiæ.

b *Post Mosis ætatem vitæ terminus CXX. annorum Deo finitore est statutus.* IOSEPH. Antiq. Iudaic. lib. I.

laborem

1598.

laborem & dolorem, quidquid ſeptuaginta annos excurrit, & ingenti ac vegeta complexione ſit oportet, qui vlterius velit tendere.

c Præſentibus Rege & Infante, & magnatibus Hiſpaniæ, Duce Terrenouano, Principe Marrucano, Comite Aluade Liſte, Duce Nagerano, Petro Medice, Duce Alcalano, Duce Medinæ Sidoniæ, Duce Arcoſio.

Exſequiæ funebres Regis Hiſpaniæ 18. Octobr. 1598.

Pompæ funebres *c* celebratæ in omnibus principalibus Hiſpaniæ Eccleſiis, in quibus comparabatur Dauidi quoad inimicitias cum hoſtibus Dei; Salomoni in Hiſpaniarum pacifica gubernatione & regimine; Ioſiæ in reformatione eorum qui ſanctimoniã profitentur; Iobo in tolerantia & patientia; Auguſto in magnitudine; Traiano in iuſtitia; Conſtantino in religione; Theophilo in obedientia Eccleſiæ. Capella Ardens exſtructa in templo S. Hieronymi Madritiano pulcherrime & pretioſiſſime, ſuſtinetur duodecim columnis, in quarum quatuor conſpiciuntur ſtatuæ patris & auorum Regis ſculptæ & veſtitæ cum ſuis geſtis triumphalibus, cum plurimis vexillis & trophæis. Numerati illic ſunt bis mille & quingenti cerei, præter res alias ſtupore dignas. Pariſiis quoque in templo D. Virginis exſequiæ eius iuſſu Regis celebratæ.

Capella Ardens Madritiæ.

Conſiſtorium Ferrariæ.

a Clemens VIII. acceptis Ferrariæ litteris à Rege Hiſpaniæ ſuper morte patris Philippi II. Regis cõuocauit Cõſiſtorium 9. Octobr. 1598.

Papa *a* allato ad ſe mortis nuntio è veſtigio Conſiſtorium congregauit, & auditis more conſueto Cardinalibus, grauem hanc & affectuoſam orationem habuit; Si vmquam Sancta Sedes occaſionem habuit dolendi & contriſtandi, nunc profecto habet propter mortem tanti Principis, in quo Eccleſia magnum defenſorem, & eius perſecutores potentem hoſtem amiſerunt. Cuius omnis vita fuit perpetua pugna cum infidelibus, hæreſibus & erroribus. Duo tamen ſunt, quæ nos conſolari in hac calamitate debent: vnum, quod defunctus cum admirabili conformitate ad voluntatem Dei, patientia incredibili in doloribus, immutabili conſtantia in religione, nunc fruatur in cœlis gloria immortali: alterum, quod filium reliquerit, in cuius ſpe ſignum nobis ſublatum eſt tam ſanctum & felix, vt haberi magis debeat reſurrectio patris quam ſucceſſio filii. Quibus dictis vtrumq; pariter precibus Cardinalium recommendauit; illum, vt ei retribuatur quod in vita Eccleſiæ præſtitit; hunc, vt animetur ad conſtantiam, quam *b* litteris offert, voluntatis erga Eccleſiam perſeuerandæ.

Iudiciũ Papæ ſuper Philippi morte.

b Litteræ Regis Hiſpaniæ, ſcriptæ ad Papam, lectæ fuerũt in pleno Cõſiſtorio.

XVII. Nunc † reſtat vt dicamus de iis, quæ laudabiliter in vita feciſſe prædicatur. *c In vno Angulo*, vt dici ſolet, *boni Principes poſſunt perſcribi atq; depingi.* Philippus dotatus fuit magnis virtutibus; omnibus præditum eſſe vix cuiquam contigit. Purpura Principum, in qua nihil ſit quod deſideretur, in cœlo remanſit. Magnus fuit pietate, religione, iuſtitia, liberalitate, conſtantia. de quibus ſingulis aliquid ordine dicendum eſt.

c FLA. VOPISCVS in Aureliano.

Quod

1598.

Pietas & religio Philippi.

Quod ad pietatem & religionem attinet, ſæpe auditæ ſunt voces eius, Si Princeps filius meus deueniret hæreticus aut ſchiſmaticus, ego meis manibus ligna ad eum comburendum congererem. Semper proteſtatus eſt, cunctas ſuas bellicas expeditiones, cuncta exercitia in pace ad vnicam Religionis propagationem ſpectare. *a* Vltima verba, quæ ſimul cum ſpiritu abierunt, fuere, Mori ſe Catholicum. Reueritus eſt Papam vt Clauigerum regni cœlorum, Principem Eccleſiæ, Vicarium generalem Dei in Imperio animarum. Papæ viciſſim eum honorabant, vt principale columen pacis & vnionis Eccleſiaſticæ. Quo titulo eum Pius V. inſigniuit, cum ſacrum fœdus contra Turcos pangeretur: & ſucceſſor eius Gregorius XIII. retulit ad eum, qui pro ſua valitudine intercedi Romæ & rogari voluit; Vita mea parum vtilis eſt Eccleſiæ, & poſt me fieri Papa poteſt me melior. Orate Deum pro valitudine Regis Hiſpaniæ: nam ea eſt neceſſaria vniuerſæ Chriſtianitati. Quam opinionem de ſe ipſemet habuit, & ſic iudicauit de neceſſitate auxilii ſui in rebus Chriſtianorum. Etenim quum aliquando ægrotaret, & Medicus ob infirmitatem eius dubitaret, an ſanguinem mitteret; *b* Noli dubitare, inquit, ſeca audacter. Status Eccleſiæ Dei non permittit vt ego moriar nec in hoc morbo, nec de hac phlebotomia. Nemo neſcit quid auctoritas eius valuerit non modo in Conſiſtorio in obtinendis ſuis intentionibus, ſed etiam in Conclaui in electione Paparum. Tenebat Romam *per gli capelli* & per collum, vt dicitur; quippe qui Romæ famem inferre facile poterat interceptione commoditatum, quas promptius habere nequibat quam ex Regnis eius Romam circumſtipantibus.

a Vltima verba Regis Hiſpaniæ; *Muero Como Catholico en la Fe y obedientia de la Igleſia Catholica Romana.*

b *Dudays de ſangrarme? No temays ſangradme que no eſtan las coſas de la Igleſia de Dios de manera que yo falte agora.*

Hoc dicitur propter pẽſiones Cardinalium, quæ ſunt in voluntate Regis Hiſpaniæ.

Honorauit Pre byteros.

Nec Papam modo, ſed & cæteros Eccleſiæ Prælatos reuerenter colebat, & diligentiſſime cauebat ne in nominatione Prælatorum aliud, quam virtutem ac meritum, ſpectaret. Interceſſit *a* ingẽs altercatio inter Archiepiſcopum Valencenſem & Viceregem, vtri prius Pax & Thuribulum offerretur. Eam contentionem Rex diremit, iuſſitque eum, qui ſuæ Maieſtati Pacem obtulerat, prius Archiepiſcopo præſentare, cum animo ſuo cogitans, honorem, quem miniſtris Dei haberet, ſibi in ſempiternam gloriam computatum iri; nec *b* Principem poſſe maiorem laudem conſequi quam ex cura & Zelo religionis, ſi ſint abſque ſimulatione & hypocriſi. Teſtatus eſt ardorem & affectum ſuum in requirendis vndique Sanctorum reliquiis, atque adeo in ipſo corpore S. Eugenii Epiſcopi Toletani,

a Rex Hiſpaniæ, quum eſſet Valẽtiæ anno 1585. noluit Pacẽ oſculari, priuſquam Archiepiſcopus, dixitque ad offerentem: *Andad, y Dad alla A çobiſpn primero.* IOAN. de TORRES l. 2. c. 7. Moral. Philoſoph.

Eſt quædam ſancta curioſitas conquirere reliquias Sanctorum.

b *Publica religione conſentiẽte, virtus nulla priuata laudatione indiget.* VAL. MAXIM. l. 8. c. 2.

pro

1598.

pro quo etiam *c* Lega um misit ad Carolum IX. Regem Galliæ & Reginam matrem, à quibus & impetratum abstulit, dehortante licet Cardinali Lotharingo, S. Dionysii Abbate. Ad quod suscipiendum Toletam vsque obuiam profectus est, & inde in Curiale suum abduxit. Quas expensas fecit pro canonizatione F. Diegonis de Alcala Ordinis S. Francisci? & F. Raymondi Ordinis S. Dominici, inter literatos nominatissimi propter compositionem Decretalium, & in tota Hispania famosi propterea quod tamquam alter Elisæus super pallio suo ex Maillorca Barsilonem vsque transfretauerit, & (quod hoc sæculo, in quo nos versamur, est rarissimum) Archiepiscopatum Tarraconensem recusauerit. Non amplius reperiuntur, qui se sub specus abscondant, ne ad Prælaturas prouehantur: multo minus qui sibi nares & aures abscindant, quo fiant incapabiles ad functiones & dignitates Ecclesiasticas, quæ *a* requirunt homines integros & animas sanctas. Quidquid negotii ingrueret, numquã tamen visus est horas exercitiorum & deuotionum spiritualium interrumpere. Et legimus in Relationibus Antonii Perezii, sæpe eum negotia grauiora in alium diem protelasse, quam vel in præparatione conscientiæ esset, vel in conuersatione Religiosorum in Curiali. Incedebat capite aperto in Processione Sacrosancti Sacramenti. & quum forte in festo Corporis Christi esset Cordubæ, admonitus à quodam, vt parceret capiti propter calorem Solis, respondit, *b* Solem tanto die non nocere. Et quamuis Princeps esset adeo Religiosus, *c* non tamen amabat nouas Religiones. Ideoque Capuccinos noluit recipere. Austriaca eius familia plurima Collegia Iesuitarum variis in locis fundauit, Viennæ in Austria, Turnouii in Hungaria, Pragæ in Bohemia, Hallæ, Græcii, Monachii, & Oeniponte: hic solus defunctus est sine vlla in eos liberalitate. Dicere contra tantam Religiosorum multitudinem & incrementa Ordinum Regularium solebat, nouos ad antiquam formam esse redigendos, & conseruandos porro in prima integritate institutionis; metuendum esse ne orbis fertilior fiat Religionis quam pietatis. A Confessione habebat fratres Ordinis S. Dominici; à cæteris deuotionibus Hieronymitas, quibus & splendidissimum illud templum Curialis dedit. Dominicum de Chaues Confessorem suum tanta reuerentia prosecutus est, vt ad eum in Cellulam, si quando dubium aliquod in puncto conscientiæ aut pœnitentiæ occurreret, visitandum & & consulendum miserit Præsidentem Castilliæ. Habuit Consilium conscientię pro directione deliberationum & agitationum suarum. Hoc Consilium sæpe prauos actus commisit, etiam qui *d* promis-

c Petrũ Manriquem filiũ Magni Adelantadis Castilliæ, anno 1564.

a Δεῖ ὁλοκλήρους ἱερουργεῖν: Oportet sacra ab integris tractari. IOSEPH. lib. 1. de Bell. Iud. cap. 11.

b *En este dia no haze mal el Sol.*

c Rex Hispaniæ non probabat nouas Religiones, nec voluit vel Minimos, vel Capuccinos, vel Iesuitas suscipere.

Collegia Iesuitarum ab Austriacis fundata.

d Princeps tenetur conuentionibus.

Consilium conscientiæ.

1598.

quas cõtraxit cum subditis, modo sint iuris mere ciuilis. Sed Capitulationib⁹ super eo, quod ad ipsum attinet, non obligatur, nisi quatenus & quamdiu ipsi placuerit.

siones eius concernebant. Historia Portugallensis nobis exempla memorabilia subministrat. Dux Ossimæ & Christophorus Mora aureos montes pollicebantur eis, qui sese Antonio opponerent, & Regis iuribus fauerent in adipiscenda Regni corona. Antonio expulso, quum isti peterent promissa, ac instrumenta & mandata exsequi, Rex eos ad Consiliũ conscientiæ amandauit. Cuius Iudices in hanc sententiam pronuntiarunt; Quum Rex Philippus sit heres Regni Portugalliæ, supplicantes non potuisse contrahere argento, donis vel promissis cum eo de iure, mortemque commeritos quod vltro non obtulerint hostem Reipublicæ: Nam si Regnum pertineat ad Antonium, non potuisse eos illud Regi reddere, ideoque Regem Philippum nullo modo obligari promissis, quæ Legati eius vel Agentes fecerunt supplicantibus: sed vero ex innata benignitate & clementia illis indulgere sententiam mortis, quam hac occasione essent commeriti.

I. TEXERE hoc scribit.

Rex Hispaniæ districtus & seuerus Iustitiarius.

Quod ad Iustitiam attinet, exemplum filii eius sufficit ad ostendendum rigorem eius inflexibilem. Est quidem verum, in multis rebus ac causis processit magis per potentiam absolutam quam ordinariam. *a* Magni isti motus non semper possunt conformari ad normas ordinarias, nec subiici iudiciis rationis aut discursibus humanis. Protestatus tamẽ est in extremitate vitæ, se nemini vmquam iniuriam, iniquitatem aut iniustitiam, nisi per ignorantiam aut falsas ingestiones, fecisse. Actus iustitiæ in Principe, pati vt proferantur gubernationis eius actiones iniustæ. Negari enim nequit, præter æquum & iustum esse, totiens fidem creditoribus suis fefellisse, à quibus mutuum argentum sumpserat; nec octodecim milliones auri, quos Genuatibus debebat, ad duodecim reduxisse.

a *Las resoluciones del poder absoluto no se dexam subiectar assi como quiera iuyzio de la razon, ny al discurso humane.* ANT. PEREZ.

a Hadrianus VI. fuit præceptor Caroli V. Imperatoris: Ioannes Martinus Silecio Primas Hispaniæ fuit præceptor Philippi II. Regis Hispaniæ.

Liberalitas eius comparuit in remunerandis ministrorum suorum meritis. Præceptorem suum promouit ad Primatum Ecclesiæ Hispanicæ, quemadmodum *a* pater promouerat suum ad Papatum. Non superant amplius tales Principes, qui accepta beneficia recognoscant: non sunt hodie Alexandri, qui præceptori suo Aristoteli * centum talenta dono dedit.

* id est, centum & octoginta millia coronatorum.

b Ioannes Austrius in literis ad Regem Hispaniæ datis 7. April. 1577.

Regibus omnibus manus longæ sunt: sed perpaucis largæ ad hanc proportionem. Rex Hispaniæ nullas vmquam præclaras in studiis literarum, in iustitia, in bello actiones irremuneratas abire passus est. Non modo *b* benefaciebat bonis, vt eos redderet meliores, verum etiam malis, ne deuenirent peiores. Numquam tamen hæc verba memorabilia ponit: *Supplico à V. M. que pues haze merced à los malos, porque no sean peores, la haga à los buenos porque sean meiores.*

promo-

1598.

promouere illos voluit, qui gratias immensuratas appeterent nec conuenientes illorum conditionibus. Dedit aliquid præ cæteris Ruyo Gomesio propter vxorem eius Principissam Eboliæ. Quæ tamen liberalitas nullam ei potuit fenestram ad altiores dignitates aperire. In distributione amplissimorum Officiorum, præsertim quæ administrationem *c* Legum concernunt, in quibus Rejpublicæ vel salus vel pernicies versatur, vt Plato scribit, magnâ circumspectione vsus est. Et quamuis Comes Chinchoni, propterea quod cum eo à prima pueritia educatus fuit, debuisset sperare plura quam alius quisquam, tamen nihil impetrare potuit, præter quod Rex iudicauit eius qualitati conuenire. Dicere amabat; *d Corrumpi homines magnitudine bonorum: nec cuiuslibet esse in rebus tam prolixis magnam fortunam concoquere.*

c Eos qui vocantur Magistratus, appellaui nunc Legũ ministros, non quod noua rebus nomina imponere studeam, sed quia nihil esse puto in quo magis ciuitatis salus, vel cõtra pernicies, versetur. PLATO in Euthydemo.

d DIO. Honores mutãt mores.

Moderatio in prosperitate.

Sched. 94.

O. de Bobedilla Comes Chinchoni.

Quod ad Constantiam eius aduersus afflictiones, numquam potuit eum fortuna dimouere. In duobus diuersis casibus, quæ diuersis temporibus contigêre, satis monstrauit animi sui firmitudinem, & æqualitatem affectuum, neque eleuans se insolenter per prosperitatem, neq; demittens se abiecte per aduersitatem. Quum Nuntius ad eum perferret de victoria Lepantana, & nemo non existimaret quin præ gaudio & exsultatione à se quasi exiturus sit, ne commoueri quidem vel simulanter visus est, sed audito ordine & successu prœlii hæc tantum tria verba satis frigide prolocutus est; *D. Ioannes multum ausus est.* Et quum alius Nuntius ei referret de clade Classis in Angliam missæ, & nemo non existimaret quin præ dolore & mærore tam funesti casus more Augusti caput ad parietem arietaturus sit, neque etiam tum commoueri visus est, sed tantummodo dicere, exercitum se contra homines non contra ventos & procellas misisse. *a Iræ vulgares homines in magnis iuxta ac paruis rebus succumbere solent:* & casus minime comparandus cum hoc, quo tamen adeo Rex turbari non potuit quin sine cessatione preces in Oratorio continuaret, alium coegisset & capillos sibi vellere, & Oceanum flagellare, vt Xerxem. Dux Medinæ Sidoniæ, Summus eius Classis Præfectus, petiit à Rege, an placeret vt veniret & rationem commissi officii redderet: cui ille referri iussit, vt primum se ex labore & via reficeret, quam ad Aulam accederet.

Constantia in aduersitate.

a IOSEPHVS.

HERODOTVS.

Nunc † ordo exigit vt versa Monetæ facie, etiam vitia huius Regis peræque ac virtutes, videamus, *b* Conducit enim omnia dicere ad exemplum: at non conducit mortuorum quietem interturbare. Statua Niconis interfecit eum, à quo fustibus vapulauerat. Aliquando lapis mortuus vindicauit iniuriam homini mortuo factam.

XVIII. Defectus & vitia Regis Hispaniæ.

b Inuit de Principibus nosse omnia vt improbi saltẽ famæ metu talia declinẽt. S. AVR. VICTOR in Calig.

1598. ctam. Sufficit dicere, Principem hunc vt à multis magnis virtutibus laudatum, ita vituperatum fuisse quod in iuuentute dissolutis voluptatibus deditus ad violentam crudelitatem propensus fuerit. Quæ vitia raro à se inuicem diuelluntur. Omnis *a Princeps luxuriosus crudelißimus si neceßitas postulet*. Hæc pestis inficit & exstinguit omnem virtutum gloriam, quantumcumque clarissimas & splendidissimas Princeps gesserit. Victorinus posset comparari cum optimis Imperatoribus, atq; adeo Traiano bonitate, Antonino clementia, Neruæ grauitate, Vespasiano parsimonia, Pertinaci & Seuero integritate vitæ & seueritate disciplinæ militaris anteponi, nisi cunctas suas virtutes voluptatibus ita suffocasset & exstinxisset, vt nemo eas memorare auderet aut posset. Rex Hispaniæ plurimos interfici iussit in excessu & prima statim iræ lacinia: Princeps admodum diffidens, suspiciosus & crudelis, si quisquam vmquam fuisse ab omni memoria perhibetur. Non permittebat vt Princeps filius colloqueretur cum Infante filia, nisi petita abs se venia, & in præsentia vtriusque Gubernatorum. Æmulatio summi imperij non distinguit personas, nec proprio quidem sanguini parcit. Sultanus Solymannus *b* strangulari iussit filium suum Sultanum Mustapham propter Zelotypiam acclamationum, quas ei Ianizari faciebant redeunti ex bello Persico: & perpetrato parricidio per præconem in tota vrbe Constantinopolitana iussit proclamari, vnum Deum in cœlo & vnum Sultanum in terra esse.

a TREB. POLLIO.

Vopiscus in Victorino V.

Rex Hispaniæ æmulus, diffidens & suspiciosus.

b In suo procubiculo, anno 1552.

Finiuit regnum facinore prudenti & longarum suarum experientiarum digno. Principes non possunt per meliorem portam in regnum ingredi, quam per amorem & beniuolentiam populi. Si genitores eorum vel antecessores mortui sunt relicto sui desiderio, operam & ipsis dandum est vt rem aliquam condignam conficiāt, quo sui desiderium excitent. *a Debent pictores quidem corporum lineamenta, filij autem Regum quasi viuæ imagines, patrum virtutes referre.* Publicauit Edictum, cuius effectus non poterat esse populo nō odiosus, qui iam contra id murmurare cœperat, & satis aperte monstrabat, si pergeretur, se in solo murmure non perstiturum. Verum Rex non eo animo publicauit, vt exsequeretur, sed vt filio suo præclaram occasionem demerēdi populum relinqueret. Qui vbi primum ad Regnum peruenit, statim edixit, se numquam permissurum, vt exsecutioni edictum illud mandaretur; insuper in pleno Consilio declarauit, vt quicumque de eo obseruando verba faceret, capitis reus fieret. Quo per populum publicato, felicem se quisque iudi-

Portæ ingressus in regnum.

a BASIL. Imp. cap. 2. Exhortat.

cauit,

cauit sub tam benigni Principis dominatione, qui melior studeat esse patre suo. 1598.

XIX. Apophthegmata Regis Hispaniæ.

Animus † erat omnia huius Regis apophthegmata colligere, eadem diligentia & curiositate, qua celsissimas & maxime conspicuas eius actiones cæteras: sed desiderium animi mei adhuc in viriditate est, & opus habet tempore vt maturescat. Nam dicta eius sunt per quam plurimos libros sparsa, & in capitibus diuersorum hominum, qui non sunt iisdem iudiciis præditi. Ne tamen nihil agamus, producam vnum atque alterum, quæ mihi visa sunt non indigna nec ingrata futura. Sæpe dicere solitus est, vitam Regis non dissimilem esse textoris conditioni. Iobus, qui Rex fuit, eodem modo iudicauit, dicens, vitam suam fuisse celerius intercisam, quam textor intercindat telam suam. Labor in hoc artificio est omnium negotiosissimus. Requiritur ingens assiduitas, & totus prorsum homo: qui laboret brachiis pariter ac pedibus, oculis telæ affixis, attentione distractâ in tot fila, quorum si illud rumpitur, hoc implicatur, oportet oculus & manus in continenti adsint. Si quis forte forficula præscindat filum transuersum, quidquid orsum est, laxatur & retexitur. Vita Regis ad eumdem modum affecta est: oculos & manus in corde tenendum est in varia & multiplicia fila partito; quorum vnum in Hispania, alterum in Italia, tertium in Peru, quartum in Belgio, quorum vnumquodque requirit inspectionem attentissimam. Filum forte in Italia rumpitur, religandum est: aliud in India, prouidendum est, ne forte tela male vniatur, & semper Rex affligatur in concinnanda & perficienda tela.

Genethliacum Philippi III. Regis Hispaniæ.

Contemnit astrologiam iudiciariam.

Magnus quidam Astrologus ei obtulit iudicium suum, quod fecerat de horoscopo Principis filii, rationemque exposuerat cœli & influentiarum Astrorum tempore conceptionis & natiuitatis eius, & eorum omnium quæ inde Principem in tota vita manerent. Quod ille acceptum statim super tabulam poni iussit: non vt legeret, sed vt hoc facto ostenderet, quid de eiuscemodi nugis sentiendum sit. Nam folio vno post alterum abrupto, ne inspectis quidem industria & excellentia illuminationis & figurarum, quibus libellus erat ornatus, dixit ad Cubicularium: *a* Accipe, & vtere vt voles. Non fas est vt hominum iudicia præueniant Dei iudicia.

a *Tomad que esto podra ser de provecho. Estos temerarios iuyzios quierem preuenir al de Dios.*

Dissimulabat offensas, quas punire nolebat, & fingebat se quasi nesciret, dicens, *b* in eiusmodi casibus prudentiæ rem esse, posse fingere & Dissimulare.

b *En occasiones es sumo entender hazerse de sentendido.*

1598.

Summarium quintæ Narrationis.

1 Ordo in Gallia non potuit redigi durante belli inordinato statu.
2 Prohibitio manualium bombardarum gestandarum.
3 Imminutio militum ordinariorum.
4 Exercitium bellicum mutatum in venatorium: & apparitio spectri in Silua Fontebellandi.
5 Pax remisit vnumquemq; ad curam suæ familiæ.
6 Remissio generalis reliquiarum tributi.
7 Querimonia & remonstratio Ordinis sacri in Gallia apud Regem.
8 Actio de Iesuitarum restitutione.
9 Persecutio Iesuitarum in nouo orbe peræque ac in veteri.
10 Ingens & admirabilis prouidentia cuiusdam Regis Iapponiæ de successione sui Regni.
11 Profectus rerum Christianarum in Hungaria.
12 Defectio conspirationis Iudæorum.
13 Nuptiæ Regis Hispaniæ cum Margarita Austriaca, & Alberti Austrij cum Isabella Austriaca.
14 Articuli & conditiones matrimonij Infantis Hispaniæ cum Alberto Archiduce.
15 Ingens inundatio Tyberis in vrbe Roma.
16 Tractatus Pacis cœptus & interruptus Boloniæ inter Regem Hispaniæ & Reginam Angliæ.
17 Morbus Regis in vrbe Monceaux.
18 Ordo gubernandi & dirigendi fisci & quæstorij ministerij restitutus.

NARRATIO QVINTA.

1. NOn minor † culpa est committere aliquid præter opportunitatem temporis, quam præter ordinem rationis. Omnis susceptio Atheniensibus infauste procedebat, quam diu statua Mineruæ in *a* Plynteriorum sollemnibus velata erat. Neq; Romæ vlla res publica feliciter gerebatur, quamdiu Salii, furiosi illi Martis Sacerdotes, ancylia per vias portabant. Ideo *b* Athenienses crediderunt, reditum Alcibiadis infaustum fuisse, eo quod in ipsis Plynteriorum sollemnibus ad portum Pyræeum appulerit. Et *c* Romani interpretati sunt infortunatam Imperatori Othoni expeditionem, quod ea educeretur aduersus monita amicorum & auspicia Deorum, antequam ancylia remitterētur in templa, vnge singulis mensibus Marti consecratis protrahebantur.

Festū Plynteriorum.

a Plynteria aut festum balneationū celebrabatur 27. Sept. Imago Mineruæ spoliata omnibus paramētis occultabatur & operiebatur.
b PLVTAR. & XENOPHON.
c SVET. in Vita Othon.

Quamdiu inordinatus rerum status vndique regnat, nullus

ordo

1598.

ordo in rebus gerundis exspectandus est. Quem ex medio confusionis bellicæ trahere erat impossibile, quamdiu statua Mineruæ non modo velata, sed penitus deiecta iacebat, & duodecim illi Salii vniuersam Galliam clamoribus & vlulatibus horrendis implebant. Durantibus tragicis illis & furiosis insultibus, sanctissimæ quæque actiones, quibus status publicus continetur, manserunt intermissæ & quasi sepultæ, & videbatur iniustum esse de iustitia loqui in impunitate iniuriarum, & verbigerari de restauratione ordinis in tanta licentia & confusione: sicut Sophista quidam se ridiculum præbuit *d* Antigono, librum suum de Iustitia conscriptum ei dedicans ac offerens, omne ius suum in gladio & exercitu possidenti, nec quidquam iniustum existimanti, nisi quod voluntati suæ resisteret.

d Antigonus respondit: Insanus es, ô amice, qui mihi de iustitia loqueris, dum me vides alienas vrbes appetere. PLVT. de Fort. Alex.

II. Verum † nunc postquam hæc Minerua nata ex Iouis cerebro condecorare cœpit flores Lilii viridantibus suis Oliuis, & ancylia Martis reposita sunt, Rex cunctas suas cogitationes conuertit ad remittenda omnia in suum ordinem, & efficiendum vt iustitia per totum Regnum expandatur & diffundatur, veluti anima per totum corpus. Et ne quid omittatur quod possit facere ad assecurandam & confirmãdam tranquillitatem publicam, & ipse fecit, quod *a* antecessores eius in consimilibus casibus fecisse memorantur, atque cum consilio Principum & Officiariorum Regni & Dominorum Consiliariorum, *b* Edicto prohibuit omnem portationem & vsum arquebusarum, petrinalium, pistolarum, pistoletorum & id genus aliarum omniũ bombardarum, sub pœnâ confiscationis armorũ & equorum, & mulctâ ducentorum coronatorũ, ad quorum satisfactionem vsq; plenariã reus in carcere & custodia retineatur in prima vice: sub pœna mortis & amissione omnium bonorum in secunda vice, sine vlla spe remissionis. Permisit populo capere & incarcerare octo post publicationem Edicti elapsis diebus omnes homines interdicta arma portantes. Excepti tamen fuere quadringenti soldurii equestres pro custodia corporis Regii, quum in officio stationes suas obeunt, & Soldurii Præposituræ Aulicæ, Connestabiliæ & Marescahalliæ in Gallia, & equites leuis armaturæ in Comitatu Ducis Vandomensis, quibus Edictum permittit portare pistolas & pistoletos, quum munia sua obeunt. Edictum iustissimum ad tollendas occasiones latrociniorum, homicidiorum, rapinarum, excessuum, & aliarum inordinationum, quarum iniuriis expositi Galli fuerunt, quum per licentiam & diuturnitatẽ belli anteactis temporibus dictorũ armorum vsus nimia cum impunitate permitteretur.

a Post Pacificationem anni 1559. item anni 1564. similia edicta de interdicto armorum vsu publicata fuere.

b Factum in ciuitate Mõceaux 4. August. & publicatum in Parlamento 13. Augusti, anno 1598. cum expressione, vt cognitio contrauentionũ fit apud Iudices ordinarios.

Vsus armorum interdictus.

Exceptio ꝓhibitionis.

Quem-

1598. III. Quemadmodum † pro aſſecuranda Pace Rex interdixit vſum & geſtationem bombardarum, ita ad tollendam occaſionem reueniendi ad arma & ad exonerandum populũ à preſſura militum, & ad obedientiam redigendos eos, *a* quibus in pace durius ſeruitium eſt, imminuit turmas equitum & regimenta peditum ordinariorum. Qua imminutione voluit declarare, auctoritatem ſuam ſatis eſſe ſtabilitam, & mandata recte obſeruari. In alio Regno milites ſeditionem concitaſſent, Principemq; coegiſſent ſibi dare modum viuendi in pace, aut commoditates ſemper belligerandi. Probus Imperator pœnituit dixiſſe, *b milites minime eſſe neceſſarios cum deſunt hoſtes.*

Imminutio militum.

a Nobilitati in pace durius ſeruitium. TACIT. Annal. II.

b POMP. LÆTVS in Probo.

Hæc tamen imminutio poterat nullo cum incommodo ſuperſederi. Semper enim *c* periculoſum eſt Rempublicam diu extra arma tenere: & pax inarmata eſt infirma. Rex reſeruauit loca in limitibus Regni, in quibus ſemper tenuit magnum numerum militum præſidiariorum. Non indormiendum eſt longæ quietis dulcedini, ſed inuigilandum ſecuritati. Imperator Conſtantinus exiſtimans, non poſſe maiori ſe in ſecuritate locari, quam per pacem in toto Imperio conſtitutam, abduxit præſidia ex vrbibus limitaneis, *d* quæ in continenti ſe viderunt derelictas hoſtium libidini. Eſt quidem verum, in plena pace parci poteſt ſumptibus in legiones faciendis, quæ ſunt inutiles in Regno pacifico, & quarum vſum Romani tantum introduxerunt vt prompte opponerentur defectionibus & ſeditionibus Prouinciarum nuper Imperio iunctarum & acquiſitarum. Itaque in noſtro Regno præſidia Gubernatorum & Pręſidum Prouinciarum fuerunt ſublata, ſtatus & conſeruatio militum ordinariorum reducta ad numerum pauciſſimum. Quorum ingenia non poterant viuere in otio armorum, & qui ad inſtar Marii, boni erant Capitanei in bello ſed mali ciues in pace, illis permittebatur bella in Belgio aut Hungaria perſequi.

Conſtantinus Magnus.

c Il Principe non ſe fidi talmente della pace, che ne dismetta l' arme: perche la pace disarmata è debole. GIOV. BOTERVS.

d Oportet ſemper in magno Regno exercitum paratum habere ad omnẽ occaſionem. Hinc Rex Franciſcus inſtituit Legionarios.

IV. Pax † mutauit exercitium belli in venaticum. Rex non temere diem abire patiebatur quin ſibi & Aulicis volupe in ſaltibus faceret. Qui eum adierunt pro negotiis expediendis, non tã grati erant, quam illi qui in Aulam venerunt vt eum ad venationes comitarentur. Principes non poſſunt fallere tempus æque vtiliter, atque in exercitiis, quæ, veluti *a* venatio, ſemper exemplum aliquod ſtratagematis bellici ſuppeditant, & in eius meditatione animos generoſos ſuſtinent.

a θήρα ἀληθεστάτη μελέτη τῶν περὶ τὸν πόλεμον: Venatio veriſſima rerũ bellicarum meditatio. IOSEPH. lib. 3. Cyropæd.

Rex venans in ſilua Fontebellandana audiuit è longinquo quaſi dimidiæ leucæ latratus canum, clamores & chordarum custo-

des: &

1598. Phaſma in ſilua.

des:& in momento quem ſonitum è longinquo audiuerat, abeſſe non plus viginti paſſus ab auribus videbatur. Itaque in mandatis dedit Comiti Sueſſionenſi vt miſſis habenis illò accurreret & videret, ecquis adeſſet, exiſtimans quemdam eſſe qui per audaciam voluerit ſe venationi immiſcere, & ſibi voluptatem interturbare. Comes Sueſſionenſis procurrens ad ſonitus ἦχον & reſonantiam, nec vnde veniat indagare potens, ſubito vidit ingentem virum nigrum in denſiſſimo dumeto, clamantem: *Audis me?* qui & cum dicto disparuit. Quo monſtro vel animoſiſſimi obſtupefacti exiſtimarunt imprudenter tempus teri in illa venatione, *a* in qua nihil præter pauorem caperetur. Qui quamuis ordinarie liget linguam & gelet loquelam, non tamen impedire Comitem potuit, quo minus rem totam, quam vidiſſet, pernarraret, quam multi ad Merlini aut Vrgandæ Incognitæ fabulas remiſiſſent, niſi veritas tot hominum verbis affirmata, & oculis vſurpata, omnem dubitationem ſuſtuliſſet. Paſtores, qui circumcirca habitant, dixere, eſſe Spiritum quem appellent Magnum Venatorem, qui ſolens in ea ſilua venetur: alii contra exiſtimarunt, eſſe venationem S. Huberti, quæ & aliis in locis frequenter auditur.

a Hyperides Rhetor dixit, pauorem eſſe vinculũ linguæ. STOBÆVS.

Romanæ fabulæ.

Nolo ingredi in diſputationem cum eorum curioſitate, qui *b* Spiritus eſſe negant, nec vllas ſubſtantias Spiritualeis recipiunt, præter eas, à quibus ſphæra cœli mouetur, quas nonnulli Angelos appellant, alii Intelligentias ſeparatas, quidam Virtutes motrices. Nimis tædioſa foret digreſſio, conciliare opiniones, & colligere exempla quæ pro & contra afferri ſolent. Relinquam Pſello *c* ſex ordines Dæmonum; & Philoſophis Chriſtianis ſubtilem illam & delicatam compoſitionem corporum aeriorum, ex igne & terra, quæ Spiritus aſſumant, quum ſui conſpectum volunt exhibere. Multo mihi potius eſt in ſtupore eiuſcemodi viſionum acquieſcere, quam me temere in labyrinthum vanarum inquiſitionum coniicere. De Dæmonibus & *a* Pythagoricis non ſine lumine loquendum eſt: ſatius eſt auertere oculos ab eiuſmodi apparitionibus, & conuertere in ſapientiam æternam eius, qui non permittit vt quidquam eueniat quod non ſit ad noſtram inſtructionem; qui nobis dedit rationem & diſcurſum, tamquam horologii ſolaris indicem, noſtrarum actionum, vt eas accommodemus ad puritatem & perfectionem earum, quas à nobis requirit in officio ad quod ſumus aut nati aut vocati. Eius Iuſtitia loquitur per tot prodigia & caſus monſtroſos, vt prorſus miſerabiles ſint illi, qui velut aſpides obturant cauda obſtinationis ſuæ aures ne intelligant. Hoc monſtrum nihil nobis,

Angeli cœlorum motores.

b Ariſtoteles & Auerrhoes negãt eſſe Spiritus: Plato & Iãblichus aſſerunt duûm generũ Dæmones, bonos & malos.

c 1. Dæmones in regione ignis. 2. in aere. 3. in terra. 4. in aquis. 5. in cauernis & profunditatibus. 6. in abyſſis.

a περὶ πυθαγορείων ἄνευ φωτὸς μὴ λάλει. IAMBLI. in Protrept. Symb. 13.

1598.

Deo ſit laus, mali prænuntiat. Quin potius nosmet ipſi cognoſcere hinc diſcamus, vt quid de monſtro ſentiendum ſit neſciamus. Imperator ille *b* Conſtantinopolitanus, qui propter apparitionem minus formidabilem, quam iſthæc fuit, ſe in Monaſterium facta profeſſione contulit, ſi præſens fuiſſet, animam in ipſo loco è veſtigio præ conſternatione reddidiſſet.

b Iſaacus Angelus Comnenus Imp. Conſtant. perſecut⁹ aprum terribilem & horrendũ, & in momẽto ab oculis diſperuiſſe conſpicatus, tantum fuit cõſternatus, vt abdicato Imperio monaſteriũ intrarit. ZONARAS.

Itaque † Rege in ſolis venationibus occupato & delectationem quærente, nihil in Aula quam de venatione & amoribus, de conuiuiis & nuptiis agitabatur. Conceſſit menſe Auguſto veniam generalem omnibus Conſiliariis ad quindecim dies, quibus durantibus in venatione viſitaturus ſit domicilia omnium miniſtrorum ſuorum, qui in circuitu Pariſiorum habitant: & dedens ſe oblectationibus ac quieti, voluit & participare eos, qui miſeriarum & inquietis ſocii exſtiterant. Qui facultatem hanc nacti reuiſendi ſuas domos, magnis ſumptibus eas ſubleuare ſtuduerunt, quia conditio temporis exigebat maius fundamentum parcimoniæ quam lucri. Domus plurimorum, quas numquam viſitauerunt, niſi quum peterent vno die redditus totius anni, quas deinde vno in menſe in Aula conſumerent, habitari & ordinari cœptæ ſunt. Terræ, quæ vsque manebant infructuoſæ & ſteriles, non tam ex iniuria temporum quam neglegentia mercenariorum, ceram & mel extrahentium, remiſſæ in eum ſtatum ſunt, vnde præteritæ ſterilitates recompenſari poſſent. Itaque *a* agricultura, communis omnium Ordinum nutrix, facta eſt, vt antea fuerat, Pacis delicium. Vita campeſtris eſt vera vita hominis Nobilis tempore pacis, & quum Princeps eius gladio non eget. Quæ vita dulcior in Gallia eſt, quam in vlla alia mundi parte, propter abundantes rerum naturalium commoditates. Vita etiam adeo grata, vt minime mirandum ſit, quod Diocletianus caules horti ſui prætulerit Imperii luculentis conditionibus: & Cyrus in gloria duxerit monſtrare Legatis ad ſe interuiſentibus inſita & plantas manibus ſuis emplaſtrata, pacta & ordinata. Rex exemplo præiuit cæteris ad vtendum pacis commodis. *Quid faciendum ſit, à faciente diſcendum eſt.* Voluit vt inſtrumentum fieret non vitiorum ſed virtutum. Conſtituit tunc omnem parcimoniam ſuam in neceſſitates publicas impendere, non in *b* Vitellii luxum, nec in priuatorum aut particularium aliquot ditationem & euectionem, dicens, velle ſe conſolari pauperes, & dare exemplum diuitibus, vt diſcerent eodem modo viuere & contenti eſſe paruo. Plurimi ex Proceribus ſe receperunt ad domos & gubernationes ſuas. Conneſtablius ad ſuam conceſſit in Langedociam, poſtquam

V.

Agriculturæ laus.

a *Artiũ cæterarum parens ac nutrix agricultura. Quando bene agitur cum ea, omnes aliæ artes vigent.* XENOPHON. in Oeconom.

SENEC. epiſt. 99.

b Vitellius Imp. in octo menſiũ ſpatio conſumpſit per luxum & nepotationẽ, viginti duo milliones, & quingenta millia coronatorum. TACIT.

a Quadringenti ferme anni ſunt, ex quo Matthæus Montmorancius Conneſtabilis Galliæ reliqt duos filios: ex quorũ priori deſcendit maxima iſta Montmorãciorũ familia: ex poſteriori deſcendit Lauallorum, vnde mater eius progenita fuerat.

b Ranchinus in præſentatione Diplomatis doctã & elegãtem orationem habuit. Areſtum pronuntiatum fuit in togis purpureis 8. Iunii.

c *Pauperculi cum rem amiſerint, amiſſarum tamen rerũ tributa patiuntur. cum poſſeſſio ab his receſſerit, capitatio non recedit.* SALVIAN. lib. 5.

à Rege obtinuisset superuiuentiam Gubernationis Langedociæ Henrico Montmorancio filio suo. Prudentia Maiestatis eius existimauit non posse satis gratificari *a* familiæ, vnde tot Gubernatores, Admirallii, Mareschalli, Connestablii, & quæ sub nomine Montmoranciorum Hornanam quoque & Lauallanam familiam complectitur, quæ ex se dedit vxores Regibus Franciæ & Ducibus Britanniæ. Diploma *b* Regium lectum & inregistratum fuit in Parlamento Montpessulano, præsidente Duce Vanttadurio, & assistentibus Episcopis Agathensi & Nemausensi. 1598.

a Quadringenti ferme anni sunt, ex quo Matthæus Montmorancius Connestabilis Galliæ reliqt duos filios: ex quorũ priori descendit maxima ista Montmorãciorũ familia: ex posteriori descendit Laualloruṁ, vnde mater eius progenita fuerat.

b Ranchinus in præsentatione Diplomatis doctã & elegãtem orationem habuit. Arrestum pronuntiatum fuit in togis purpureis 8. Iunii.

VI. Ordo, † quem Rex instituit in Regia domo, cessit in exemplum vniuersæ Galliæ, declaratis sanctis suis intentionibus, quas haberet vt populus fructum regiminis sui perciperet. Iustitia eius non permittebat vt populus oneraretur plus æquo & præter debitum possibile, cui violentia bellica nihil reliqui fecerat præter linguam ad querulandum, & qui videbatur similis esse pelli super ossa mortuorum extentæ. Nihilominus *c* tamen ab eo onera publica exigebantur pro fructibus, quos non collegerant. Quare Rex erga populum suum fecit, quod Constantinus & Theodosius fecisse dicuntur erga subiectos Imperii, remittens & exonerans generaliter omnes exactiones, tributa & vectigalia reliquata, semper in ore habens vocem Principe dignissimam quæ in scriptis cuiusdam Imperatoris legitur: *a Vobis remittimus quicquid è præterito tempore desideratur.* Misit etiam de Consilii sententia Ordinum Rothomagi congregatorum complures tam ex Consiliariis Aulicis quam alios, per cunctas Regni prouincias, ad recte inquirendum in necessitates populi, regulandum exactiones & tributa, releuãdum ab oppressione pauperes contra licentiam & violentiam eorum, qui durante bello ciuili non viderunt aliud lumen aut claritatem Iustitię, quam igneum bombardarum. Etenim complures non dissimiles illi aui, quæ se piscibus immiscebat, quum Rex auium tributũ exposceret, & rursum sese auibus ingerebat, quum à piscium Rege persequeretur, adeo abusi sunt tempore, vt, quo priuilegiis Nobilium gauderent, se æstimari tales magis per ostentationem quam vsum & seruitium gladii fecerint: & quum Lex *b* salua, quæ obligat principaliter Nobiles propter feuda & qualitatem Nobilitatis ad vsum armorum, eos vocaret ad subueniendum necessitatibus Principis & patriæ, se plebi immiscuerunt demorati in otiositate vrbium & deliciis bonorum suorum, quamdiu ignis & periculum in Regno durauit. Homines indigni hominum nomine, hominum Nobilium & Gallorum, contra quos Gallia vel viuentes non debet esse clementior,

c *Pauperculi cum rem amiserint, amissarum tamen rerũ tributa patiuntur. cum possessio ab his recesserit, capitatio non recedit.* SALVIAN. lib. 5.

a ἀφίεμεν ὑμῖν πάντα ὅσα ἐκ τοῦ φθάνοντος ἐλλείπει χρόνου. IVLIAN. Imp. in Epist.

b Ordinatio Caroli VI. de an. 1392. priuat & degradatur Nobiles non seruientes Regi in expeditionibus publicis.

1598. quam *a* Roma fuit cõtra Pompeium Strabonem mortuum, quem discerptum in minutas partes dissecuit, propterea quod necessitatibus Reipublicæ aduersus Cinnam non subuenisset. Commissarii coegerunt ad solutionem tributorum eius generis scabros homines, qui sub prætextu litterarum Nobilitatis & abusu priuilegiorum onus suum populo imposuerant.

a TIT. LIVIVS lib. 7.

VII.

Dum † Rex in eo est, vt reformet omnes deformitates, & posuit iam securim ad radices inordinationum, Sacer Ordo in Gallia ad eum opera Francisci Guellii Archiepiscopi Turonensis amplissimam Remonstrationem fecit, in qua post gratias Maiestati eius actas pro tam grandi Pacis beneficio, petiit iustitiam pro Ecclesia Gallicana, cuius status nunc sit tam depauperatus, abiectus, miserabilis & desolatus, quam olim fuerit diues, felix & florens. Adhæc supplicauit *a* pro publicatione & receptione Concilii Tridentini, sub temperatione & modificatione quacumque Maiestatis eius, si quid reperiretur in Decretis eius aliquo modo difficilius quam digeri & resolui possit contra libertates, & immunitates Ecclesiarum particularium Regni. Querimonia præcipua fuit super nimio numero prouisorum ad Prælaturas, ignorantium, miserabilium, confidentium, mercenariorum, hominum nihili, insufficientium, improborum, imo (vt verius dicam) cæcorum & inuerecundorum, incapacium ad suscipiendum munus tanti momenti, & qui quod numquam versati aut instructi fuerint in Domo Dei, vix possint reddere rationem actionum ordinariarum, vix linguam maternam recte effari.

a In omnibus precib⁹ Regi oblatis sacer Ordo petiuit publicationem Concilii Tridentini, vt Blœsis 1576. Meloduni 1579. item 1579. 1582. 1585. iterum 1585.

Indigna prouisio beneficiorum Ecclesiasticorum.

Præterea remonstratum fuit, Maiestatem eius teneri apud Deum causa omnium nominationum, quæ fiunt ad Episcopatus & Abbatias Regni sui, & reddituram esse aliquando rationem exactissimam omnium animarum pereuntium, ob defectum instructionis, & administrationis Verbi diuini & Sacramentorum.

Quum igitur nunc liberatus sit à publicis turbis & occupationibus, restare vt restituat Ecclesiæ ea, quæ ad Ecclesiam spectant, seque teneat in sancta sententia maioris sui & prædecessoris in Regno, Regiæ suæ familiæ auctoris, qui numquam voluit audaciam nominandi ad beneficia sumere. Quæ eius sententia confirmata & approbata quoque tandem à Parlamento fuit, iuxta *a* Pragmaticam Sanctionem, quæ quoad electiones ad beneficia conseruat ius commune pro decentiâ Ecclesiæ.

S. Ludouicus.

a Quæ publicata est à Carolo VII. Rege Parisiis 13. Iulii 1438.

Quod si vero animus persistat propter quasdam considerationes firmiter conseruare id, quod ab antecessoribus eius quibus-

dam

1598.

Nominationes ad beneficia.

dam Galliæ Regibus practicatum fuit, vt saltem id largiatur, & in nominandis ad eiusmodi officia personis proponat capaces, sufficientes, & qui possint verbo & opera respondere iudicio, quod super eis fecerit.

Superiuiuentiæ in beneficiis.

Ad hanc querimoniam de abusu nominationum, adiecta & alia de reseruationibus beneficiorum, extortis & obtentis sub falsis suppositionibus morborum, qui induxit Prælatos, & specialiter eos, qui cum pietate & exemplo acquisiuerunt personaliter sua officia, in prauas cogitationes de quibusdam, qui ad se ditandum iam homicidæ facti sint in animo suo, nisi Maiestas eius serio adhibeat remedia conatibus eorum contraria.

In fine huius Remonstrationis imploratur Rex ad subueniendum Ecclesiæ, tamquam filius eius primogenitus, defensor & propugnator inuincibilis, petendo vt ex domibus Oratoriis, ex domibus Religiosis auferantur omnes maculæ, sordes, impietates, blasphemiæ & hæreses; rogatur iustitia, & si necessarium sit excusatio omnis importunitatis. *a* Plato ait, *non oportere in ciuitate neq; licere illiberali quæstui quemquam operam dare, neq; sordidam probrosamque artem quampiam factitare, quæ nimirum liberales generososq; mores auertat.*

Rex cum reuerentia, quam Reges semper habuerunt Remonstrationibus Sacri Ordinis, primi ex tribus Regni Ordinibus, existimans, *b honorem qui Sacerdotibus habetur ad Deum referri.* & Episcopos, licet vasallos & subiectos suos, tamen esse Ministros & Legatos Dei viuentis, & interpretes sanctarum eius voluntatum, illis respondit in hæc verba: Scio, quæ proposuistis, vera esse: at ego non sum auctor *c* nominationum. Hæc mala introducta fuerunt, antequam ego nascerer. Durante bello vbi ignis ardebat, eo vt exstinguerem conuolaui, nunc quum simus in quiete faciam similiter quod tempus pacis requirit. Noui Religionem & Iustitiam esse columnas & fundamenta Regni, quæ conseruantur sub pietate: & si deficerent in hoc Regno, ego operam darem vt restituerentur, sed pedetentim, vt omnibus in rebus soleo procedere, faciam taliter, vt, Deo dante, Ecclesia habitura sit æque bene, atque ante centum annos habuit. Verum oportet vt vos bonis exemplis reparetis, quod prauis destructum est; & *a* vigilantia recuperet, quod negligentia perdidit. Vos me cohortati estis ad debitum Regale, ego vos exhortor ad vestrum sacerdotale, faciamus bene vtrique; ite vos per vnam semitam, & ego ibo per alteram, & si concurremus bene habebit. Prædecessores mei vobis dederunt verba magno cum apparatu, &

Ecclesiastæ ministri Dei.

a PLATO lib. 5. de Legibus.

b ἡ τῶν ἱερέων τιμὴ, εἰς θεὸν ἀναφέρεται BASIL. Imp. in Exhortat.

c Leo X. Papa & Franciscus I. Rex Bononię cōuenientes tractarūt de Concordatis nominationum ad beneficia & reuocatione Pragmaticæ Sanctionis, circa finem anni 1515.

a *Multa quæ per socordiam perierunt, per vigilantiam corrigi possunt.* DEMOSTH. Orat. 3. in Philip.

1598. ego vobis dabo effectum cum cana mea fide. Ego quidem canus ſum exterius,ſed intus totus aureus.

In Reformatione nihil violenter aut præcipitanter agendum eſt.

Hæc promiſſio accepta ab Sacro Ordine cum benedictione & gratiarum actione fuit. Res ita erant inordinatæ, vt non poſſit tam præcipitāter & ferociter procedi in redactione ad priorem ordinem. Leniter trahenda eſt chorda,ſi velis remittere ad iuſtum tonum. *b Inſtrumenta Muſica,remiſſa,eo magis vocem edunt:quo vero magis intenduntur, eo magis erumpunt.* Sed iam tempus tandem eſſet, vt eiusmodi ſcandaloſi abuſus ſeueritate legum reformarentur, quum lenitas & patientia hactenus nihil aliud profecerit, quam vt eos augeret & confirmaret.Qui adeo impudenter importuni ſunt Principibus, vt ab eis auferant in recompenſationem beneficia Eccleſiaſtica, *c* ipſiſque beneficiorum fructibus fruentes teneant beneficiarios, recordentur per Legem Dei non licuiſſe Presbyteris manducare panes propoſitionis, & bona Eccleſiaſtica non magis conuenire cum prophanis quam ſtannum cum cæteris metallis, & vt *Aquilarum pennæ mixtas reliquarum alitum pennas deuorant*, ita bona ſanctuario deſtinata fundere & confundere clariſſimarum familiarum patrimonia. Quum hæc ſcriberem,acceſſi templum vt audirem cōcionem Doctoris du Val, qui concionatus tum forte contra eos, qui argentariam in templo Domini inſtituerunt,affirmauit, Nobilem quemdam à defuncto Rege petiiſſe beneficium Eccleſiaſticum pro filiolo ſuo, quem ſperaret ex matrimonio habere, ſed adhuc naſciturum. Deteſtabilis cupiditas, quæ præcipitat animas in barathrum,vbi pœna non deſinit,mors eſt immortalis,pœnitentia nihil prodeſt, corpus perpetim ſentit ſe mori, & anima non eſt quam vita in ſtatu deteriori quam ſit non vita. Hoc malum bene cognitum eſt in Curia Regis,ſed non eſt incognitum etiam in Curia Papæ.Sed fruſtra ſunt qui hodie conqueri ſtudeant,quum querelis nihil aliud impetretur, quam vt confirmetur malum & diſſipetur remedium. *a* Gallus diu ante cecinit, quam Petrus recordaretur.

b THEANO in epiſt. ad Calliſtoem.

c Beneficia Eccleſiaſtica non tenentur à Nobilibus: ſed Nobiles tenent eos, qui illa tenent. PLIN. lib. 29. c. 6. Anno 1602.

a Genebrardus in Orat. funebri de Daneſio: Quidam Epiſcopus audiens in Cōcilio Tridētino orationem cuiusdam Doctoris Sorbonici, dictā aduerſus abuſus beneficiorum, cōuerſus ad vicinum dixit; *Gallus cātat.* Daneſius retulit in continenti: *Vtinam illo gallicinio Petrus ad fletum excitetur.*

Abuſus Romanæ Curiæ.

Hæc digreſſio non erit grata illis, qui prompte & de ſubito volunt abſolui:ſed ego mihi propoſui in omnibus vitiorum & inordinationum, quæ ignorantia ſuffert & auaritia diſſimulat, occurſibus numquam tacere id quod neceſſario dicendum eſt, nec magis diſſimulare abuſus, quam abuſores verentur diſpaleſcere in mundo. Iridebunt me, dicentes, ſcribere me non hiſtorias ſed diſcurſus. Ego vero nihil moror, amoque potius diſplicere deteſtando malum, quam faueri adulando & aſſentando. Proinde non ego clamo contra vnum modo ſæculum: inſertę hæ arbores ſunt alteri ſæculo pro-

1598.

futuræ: quod nunc non placet, alio tempore requiretur. Deus benedicet veritatem huius Historiæ, vt quum posteri viderint etiam alias post hanc, obstupefiāt propter extremam cæcitatem nostram, qui ex vitio virtutem faciamus. *a Omnium aliarum artium peccata artificibus pudori sunt, vitæ peccata delectant.* Est tamen adhuc in istoc Ordine ingens numerus hominum proborum, qui viuunt in cœlo, quamuis corpora eorum animata sint in terra, qui potentes sunt operibus & verbis, digne possident nomen & officium Pastoris, præferentes curam pastoralem deliciis mundanis & vanitatibus Aulicis, & qui in ruborem dant eos, qui per mercenarios beneficia sua administrant, canes muti & latrare nescii, qui referunt omnia ad proprium commodum, incedunt vt pastores & viuunt vt lupi, non æstimant pluris religionem quam suam vitam, & qui numquam facient, quod fecerunt Presbyteri Hierosolymitani, quando Pompeius, occupata vrbe, ingressus est in templum, qui præoptauerunt interfici ac mori quam deserere altare & inuocationem magni Dei armipotentis, ne præferrent, vt scribit *b* Iosephus, honori Religionis salutem vitæ suæ. Optandum esset vt vita Prælati fieret instar phyalæ, quam Angelus monstrauit cuidam sancto viro, plenæ aqua tam clara & pura, vt vel acarus in ea conspici posset. Quæ si non est, orandus est Dominus vineæ, vt mittat meliores operarios: non tamen ideo contemnendi sunt isti ministri. *Ædium a sacrarum ruinæ calcantur, non contemnuntur, quas religiosi æque ac stantes adorant.* Ecclesia propter corruptos Ecclesiasticorum mores non desinit habere veram doctrinam, quæ semper est vt lilium inter spinas.

Multi probi adhuc in Clero.

a SENEC. epist. 58.

b Lib. 1. de bello Iudaic.

Visio S. Frāciſci.

a SENEC. ad Heluiam.

VIII.

Durante † Remonstratione sacri Ordinis, Iesuitæ cum Rege per pararios de sua restitutione tractare cœperunt. Cardinalis Florentinus intellexerat quædam bona verba. Septimus Articulus Pacificationis permittebat subiectis & seruitoribus vtriusque partis, tam Ecclesiasticis quam Politicis, redire ad plenam possessionem suorum officiorum, beneficiorum, & redituum, obtenta permissione & litteris patentibus, sigillatis magno sigillo Principis. Plerique in ea opinione erant, etiam Iesuitas compræhensos fuisse in illo Articulo; & si per Pacem istam Hispani facti sint socii & tamquam germani Gallorum, eos, quos anno præcedenti *b* Aduocatus Regius appellauerat in Parlamento Emissarios Regis Hispaniæ, recipi debere in sua Collegia, vnde per arrestum Curiæ mense Decembri anni M. D. XCIV. expulsi fuerunt: sed Sol pacis eos non irradiabat. Nouum sæculum, quod illa produxit, postquam sparserat in aerem cineres belli quasi in vindictam & animositatem, non tamen illis

VII. Articulus tractatus Veruini.

b Simon Marion Aduocatus generalis in sua Actione 16. Octob. 1597. instituta, scribit, iā ante triginta annos præuisum fuisse, Iesuitas incensuros flammā discordiæ in medio Regni, & procuraturos introitū Hispano, à quo missi in Galliam fuerint pro exploratoribus.

1598.

aperuit vllum ſpatium in Pariſiorum finibus. Arreſta, quibus exacti fuerunt, ſculpta ſunt in marmore, contra quod aqua precum, fauorum & lachrymarum, quamuis *a* lapidem cauare poſſit, nihil prævalet. Inimici eorum ſuſcitarunt grandem impoſturam contra eos, vt inuidiam eis conflarent ex compoſitione quorundam librorum aduerſus Aulam ſcriptorum, cuius auctoritas ſemper læſa exiſtimatur in offenſis, quæ honorem Principis attinent. Quæ res effecit, vt contra eos renouarentur priora Edicta, ne iuuentus ad ſcholas eius Ordinis mitterentur, vt Turnonum, Pontamuſſonum, aliaue loca in & extra Regnum: & declararetur, vt qui inſtituti & verſati in ipſorum Collegiis poſt Arreſtum die XXIX. Decembr. anni M. D. XCIV. factum eſſent, non gauderent priuilegiis Vniuerſitatū, tamquam incapaces graduum & honorum ipſarum: neque poſſent virtute graduum obtentorum docere publice, neque prouideri officiis, beneficiis aut aliis, quæ à graduatis affectantur: neque recipi in Aduocatos in Parlamentis ſiue Curiis & ſedibus Iuſtitialibus. Parlamentum *a* mandauit Comiti Turnonenſi, vt eos expelleret ex ſuis terris, ſub maximis pœnis contentis in Arreſto: & niſi ſatisfaceret, pronuntiauit bona, ditionem & iuriſdictiones in cauſam caduci Regii ceſſiſſe, & Seneſchallatum Auerniæ, quem gerebat, ab eius officio vacare. Verum quamuis Parlamentum Pariſienſe ſolum ſupremum Galliæ Parlamentum, & Curiam Parium, quum ipſum ſit fons, & cæteri tantum riui, non tamen arreſta eius dant legem cæteris Parlamentis. Nam Tholoſanum interdixit Comiti Turnonenſi, ne obediret arreſto Pariſienſi. Ieſuitæ *b* adhuc ibi degunt, Collegia eorum frequentantur, reditus deſideratur, exercitium ſcientiarum æque celebratur quam vmquam fuerit factum. Interdicta nihil aliud effecerunt quam vt numerum adaugerent. Aduocatus *a* Regius in Remonſtrationibus ſuper ea re factis ſcribit, eos eſſe auctores quorundam exſecrabilium ſcriptorum, quorum tamen nomina non exprimit. Fuit liber impreſſus in Belgio pro Apologia miſerabilis parricidæ, prodigioſi ſicarii, Martyris duplici ſuſpendio digni, ſcriptus pluma chalybia, & atramento ſanguineo. Dicitur tamen, quod verus auctor librum ſuum profeſſus ſit, Ieſuitasq; à tanta calumniæ nota liberarit.

IX.

Qui † cum viderent ſe nouo iſto tormento peti in ipſa malacia tranquillitatis publicæ, & obtentas eſſe *b* litteras à Parlamento Bordegalenſi, quibus expellerentur ex tota prouincia Viennenſi, recurrerunt ad iuſtitiam Regis. Nihil eſt ſub Sole, quod magis extol-

gregatis, admonuit Regem de vita ac moribus Ieſuitarum, eorumque innocentia.

a Σταλόνες ὕδατος, πέτρας κοιλαίνουσι: *Aqua guttatim lapſa lapidem cauat.* RVT. de Liber. educ.

Libri Ieſuitis adſcripti.

Contra eos qui ſtudent in Collegiis Ieſuitarum.

a Ioannes Seruinus in Actione impreſſa cum Arreſto Parlamenti.

b Hæ litteræ non fuerunt exſecutæ, quia Parlamentum, omnibus Cameris con-

a Per arreſtum factū 1. Octobr. 1597. in quo Comiti Turnonio mandatur, vt Ieſuitas ex limitibus ciuitatis & ditionis Turnoniæ intra duorū menſium ſpatiū eiiceret.

b Qui obtinuerunt quandā formam differendæ exſecutionis arreſtorū contra eos factorum.

Scripta Ieſuitarum exſecrabilia.

1598.

c Es le pedir iusticia à su Principe mucho mas que pedir gratia. ANT. PEREZ.

Imploratio iustitiæ denotat subiectionem.

lat magnificentiam superioritatis, neque res maioris reuerentiæ in terra, *c* quàm imploratio iustitiæ. Plurimæ res obtineri possunt ab alijs quàm à Principibus, sola iustitia non potest ab alijs haberi. Æqualis potest æquali suo benefacere, sed nemo nisi Superior potest facere iustitiam. Quare *d* Iesuitæ petentes iustitiam per libellum supplicem, ostenderunt ius esse sibi debitum, etiamsi essent omnium hominum criminosissimi, & sibi debere impendi, quòd eorum iustificatio pertineat ad bonum & reputationem Regni. Ab eo tempore & versu & prosi oppugnati passim fuere: ipsi se defenderunt multiuarijs & eruditis scriptis, quæ profecta esse videntur à manu Richeomi pulchra, eleganti, pura & iudiciosa. Quò magis autem putabantur indigni reddi posse reditu, cò magis sustinuerunt iustitiam & necessitatem suæ restitutionis. Sed hoc reseruandum est singulari ea de re Discursui: nunc sufficiat dixisse, eos non tam in veteri orbe, quàm in nouo persecutiones ingentes sustinuisse. Supremus Iapponiæ Princeps, qui *a* Quabacondonus appellatur, Edictum generale proposuit non tam contra eorum personas quàm doctrinam & religionem. Fundamentum Edicti prætendebatur esse periculum, quod consequi possit si permittatur nouæ religionis introductio, quum semper eiusmodi *b* nouitates esse soleant vera seminaria defectionum & rebellionum, quæ audaciter pullulare & oriri solent in populo semel persuaso, religionem, ad quam à Principe coguntur, esse falsam & impiam. Rex Iapponiæ existimans, quidquid extra terminos suæ religionis foret, esse quoque præter intentiones suorum Deorum, recordatus simul vt cæteri Principes noui orbis fuerint tractati propter neglegentiam, quam monstrauerant in introductione huiusce mutationis, addidit Edictis suis maximas pœnas infligendas illis qui religionem Christianam profiterentur, docerent aut docerentur, baptizarent aut baptizarentur.

d Supplicatio Iesuitarum à Richeome scripta circa finem anni 1598. qua oblata Rex permisit vt quidam ex ordine ad se in Aulã veniret.

Ludouicus Richeome Iesuita.

a alias nominatur Taricosama.

Introductio periculosa nouitatum religionis.

b Ne quis pro libidine religiosos ritus confingat. PLATO lib. 10. de Legib.

Martyrii vtilitas.

Verùm enimuerò ne metus mortis corporum impediret vitam & salutem animarum, Prouincialis Iesuitarum in Characteribus & lingua Iapponicis *De vtilitate & gloria Martyrii*, & immortali recompensatione promissa ijs qui martyrium constanter perferrent, non vt introducatur noua religio, quæ *c* difficulter persuadetur, sed vt confiteatur veritas, quam Deus omnium seculorum & omnium nationum docuit per os filij sui, & ministrorum suorum. Qui librum legerunt, eadem animositate ad mortem contenderunt, qua discipuli illius *a* Philosophi, cuius disputationibus de immortalitate animæ moti se ipsos interfecerunt, impatientia videndi

c Ἱερὰ καὶ θεοὺς οὐχὶ ῥᾴδιον ἱδρύεσθαι: *Deos instituere non est facile.* PLAT. de Legib. lib. 10.

a Hegesiæ, de quo CIC. & VAL. MAX.

1598. & fruendi felicitates in altera vita victi. Et quia ei, qui destruere velit aliquam Doctrinam, necesse est vt prius Doctores eius è medio tollat, ideò & Iapponiæ Rex Iesuitis interdixit sub pœna mortis ne pedem in Regnum suum ponerent, aut seruitium Deo rum suorum turbarent. Contra quod interdictum duo depræhensi fuerunt ex Insulis Philippinis appulisse, quorum vnus linguæ & locorum peritus in Meacum euasit, alter detentus fuit captiuus. Rex multò iritatior propter contemptum Edictorum suorum quam vllas alias offensas, constituit talem facere punitionem quæ in exemplum alijs esse posset, ne temere vitam suam in contemptu mandatorum suorum exponerent, & efficere vt capita eorum in portu plantata alios absterrerent. Quæ sanè res magnas turbas Ordini allatura fuerat, nisi Deus, qui seruat semper à periculo in se confidentes, prouidisset, inhibens per morbum Regis persecutionem suorum seruorum. Namque ministri Regij non existimarunt par & æquum esse, vt negotium religionis turbaretur in ea Regni conditione, quæ mutandi Regis necessitatem imponit, aut ampliùs moueretur humor vitiosus in corpore malesano. Nam in his occasionibus mutationis parum requiritur ad quassanda Reipublicæ fundamenta, adeò desiderium libertatis, metus nouorum Dominorum, affectio rerum nouarum, & eædem imaginationes, quæ populum Romanum quondam inuaserunt in fine imperij *a* Augusti, quum corpus eius tædio & morbis affectum iam se præparabat ad cedendum throno Imperiali vt tumulum impleret, peruadunt & penitrant facillime in credulum populi animum. Sapienter ac prudenter illi faciunt, qui eiusmodi occasiones ante mortem dissi-
X. pant, quemadmodum fecit Rex Tharicossama, qui eas fecit mori antequam ipse moreretur. Habebat tantummodò vnicum filium annorum circiter sex. Non ignorabat, in quantum periculum mitteret successionem Regni sui, si committeret vt subiecti diuiderentur: & quòd is, qui turbare conaretur, semper vna parte vsurus esset, & sub pretextu Religionis alteram euersurus & perditurus. Non est cogitandum, quasi prudentia solius Europæ finibus circumscripta sit, aut illi, quos nos vsque pro barbaris habuimus, adeò improuidi sint vt non interdum producant consilia æquè plena luminis & claritatis quam nostratia exsistant. Hic Princeps prouidit stabilitati sui filij per prudentiam & prouidentiam admirabilem. Nullus Princeps erat in toto Regno potẽtia & auctoritate par Ieghiasumquanto, id est, Domino octo Regnorum, nec qui posset turbare res filij sui. Is enim fundabat spes suas in *b* senectute Regis, neque

Principes sunt delicati in contemptu mandatorum suorum.

Omnes motus periculosi sũt in Republ. cuius Princeps est mutandus propediem.

a Quo tempore spes & affectiones populi erant diuersæ, quidam desiderabãt libertatem, alij metuebant bellum, plerique notabant magnos defectus in successoribus: nam Agrippa videbatur esse insolens, infamis & ignarus: Tiberius sapiẽs & fortis. TACIT. li. 1. Annal.

b *In Principis profecta ætate spes.*

eas

eas terminare quàm vsque ad finem Regni eius cogitabat. Rex securè ei obtulit, quod sine ingenti periculo adipisci non potuisset. Commisit ei tutelam filij sui, Coronam, & supremam potestatem Regni, extra omnem exceptionem, præterquam vt filio adulto & ad regendum idoneo ea restitueret. Et vt vincula huius obligationis strictius firmarentur, voluit vt ex duabus familijs vna fieret, & tutoris ex filio neptis filio suo in matrimonium iungeretur, quo pacto fieret ei & auus per affinitatem, & pater per affectum. Sponsalia & pacta dotalia facta fuerunt ipso Rege adhuc viuente. Ieghiasumus declaratus fuit regni Regens. Quatuor Præsidentes se eius auctoritati submiserunt, quibus & quinctum adiecit Ieghiasumus, voluntati suæ addictiorem. Distribuit ingentia munera inter eos, qui aduersus desideria sua murmurabant, & tutum se à cæteris reddidit, misitque Regnum in eum statum, vt nulla alia mutatio facta, quàm personarum tantum, videretur, & summates quique Regni, vt Consules olim, Patricij & equites Romani in aduentu Tiberij, ita sese moderabantur, vt ostendentes se nec gaudere nec tristari propter Principis obitum, lacrymas gaudio, quæstus adulatione miscerent. Qui princeps, antequam moreretur, prouidus ingentium factionum, quæ propter mortem suam & pueritiam hæredis inter Magnates Regni oriri possent, curauit ampliari ciuitatem Ossacum, ornari Palatio Regio, & quàm plurimis sumptuosis ædificijs, quæ deinceps distribui inter primarios Regni Proceres iussit, ea cum conditione, si illic inhabitarent: vt hoc modo tenti vno in loco, ceu quodam in carcere, cogi possent ad viuẽdum in pace cum vxoribus & liberis & priuati honestè libertate comitatuum, non possent fortificare sua castra, aut fauere defectoribus.

1598.
noua, plures bellum pauescunt, alii cupiũt.
TACIT. Annal. lib. 1.

Mors Principis non potest taceri.

Vltimum prudentiæ eius specimen fuit in prolõgando Regni sui tempore etiam post mortem. Vocatum namq; ad se Ieghiasumum rogauit, vt sibi sponderet, quod petiturus esset. Illo annuente & spondente, obtestatus est per fidem sibi factam, vt mortem suam celare nec publicare vellet, donec ædificia ciuitatis Ossacensis, propter quæ populo impositæ essent vectigales collectæ & operæ angariæ intolerabiles, perficerentur. Sed, quemadmodum a *in humido & lubrico est lingua*, cuidam ex ministris, qui morientem viderat, imprudenter verbum excidit, quod ei confestim repulsum & reserratum in stomachum cum resti fuit. Nam illico vicerex vt strangularetur mandauit, quò vnus fieret cæteris in exemplum. Rex noluit mori quàm priùs sciret, in qua reputatione apud populum post mortem futurus sit. Edixit enim, vt appellaretur Camus,

a ἐν ὑγρῷ ἐστὶν ἡ γλῶττα.
THEOP. Charact. de loquacitate.

1598. quo nomine posteritas honorare solet omnium maximos in Iapponia heroas & Capitaneos; & insuper cognominaretur Sciafasima, id est, nouus Deus belli, tamquam alter Mars. *Magnus* b *& generosus est humanus animus: nullos sibi poni nisi communes & cum Deis terminos patitur.*

b SENEC. 27. Epist. 103.

XI. Gallia † igitur, in qua ceu theatro quodam hactenus bellorum tam ciuilium quàm externorum tragœdiæ repræsentatæ fuerunt, respicit nunc otiosus furores belli, quibus cæteræ Europæ gentes affliguntur. Terribilissimæ Martis formidines sunt in Hungaria, vbi modò res Christianorum videntur esse meliore in statu per Iauarini occupationem, quæ magnam famam Imperatoris exercitui conciliauit, & ipse exercitus confitetur plurimum se debere Vaubecurio Baroni Campano, qui tres petardas tam feliciter applicuit, vt Turci & Bassa, qui loco præerat, citiùs hostes in statione militari intra vrbem quàm apud portam viderint, stupefacti ob tam promptum & impetuosum petardarum effectum, quarum hactenus & vsum ignorauerant, nec vires experti erant. *Noua* a *instrumenta bellica, & hostibus ignota ac inusitata magnum illis terrorem afferunt.* Amissio Iauarini occasionem Sultano præbuit vires & copias suas in Hungaria duplicandi. Misit eo Abrahamum Bassam, qui magna cum infamia Varadinum obsidio cinxit, vt in ipso conspectu perderet Budam. Cigalus Bassa Siculus Apostata accedens Messinam cum Vicerege orauit, vt sibi Lucretiæ Cigalæ matris suæ videndæ facultas concederetur. Quam in galeram ad se venientem omni officiorum genere amplexus est & honestissimè habuit. Illa vicissim eum obtestatus est per viscera matris suæ vt rediret ad seruitium Domini quem deseruerit, & cessaret bello Christianos persequi. Sed lacrymæ eius non plus valuerunt apud huncScytham quoad cõscientiam, quàm quoad arma, qui non desinit crudelitates barbaras exercere in his partibus. Respondit, lege quidem naturæ se obligari ad obseruantiam matris, sed lege salutis & honoris iure se teneri ad seruitium Principis vel contra ipsam matrem, quũ debitum & officiũ subiectionis multo maius sit quã sanguinis. Pueri tributarij, quos Sultanus capit à Christianis in prouincijs subiugatis, valedicunt patri & matri cum baculorum ictibus, & in tempore docentur coniurare aduersus Christianos sine vlla exceptione: & quemadmodum a *vitii aut virtutis animus est domus*, ita prima informatio eius impietatis adeò radicata est in eorum animis, vt longè peiores & crudeliores sint in Christianos, quàm ipsi origine & natiuitate Mahometani.

Bellum Hungaricum.

Iauarinum captum.

a XENOPH. lib. 1.

a κακίας, ἀρετῆς, ὡς ἂν οἶκος νοῦς. PHILO de Creat. mũdi.

Papa,

1598.

Sacrum fœdus anno 1570.

Papa, qui fecerat pacem inter duos potentiſſimos Chriſtianitatis Reges, admodum deſiderauit, vt vires ſuas contra communem hoſtem coniungerent, & vt fœdus æquè felix, quam id quod quidam ex prædeceſſoribus ſuis cōcinnauerat, vindicaret mortem vltimi Hungariæ Regis, quemadmodum illud interceptionem Cypri vindicauit. Sed non reperiens eorum voluntates ſatis in eam rem affectas, continuauit auxiliares Eccleſiæ copias mittere ſub gubernatione Ducis Mantuani, auxitque ex commoditatibus, quas reunio Ducatus Ferrarienſis ei attulerat. Eo Papa appulit initio mēſis Aprilis, ibiq; perſtitit vſq; ad finem anni. Principalis cura ei fuit, vt talem ordinem & gubernationem inter ſubditos inſtitueret, ne quis haberet occaſionem Ducem Alphonſum meritò deſiderandi, quum nouo *a* Principi nihil magis prouidendum ſit, quàm ne noui ſubiecti occaſionem habeant deſiderandi regnum prædeceſſorum. Reduxit res in eam æqualitatem & proportionem, vt ciuitas Ferrarienſis, quæ antè valde diſtracta factionibus, nunc vnum communem conſenſum in obœdientia habeat.

a Nero à peſſimo quoque ſemper deſiderabitur: mihi ac tibi prouidendum eſt ne etiam à bonis deſideretur. Dictum Galbæ ad Piſonem. TACIT. lib. 17.

XII.

Ab omni † tempore ea vrbs fuit aſylum & refugium Iudęorū. Vbi tanto cum fauore habiti, & cum Ducum gratificatione verſati ſunt, vt non amplius à Chriſtianis diſtinguerentur. Papa exiſtimans non eſſe æquum, vt Synagoga pari paſſu cum Eccleſia ambulet, non magis quàm *b* Plato, qui inquilinorum iura inter ſe intemerata, non tamen ciuibus paria eſſe voluit: ne forte turba vagabunda præualere incipiat fauore Principis in præiudicium originariorum, ordinauit, vt recognoſcerentur & diſtinguerentur per eaſdem notas quas Romæ & in cæteris Italiæ vrbibus gerunt. Verum quia abuſus inueterati per conſuetudinis tolerantiam non debent reformari niſi pedetentim, & omnis mutatio debet habere ſuos gradus, conceſſit vt tantum circulo fuluo in pileo notarentur. Multi elegerunt potiùs vrbe excedere, quàm eâ notâ inſigniri, & in primis *c* Marrani ſe monſtrarunt omnium obſtinatiſſimos, adhuc nimium quantum exacerbati, quod vniuerſalis illa conſpiratio, quam aliquanto antè tempore contra Chriſtianos iniuerant, fruſtrata fuiſſet. Nam detectum fuit, quod ditiſſimi omnium Synagogarum in toto orbe diſperſarum & errantium, in vnum contulerint quingenta milia coronatorum, & Sultano Turcorum obtulerint, vt deſtrueret Sanctum Sepulchrum Hieroſolymitanum & auferret Chriſtianis iſtam immutabilem indicinam Redemptionis, & mortis eius per quem illi vitam acquiſiuerunt. Principes regionum, in quibus contributio-

b PLAT. lib. 8. de Legibus.

c qui non ſunt nati Iudæi, ſed apoſtatæ & abnegato Chriſtianiſmo circumciſi.

Conſpiratio & monopolia Iudęorum.

1598. nis illius recisamenta quædam deprahensa fuerunt & confiscata, non potuerunt sufferre nec dissimulare istam coniurationem, eosque mulctauerunt ingenti pecuniarum summa. Debebant procedere seuerius. *Sub* a *Tyrannis dicta, scripta, facta, somnia, recitata, & quæ duntaxat sunt meditata, in crimen læsæ Maiestatis vel religionis læsæ rapiuntur*: sub Principibus Christianis adeò leue iugum est, vt non modo non facilè recordentur iniuriarum sibi factarum, sed etiam obliuiscantur earum quæ in Religionem illatæ sunt. Magna Christianorum cum ignominia odium tam rabiosum & implacabile, vt Iudæorum est, etiam fauetur, & quod post ipsa sedecim sæcula euoluta sedari non potuit, benignè habetur: ô socordes & ignauos, qui hos toleratis, & educatis serpentes in vestro sinu, imò conseruatis in medio principalium Ecclesiæ vrbium, quò meliùs conseruetur species scilicet.

a TACIT. lib. 4.

XIII. Gestorum publicorum, quæ Papa fecit quo tempore Ferrariæ substitit, celeberrimum est stipulatio in eius manus promissa matrimoniorum inter quatuor personas eiusdem nominis, eiusdem familiæ, eorundem insignium; putà, inter Philippum Austrium eius nominis tertium Hispaniarum Regem & Margaritam Austriacam: item inter Albertum Austrium & Isabellam Austriacam Infantem Hispaniæ.

Conditiones matrimonij inter Archiducem & Infantem præbent testimonium magnæ prudentiæ & prouidentiæ Regi Hispaniarum, qui tam exactè & subtiliter considerauit omnia, quæ tempus & mutatio personarum posset inferre, vt nihil possit accidere quod nō præuiderit, & cui non prudenter prouiderit. Postquā exposuisset intentionem suam Imperatori nepoti & Imperatrici sorori suis, rogauit Papam vt indulgeret dispensationes necessarias. Interim etiam consilia sollicitauit Procerum & Equitum Belgij Comitatusque Burgundiæ. Subditi a magno Principi non libenter mutant dominationem, & se putant feliciores sub sceptro potentis Monarchæ, cuius sola auctoritas continet amicos in debito & inimicos in timore, quàm sub regimine minoris Principis, qui semper potentioris arbitrio expositus est, vt perdix accipitris prædæ. Ea de causa b populi Regnorum patrimonialium Domus Austriacæ difficulter poterant persuaderi, vt exemti ab obœdientia Caroli V. Imperatoris se Ferdinando fratri eius subijcerent. Belgæ tamen & Burgundi nihilominus testati sunt per responsum Regi Hispaniæ de gaudio & placiditate, quam in hoc matrimonio habeant, æstimantes hanc vnicam & veram viam fore componendæ bonæ & durabilis pacis. Princeps Hispaniæ quoque consensit in

a Non est ex vsu publico relinquere potentiorem Dominū, & se submittere infirmiori.

b Imp. Carolus V. dedit & remisit Ferdinando fratri Austriam, Morauiam, Silesiā, Croatiam, Carinthiam, Forumiulij, Tyrolē, Brisgouiam, & Phirretum, sed populi vix adduci poterant vt in mutationem Domini sui consentirent.

Bonum est viuere sub potenti Principe.

dona-

1598.

donationem Prouinciarum, magis propter obedientiam & obſeruantiam erga patrem, quàm vllam aliam ob intentionem. Nam per eam auferebantur ſuæ Coronæ duo pulcherrimi floſculi, Comitatus Burgundiæ & prouinciæ Belgicæ. Comitatus Burgundiæ non eſt regio quæ poſſit cum cæteris comparari, quamuis abundet maximis naturæ commoditatibus, frumento, vino & ſalinis, neminem tamen habet quæ ſibi comparari poſſit *a* in libertate & immunitate quam nactus eſt ante multa ſæcula ſub Comitibus Palatinis, Principibus ſuis, ſub quibus vixit ſine tributorum, collectarum, ſubſidiorum, gabellarum, aut aliarum impoſitionum oneribus.

a Comites Burgundię vocantur Pa atini ex priuilegio Friderici Barbaroſſæ Imperatoris, qui eã dignitatem primus cõtulit Othoni filio ſuo.

Belgicæ prouinciæ propter celebritatem commerciorum, & ingentem numerum ſplendidiſſimarum ciuitatum, habentur pro optimis totius Europę prouincijs. Quæ vt non ſine ingenti labore & difficultate Domui Burgundicæ inſeri potuerunt, ita ſucceſſores non faciliter permittere volent ſeparationem. Ludouicus III. Comes Flandriæ, & Margareta Dux Brabantiæ, vnicam tantum filiam reliquerãt. Erat hæc omnium Europæ Principum ſplendidiſſima: quippe vnica hæres præſumptiua Comitis Flandriæ, & Ioannis Ducis Brabantiæ, Lotericiæ & Limburgi, & amitæ in Marchionatu Sacri Imperij Antuerpiano. Rex Carolus V. ſciens quantũ Regno ſuo interſit, conſeruare ſibi fratres in vnione & amicitia (b *fratres* enim *quodãmodo corporis partes ſunt, quemadmodũ oculi, pedes, manus & reliqua membra*) omnẽ operam nauauit, vt ea Philippo fratri ſuo deſponſaretur. Pater eam promiſerat Comiti Cantorberiano. *a* Margareta Ludouici mater volebat ſatisfacere Regi & fratri eius Duci Burgundiæ, & videns filium ſuum nolle auſcultare dictis, aggreſſa eum eſt acribus & vehementibus verbis, & oſtentans ei detectam mamillam dextram iurauit, niſi petitionibus ſuis obſecundaret, abſciſuram ſe & proiecturam canibus, vniuerſo mundo monſtratura quam indignum iudicet qui alimentum inde ſuxerit. Quibus verbis Comes permotus obœdiuit conſilio matris, vnde Rex Angliæ tam fuit irritatus, quam Rex Galliæ lætatus, animaduertens vicinos ſuos infirmari, & Regnum ſuum fortificari ex tanta acquiſitione, & fratrem repleri tam amplis ſpebus ex hoc *b* matrimonio, per quod tam præſtantes prouinciæ Ducatui Burgundico vnirentur.

b HIEROCLES.

a Comitiſſa Burgundiæ, filia Philippi Lõgi, deſponſata Ludouico Comiti Flandriæ anno 1310.

b Matrimonium Philippi Ducis Burgũdiæ, & Principiſſæ Flandrię factum 21. April. 1329.

Hæ poſteà iunctæ Hiſpanico imperio perſtiterunt per matrimonium *c* Maximiliani I. Imp. & Mariæ vnicæ Caroli Burgundi filiæ, qui apud *d* Nanſeium infeliciter pugnans occubuit: ex quibus natus Philippus Archidux Auſtriæ, pater Caroli V. Imperatoris.

c Celebratum Gandaui 1477. menſe Auguſto.

d In prælio apud Nancyam yr-

1598.

bem Regiā commisso 1476. ætatis suæ 44.

Auctor Annalium Aquitaniæ scribit Ludouicum XI. sensu communi caruisse, quod illam non acceperit, quum posset, in vxorem Carolo Duci Angolismensi Francisci Primi patri, ad amplificandum regnum suum septemdecim aut octodecim magnis prouinciis, quæ nunc à Regno Hispaniæ separatæ redierunt ad Domum Austriacam per donationem à Rege Philippo factam Infanti filiæ suæ, pro dote matrimonii, inter ipsam & Albertum Archiducem nepotem suum celebrando. Metus, quo sollicitabatur ne matrimonium se viuo non perageretur, & post mortem Infans donationem mallet quam matrimonium, adiecit multas conditiones, qui-

XIII. bus† obstringeretur ad illud conficiēdum, & easdem prouincias ab amicitia & protectione Regni Hispaniæ non separandum.

I. Prima conditio erat, vt Infans nuberet Archiduci Alberto, & in dotem ei afferret prouincias Belgicas & Comitatum Burgundiæ. Quod si vero matrimonium non perficerent, vt eo casu donatio & cessio prouinciarum pro nulla haberetur, esset, tamquam reuocata & annullata.

II. Vt liberi & eorum heredes ex hoc matrimonio nati, mares & femellæ legitimi & ex iusto matrimonio progeniti, & non legitimati, nec quidem per subsequens matrimonium, *a* maiore natu semper præcedente minori, & mare femellæ, in eodem gradu, sint heredes de manu in manum omnium dictarum prouinciarum inseparabiliter & indiuisibiliter coniunctarum, ita tamen vt filius aut filia, filio aut filiæ grandiori natu, defunctis patre adhuc viuente, præferantur patruis aut auunculis & cuicumque in linea collaterali.

a Ordo naturæ vult, & cunctarū gentium consuetudo, vt primogenitus cęteris præferatur. Quo turbato, bella crudelissima subsecuta fuerunt, vt inter Numitorem maiorem natu & Amuliū secundogenitum.

III. Quod si nec filius nec filia ex hoc matrimonio relinquerentur, aut obiissent ante decessum Archiducis Alberti & Infantis, donatio & concessio pariter nulla & nullius valoris exsisteret. Quo casu si Infans manebit vidua, concedetur portio legitima à parte patris & dos legitima à parte matris, & quidem dos à parte matris, qualis decet & ad eam pertinet. Et si Archidux superuixerit Infanti, *b* manebit Gubernator dictarum prouinciarum Belgicarum pro & in nomine proprietarii, ad quem reuolutæ erunt.

b Princeps benè stabilitus in possessione posset impedire effectum, hoc est, ne ex dominio rursum redigeretur in seruitutem.

IV. Quod si omnes descendentes mares & feminæ ex hoc matrimonio procreati defecerint, ita vt nulla persona superet ex illis, ad quos successio pertinuit, tum prouinciæ Belgicæ & Comitatus Burgundiæ reueniat ad Regem Hispaniæ, qui pro tempore ex descendentibus Regis Philippi erit.

V. Vt nec Infans nec quicumque eorum, ad quos successio per-

1598.

tinet, possit quacumq; ratione *a* oppignerare terras, nec donare nec alienare, sine consensu heredum & successorum Regis Philippi.

a In omni Republica domaniū publicum est sacrum & inalienabile, neque datur præscriptio aut titulus vllus possessoribus.

VI. Vt Principissa & Domina dictarum Prouinciarum nullam licentiam habeat nubendi, præterquam Regi Hispaniæ aut Principi eius filio, qui tunc in vita exsistet, præcedentibus semper debitis dispensationibus in eo quod necessarium est. Quod si nollet aut non posset matrimonium inire, non possit eadem Domina alium maritum accipere, neq; ei in dotem constituere vllam terram dictarum prouinciarum, sine consensu heredum & successorum Regni Hispaniæ: & in casu contrario, quidquid datum aut concessum fuit, ad eosdem reuertatur, tamquam hæc donatio, concessio & transportatio numquam facta fuisset.

VII. Vt omnes Principes & Domini dictarum prouinciarum Belgicarum cogantur filios & filias suos cum consensu Regis Hispaniæ & ex eo descendentium successorum elocare.

VIII. Vt nec Infans, nec maritus eius, nec quispiam alius successorum, ad quos dictæ Prouinciæ deuenient, exerceant quacumque conditione *b* commercia aut negotiationes in Indiis Orientalibus & Occidentalibus, nec mittant per quamcunque occasionem naues quoquo titulo, colore & prætextu ad ea loca, sub pœna amissionis dictarum prouinciarum per talem contrauentionem reuolutarum. Quod si subditorum quispiam ex dictis prouinciis ad easdem Insulas nauigare præsumpsisset, vt eum castigent pœna confiscationis bonorū eius, aut etiā grauiori, atq; adeo mortis supplicio.

b Legibus Regni Hispani interdictum est sine venia Regis ad Indias nauigare. BODIN. lib. I. c. 6.

IX. Vt Archidux Albertus superuiuens Infanti, filium aut filiam relinquenti, gubernationem habeat talis filii aut filiæ heredis, & administrationem omnium bonorum, non aliter atque Infante viua habuit. Et præterea percipiet eo casu, durante vita sua, omnes terras prouinciarum Belgicarum cum omnibus reditibus & vsufructibus, modo honorabiliter sustentet omnes liberos prædictos secundum eorum dignitatem, & grandiori natu filio aut filiæ concedat Ducatum Lucemburgensem cum Comitatu Chinio, qui ex eo dependet, cuius administrationem teneat, quamdiu pater in viuis exsistet: quo defuncto omnium prouinciarum successionem, ceu vnicus heres, accipiat. Quod tamen ad vsumfructū attinet, expresse declaratur, illam clausulam tamtummodo intelligendam esse de Archiduce Alberto, nec posse trahi in consequentiam, adeo vt nullus successorum debeat pro se allegare aut habeat ius quodcumque in quocumque casu consimili.

X. Vt omnes liberi & descendentes ex hoc matrimonio, imitan-

1598. tes pietatem & religionem, quæ in illis relucet, debeant viuere & mori in nostra sancta Fide Catholica, quam tenet & profitetur sancta Romana Ecclesia: & antequam capiant possessionem dictarum prouinciarum Belgicarũ, adstringantur iuramento iuxta *a* formam in Articulis positam: & in casu, quo quis ex descendentibus descisceret à sancta Fide, & caderet in aliquam hæresin, simulatq; sanctissimus Dominus Papa eum pro tali declarauerit, statim priuatus sit administratione, possessione & proprietate dictarum prouinciarũ; & subiecti atq; vassalli ab omni obedientia soluti admittãt & recipiant proximum Catholicum gradu agnatum, qui alioqui desertori illi Fidei sine liberis defungenti succedere deberet; & habeatur talis Hæreticus Princeps nõ aliter, quàm si verè & morte naturali ex vita discessisset.

a Quæ est talis: Ego iuro ad sancta Dei Euangelia, quod semper ad extremũ vitæ meæ spiritũ Sacrosanctam fidem Catholicã, quã tenet, docet & prædicat sancta Catholica & Apostolica Ecclesia omnium Ecclesiarum mater & magistra, constanter profitebor & fideliter firmiterq; credam, teneborq; eã à meis subditis teneri, doceri & prædicari quantũ in me erit: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia.

XI. Vltima conditio erat, vt donatarii, mediante hac obligatione, sint obligati & onerati ad soluendum omnia debita & obligationes contractas à Carolo V. Imperatore & Rege Hispaniæ super patrimonio & domanio prouinciarum Belgicarum, & præstandum omnes pensiones, recompensas & mercedes assignatas in dictis prouinciis.

Missio in possessionẽ Belgii. Procuratio facta Madritii vltimo Iunii 1598.

Infans misit procurationem ad Albertum maritum suum, qua acciperet possessionẽ Belgii & Comitatus Burgundiæ. Eodem die, quo donatio hæc transacta fuit, Princeps eam confirmauit in præsentia Gomesii Auilę Marchionis de Velade, Pædagogi ipsius & Gubernatoris, Magni Commendatoris Ordinis Alcantarani, Ioannis Didiaquis Magni Commendatoris Legionensis, Nicolai Damantis Equitis, Custodis Sigillorum Belgicorum & Burgundicorum. Eodem die & in eorundem Procerum præsentia Infans acceptauit donationem, renuntiando omnibus legitimæ suæ iuribus.

Conuẽtus Belgicus Bruxellis 14. Augusti, 1598. in quo publicatio donationis editur. Iuramentum Archiducis.

Ordines Belgii conueniunt Bruxellis, vbi tum erat Archidux, vt iurarent fidelitatem Infanti. Præses Richardotus proposuit occasionem congregationis, laudauit prudentiam & pietatem Regis Hispaniæ, qui concesserit regiones Principissæ virtute & pietate magnæ, & quæ in suo sexu polleat excellentissimis quibusque hominis perfectionibus; quæ non modo sui ingenii ope, verum etiam experientiæ, capax sit ad res maximas gerendas, quippe quæ annos amplius octodecim aut viginti in Aula Regis patris summis maximis in vniuersa Christiana Republ. negotiis tractandis interfuerit. Oratore Ordinum exigente, Archidux iurauit obseruationem omniũ iurium, priuilegiorum, libertatum, immunitatũ & consuetudinum Belgii: & Ordines vicissim iurarunt omnẽ fidelitatem & obedien-

Priuilegia Belgii accordata à Carolo V. & Philippo II. Duce Brabantię.

1598.

tiam. Poſteà Archidux ſe præparauit ad iter in Comitatũ Tyrolenſem, & inde in Hiſpaniã, ad conducendam Reginã. Conſtituens in Belgio Gubernatorẽ Andream Cardinalem Auſtriũ, per Germaniã cum duob. millibus equitum in Comitatũ Tyrolenſem contendit, & Reginã Hiſpaniæ offendit in eo ipſo loco, vbi olim Carolus V. & Ferdinandus frater ſibi inuicẽ occurrentes trophæũ memoriæ fixerant. Regina tranſiẽs per Tridentũ & terras Venetorũ, attingensq; Mantuanę ditionis fines obuiũ habuit Ducem cum triginta Nobilibus, inde cõſcenſa naue ſecundo Padi flumine Ferrariã deſcendit. Papa ei obuiã miſit Cardinales Aldobrandinũ & S. Clementis, qui ei p̃ſentarunt carrucã inſigniter ſplendidam & ſuperbã à ſex candidis equis tractam, in quã cum matre & Archiduce aſcendit. Ad portam appropinquanti Dux Seſſæ Legatus Regis Hiſpaniæ obtulit lecticã paño coopertam aureo, à duobus mulis geſtatã eodem aureo paratu ornatis, & carrucã à ſex equis tractam nomine Regis Hiſpaniæ. Recepta fuit ad portã vrbis à Cardinalib. Sfortio & Montalto in theatro ad id parato, vbi octodecim ei Cardinales reuerentiã præſtiterũt. Ingreſſa eſt in vrbẽ ſub cœlo argenteo, veſtita holoſerico raſo nigro, flam̃eo Romanũ in morem culta, equitans ſuper aſtrucone mannulo, quo eam Papa donauit. Archiducisſa mater ſequebatur, & poſt eam Archidux Albertus. Viſitatâ Eccleſiâ perrexit ad oſculandũ pedes Põtificis, à quo in Camera Cõſiſtorii exſpectabatur. Poſtero die Papa miſſam cantauit, excepitq; cõuiuio Reginam, matrẽ, & Archiducem. Decimoquinto Nouembris ſponſalia facta ſunt, quo cuncti Aulici vtriuſq; ſexus ſe exſuerunt lugubrib. veſtimẽtis, quibus erant induti. Papa celebrauit miſſam in magno templo: qua finita matrimoniũ fuit ſtipulatũ in eius manus: & Regina deſponſa Regi Hiſpaniæ abſenti, Archiduce eius perſonã gerente, & Archidux ipſe p̃ſens Infanti Hiſpaniæ abſenti, Duce Seſſæ eam rep̃ſentante. Vulgus imperitũ dicebat, honeſtius fuiſſe, ſi femina rep̃ſentaſſet Infantem, non cõſiderans, matrimonii formã eſſe merũ cõſenſum, qui inter abſentes fieri poteſt per ꝓcuratorem ſine diſtinctione ſexus, niſi ꝙ plerũq; eligatur perfectior, cuius ꝓmiſſa conſtantius tenentur. Poſt Miſſam Papa Reginæ donauit Roſam aureã, quam illa porro Comiti Barlemontio com̃iſit, vt ſibi p̃ferret in reduitione ad Palatiũ, in quo Ferrarię hoſpitabatur. Inde Mantuã conceſſit, vbi recepta fuit à Duciſſa Eleonora. Ingreſſus fuit ſuperbus, arcus ornati pulcherrimis & ingenioſis inſcriptionib. Ignes lætiferi, venationes, haſtiludia, Comœdiæ, & id genus aliæ recreationes ſine fine habebantur, quas adauxit & baptiſmus filiæ Duçis, cui Regina nomen ſuum dedit.

In Regia via verſus Tyrolem viſitur mẽſa cerea in memoriã concurſus Caroli V. Imp. & Ferdinandi Regis illic facti.

Papa erigi curauit arcũ ad imitationẽ Titi & Veſpaſiani, cũ inſcriptione, PHILIPPO ET MARGARITÆ. *Auſtriacis Imperatorũ gloria quaque pietate inclytis, Catholicorum Regũ ſoboles propagetur, matrimonio diuinitus cõiunctis anni multi, liberorũ copia, perpetua felicitas.*

Archiducẽ comitabãtur Dux Condiæ, Dux Aumalii, Magnus Coneſtabilis Gubernator Mediolani, & Princeps Arauſiẽſis.

Munera Paparum ſunt pilei, quib. Cardinales; gladii benedicti, quib. Reges & Principes; & roſæ aureæ, quibus Principiſſę donantur.

Matrimonii vnica forma eſt conſenſus in facie Eccleſiæ.

 Et no-

Et notatum à curiosis fuit, Ducem nouem integris diebus aluisse quinq; hominum millia, & quatuor millia equorum. Mantuâ concessit Cremonam, & inde Mediolanũ, vrbem per se populosam, sed tum ex Comitatu Reginæ & multitudine eorum qui vndiq; gentiũ accurrebant, ita refertam, vt videretur esse epitome totius mundi, ornata innumeris rararum copiis rerum, pro eo transitu factarũ & præparatarũ. Regina illic totos duos menses substitit, visitata à Duce Sabaudiæ, & expectans mandatum Regis Hispaniæ, & commoditatem nauigandi.

Mediolanum appulit vltimo Nouembr. 1598.

XV. Duobus †matrimoniis solemnizatis Ferrarię, vt in Hispania porro consum̃arentur, Papa rediit Romã, quo prouidere apparatui Iubilæi, & receptioni peregrinorũ posset. In reditu, Tyberis intumescens tam horribiliter exundauit, vt minus quàm intra dierũ trium spatium, soli septẽ montes & quædã alia loca excelsiora ab exundationis tempestuositate cõseruarentur. In prima furia, & minus quatuor horis, abstulit pontẽ S. Mariæ, complures domos, totas officinas librariorũ & pharmacariorum, & cõditoria vini atq; olei, quæ erant circa turrem Castelli S. Angeli. quadraginta captiui in turre Nonana sub eius ruinis perierunt, quum nec turris resistere violentię aquarũ, nec captiuis succurri posset, quoniam casus & nocte & ex improuiso præter omnem suspicationem contigit. Ecclesiæ Romanæ per totũ Natiuitatis Christi tempus sine Presbyteris, sine Missis & sine populo erant. Papa orabat in montanis, & fundebat lacrymas pro eis, qui tremebant & languebant in inferioribus diluuii partibus. Præterea prouidit, vt eis, qui & foris ab aqua & intus à fame oppugnabantur, semper contra vtriusq; violentiã tempestiuè subueniretur. Numquã Roma in tanta desolatione fuit. Exundatio Tyberis, quæ facta fuit sedente Papa Clemẽte VII. nõ peruenit ad tantũ excelsũ.

In hac inundatione Romani de tectis in tecta transiliere, quo se seruarent.

Caussas nonnulli contulerunt ad ventos Meridionales, qui Tyberis cursum cõtinuis imbrib. tumefecerunt. Sed cur potius ad caussas naturales, quã ad alios motus iræ diuinæ, qui pessumdedit olim mundũ vniuersum ꝓpter corruptelas pariles hisce, q̃ nostro sæculo in vsu sunt? Est astutissima deceptio Diaboli, qui nos cõsopit, vt Ionam in naui, ne cognosceremus nos esse in culpa tantæ tempestatis; & qui nobis semper adblanditur de bonitate & clementia Dei, ne contremisceremus, visis prodigiis præcursoriis & metatoriis sui Iudicii. Ob oculos atque animos ponit prosperitatem impiorum, & afflictionem bonorum, vt cernentes Solem æquè atheis & sceleratis oriri quam bonis, & piratis maria æquè patere quàm sanctis peregrinis, omnia ad casum & fortunã referremus. Et quamuis intel-

Complures fuerunt Tyberis inundationes, vt anno 1590. quo muros vrbis superauit: & anno 1530. & 1557.

1598.

Anno 1569 terræmotus Ferrariæ perdidit magnã partem ædificiorũ, quorum ruinæ amplius quatuor millionibus auri æstimabantur. P. BIZARVS

legamus, ſentiamus & videamus virgas nobis paratas, tamen corruptio noſtrę naturę nos reddit ita ſurdos, inſenſibiles & cæcos, vt malimus cauſſam ad exceſsũ naturę referre quã morum noſtrorũ. Ferrariæ terra tremuit, & terręmotus ſpatio quadraginta horarũ plus cẽties quadragies repetitus fuit. Nemo causã retulit ad vitia aut mores corruptos ciuitatis, quib. ira Dei prouocata fuit, ſed ad ſituationem, ad ventos ſubterraneos, ad peninſulam vndique aquis circumdatam, ad regionem poroſam & cauernoſam. Fames tam acris & violenta fuit in Africa, vt homines & cætera animalia ſe inuicem conſumpſerint. Nemo dicit, iuſtum Dei iudicium fuiſſe cauſam, qui minatur nobis dare cœlum æreum, ſed queruntur de ſiccitudinibus terræ & ardoribus temporis. Si peſtilentia Venetijs graſſetur, cauſa ad paluſtria maris refertur: ſi Pariſijs, ad ſordes & fœtores viarum: ſi Lugduni, ad veneficos, qui per vnguenta peſtifera effecerint. Quum Gallia eſſet referta ſeditionibus, factionibus & rebellionibus, diſtillabamus cerebra in quęrendis & indagandis cauſis, nec quiſquam flagellum Dei voluit cognoſcere, quo Regna & Reſpublicas caſtigat. Tyberis tanta cum impetuoſitate Romæ exundauit, vt ferè vniuerſam vrbem peſſumdederit & nemo credit exceſſum enormium peccatorum noſtrorum fuiſſe in cauſa. Veteres illi Romani longè ſapientiores fuerunt in ſuo genere quàm iſti noui. Nam quum Cæſar ſuſcitaſſet bellum ciuile, cuncti vociferabantur, inordinatum Reipublicæ ſtatum in cauſa fuiſſe. Et quum Atila graſſaretur, boni deplorabant abominationem ſui ſæculi. Condemnemus eodem modo iniuſtitiam & impietatem noſtri ſæculi, & obuiemus iræ iuſtiſſimi Dei iudicij. Et ſi primi ictus non vulnerant, repetiti tamen tandem occidunt. Poſt ranas, muſcas, pulices, venerunt aliæ plagæ crudeliores, & denique mors, quę dedit decimã & vltimã plagam Ægyptijs. Hoc modo de omnibus, q̃ in vniuerſa Europa accidũt, philoſophari debemus, ſi ſapimus.

Tempore Hunerici Regis Vandalorum. NAVCLERVS.

SALVIAN. lib. 2. de Prouident.

Quo tempore mores adeò erant corrupti, vt ſapientiores dicerent, videre ſe quam partem fugerent, ſed non videre quid deberent ſequi.

XVI. Transeamus † nunc ad Angliam, quum nihil cæteroqui habeamus, quo narratio nunc amplificetur. Rex deſiderabat in tractatu Veruiniano, vt ſoror ſua Regina Angliæ in eo compræhenderetur. Sed eam cum Angla concordiam Hiſpanus voluit ſeparatim tractare quam in rem Rex obtulit ciuitatem Boloniæ, in qua vtriuſque paris Deputati conuenirent. Sed inutiliter ceſſit, propter ceremoniam præceſſionis. Nam quum Angli nollent cedere Hiſpanis, infecto negotio diſceſſum eſt, nec repertus quiſquam eſt, qui æquum eſſe iudicaret vt Pax quæreretur tanto cum incommodo ſui Domini. Dici quidem ſolet, ſupremam legem eſſe, ſalu-

Tractatus Bolonienſis.

1598.

tem populi: verùm respectus Principis & ordo, quo alijs præferri debet est in perpetuum immutabilis. *a* Ex legibus aliæ sunt mortales, aliæ immortales: Illæ durationem suam ex tempore sumunt: has necessitas ipsa semper durabiles reddit, propter perpetuum commodum, quod in earum obseruatione reperitur, vt dicit Lucius Valerius in oratione contra Legem Oppiam. In conditione legum immortalium est ius præsessionis: nam qui patitur diminutionem, est indignus incremento.

a. Quemadmodum ex iis legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ vtilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut vsus coarguit, aut status aliquis Reip. inutilem fecit, sic quas tempora aliqua desiderarunt leges mortales (vt ita dicam) & temporibus ipsis mutabiles esse video. D. LVCII. VAL. ex Liuio

Durante † ea disputatione, Rex substitit Monceauxi, diætæ seruandæ gratia. Medici adeo eum inhibuerant strictè ab esu melonum, vt gustum suarum deliciarum satis carè emerit. Nam triduo post institutam diætam quum fortè nudior in paradromide promœniana deambularet, inuasus à febri tam acri fuit, vt plerique de salute eius desperare iam cœperint, & cursores parati essent, qui tam mala noua renuntiarent. XVIII.

Vide Orat. Gueslei.

Recepta valitudine concessit in S. Germani oppidum Layense, vbi reliquum anni tempus conficeret, & statueret de Republica eiusque impensis Rogauit ea de re consilium Principum, & Officiariorum Regni & Consiliariorum, vt eo modo cognoscerent statum rerumpublicarum, ne si qui non possent obtinere id, quod volebant, aliam causam, quam necessitatem publicam, prætendere haberent. Mensæ Aulicæ oneratæ superfluitatibus incognitis, plus æstimatis pretio & raritate quam gustu & necessitate, tūc restrictæ sunt, & *b* exemplo Regis, quod semper efficacius esse solet quam lex aut correctio, luxus conuersus est in frugalitatem tam necessariam Reipublicæ, vt Romani non minus se debere fassi fuerint ficubus & carotis Fabriciorum & Curiorum, quam eorundem gladijs.

b *Exasperat homines imperata correctio: blandissime iubetur exemplo.* LAT. PACAT. in Paneg. Theod.

Hoc tempore noua fisci Regij ordinatio facta per vigilantiam & curam Marchionis Rosnij, cui Rex superintendentiam commiserat. Primo statim die ostendit vnum modo compendium esse benè strictum ad promendam pecuniam ex cistis Regijs, & pro tantis manibus, quæ ad cubitum vsque sese immersabant, vnam tantum necessariam esse. Multis animo videbatur esse insolenti: at ille quo placeret Ioui, nihil morabatur minutulos Deos, vt ait Apuleius. Reddidit se difficilem, & res multas recusauit, quarum cōcessionem voluit Regi reseruari, *a* & fauores receptos & recognitos non alij quam Maiestatis eius manui deberi. Nisi vererer, ne veritas haberetur pro adulatione, & ne viderer velle fortunæ magis quam personæ placere, dicerem, à longo tempore hoc officium

a *Vn Principe debbe con il donar di sua fantasia, far che chi rice*

non

1598.

ue il riconos ca da lui, & non dari suoi fauori ti. P. ARETINO.

non fuisse exercitum maiori potestate, auctoritate, sufficientia, integritate, constantia & affectione. Multi rem gesserunt in præiudicium Regis & populi, iste, vt Craterus olim apud Alexandrum, nihil aliud spectauit quam seruitium & commodum Regis. Inde adeo meritus est à Rege tot euidentia specimina protectionis, fidei, beniuolentiæ & liberalitatis. Et quamuis initio ad id officii sine splendore ingenti accesserit, successu tamen temporis ad summa quæque & arcanissima Regni negotia à Rege adhiberi cœpit. Opera eius impensa fuit in rebus confidentissimis tempore Henrici III. ad cuius mandata percipienda, & Domino suo referenda, Parisijs incognitus morabatur, nec in eius colloquium veniebat nisi nocte, & in locis à suspicione alienis.

Ἀμήχανον ἐν εὐπραγίαις φθόνον διαφεύγειν: *Impossibile rebus secundis inuidiam fugere.* IOSEPH. lib. de bell. Iud.

Vix ad solstitium fauoris Regij pertigit, ecce tibi inuidia in prosperitate ineuitabilis, quæ tamen hoc tantum effecit vt firmaret & assecuraret magis conditionem eius. Qui seruit Domino suo ex corde, qui nihil committit contra conscientiam, qui conformat intentiones suas ad modum legum, iustitiæ & æquitatis, nec clauum rectum derelinquit, vtcumque ventis nauem impellentibus, non est quod timeat. Oportet vt fortuna cedat suæ virtuti.

Sabæi ditissimi siluarum fertilitate odorifera. PLIN. li. 6. c. 18.

Vide metam anni, in pace primi, in quo iam nunc sentiri potest, quid possit dulcis requies in hominum animis. Non est bona nutrix temperantiæ neque moderationis. Habet se instar ligni Sabæi, cuius vsus nullus est ad ignem, nisi fumigatorium. Est vaporarium voluptatum, in quo virtus non diu tenere queat flammam flagrantem. Videmus enim hoc tempore luxum extremum. Qui antea vt homines vestiebantur, nunc vt fœminæ ornari cœperunt. Nihil tamen à generositate animi diminuunt: nam ingenium bellandi ita naturale est Gallis, vt ad primum statim clamorem armorum ostensuri sint, se in quiete substitisse, ad fortificandum & firmandum modo neruos, nec se similes esse naui Aretæ, quæ ob structuram & granditatem in fluuio pulchra & admirabilis, sed in alto mari inutilis apparebat.

Finis libri primi Historiarum Regis.

SVM-

1599.

SVMMARIVM PRIMÆ NARRATIONIS.

I. Felix Pax, quæsita sine subiectorum sanguine.
II. Matrimonium sororis Regis cum Duce Barrensi.
III. Desiderium Regis pro stabilienda concordia & tranquillitate in Regno.
IV. Duæ Religiones possunt tolerari, vt tamen ea, quæ noua est, non approbetur.
V. Iustitia, necessitas & vtilitas Edicti Regii, publicati apud Nannetes.
VI. Discursus factus à Rege ad Assessores Parlamenti.
VII. Verificatio Edicti.
VIII. Non licet populo in arcana Reipubl. inquirere.
IX. Vita & mors Archiepiscopi Lugdunensis.

PRIMA NARRATIO.



NAVIS Gallica † nuper agitata exterius ventis, interius nautarum dissensionibus, nunc in portu felicis tranquillitatis quiescit. Vectores tandem terram nacti respiciunt cum stupore tempestates & procellas, ex quibus euaserunt; percipientes tantumdem gaudij in pace, quantum patientiæ in eius exspectatione, & laboris in acquisitione habuerant. In campo versantur omnibus delicijs & fortunis Pacis affluente; qua nihil optabilius aut commodius Reipublicæ donare Reges possunt; & quæ, quamuis sæpenumero lacessita, tamen eò felicior obtigit, quòd nullo reparata sanguine fuerit. I.

Tota Aula conuiuijs & ludis perstrepebat. Rex † elocauit elabente iam noui anni primo mense sororem suam Principi Lotharingio, vt affinitates antea inter summas istas duas familias contractæ renouarentur. Principissa tamen aliter consentire in matrimonium noluit, nisi salua religionis libertate, & cautione de eius exercitio sibi permittendo facta. Tota in id omnibus cogitationibus nitebatur, quo libertas religionis Galliæ conferretur, orans atq; obtestans Regem, vt eam stabilire vellet, se etiamnum in Gallia existente, neque permittere vt Edicta publicata sine exsecutione, & exsecuta sine durabili obseruatione relinquerentur. Non degenerauit à *b* matre, quæ voluit, vt præferretur securitas conscientiarum certitudinibus honorum, amplitudinum, & ipsius vitæ: quæ etiam ad suæ partis homines dicere solebat, arma non esse ponen- II.

Matrimonium inter Ducem Barrensem & sororem Regis factum 31. Ian. 1599. cuius pacta transacta fuere Monceauci 5. August. 1598.

b Ioanna Albreta, Regina Nauarræ, cuius duo habentur numismata Rochellæ cusa, cum inscriptione: *Paix*

Senec. epist. 56.

da, nisi hisce tribus conditionibus, si aut Pax certa, aut victoria integra, aut mors honesta. — *1599. asseuree. Victoire entiere. Mors honesta.*

III. Etiam † Regis animus totus in eo erat, vt omnem memoriam; amaritudinum superiorum regnorum suffocaret in dulcedine sui Regni, & vt communis sensus malorum tot annos perpessorũ subditos alliciat ad conuersationem mutuam amicabilem, & obliuionem omnium rerum præteritarum, ad exemplum suæ ipsius Maiestatis, quę proprias offensas tam constanter condonarit & sepelierit. Et profecto ingens labor fuit vicinis pacem dare, maior eos in pace conseruare, maximus verò impedire, quo minus armis innutriti & otij impatientes suffocarent hanc concordiam adhuc in cunis vagientem. Bellum *a* non est mortuum in Republica, in qua animi sunt diuisi. Dormit tantum, & vel modicus strepitus faciliter excitauerit. Nulla res est quæ lubricius labatur aut penitret citius in hominum animos, ad conspirationes faciendas, quam Religio. Quisque suam pro veriore tenet, & ita iudicat ex Zelo magis & affectu, quam cognitione aut ratione. Rex, qui durante bello in summas angustias coniectus, & in difficillimis periculis versatus fuit, distulit interim prouidere tantæ discordiæ gestans extremum mœrorem in pectore, quod per impietatem belli impeditus non potuerit proferre fructus suæ pietatis. Neq; *b* vllum certius indicium est infortunij Principis, quam cum Religionem spernere cœpit. Nam in omni vita nullius rei maiorem curam gerere debet, quam seruitij diuini, sine hypocrisi tamen, quę durabilis non est, & sine superstitione, quæ Principem contemptum & ridiculum facit. Enim *c* religio debet esse sine fictione, & deuotio sine vanitate. Sed in cassum laboratur quęrendo alia remedia, quam pacis. Nã quum animus Principis est liber, facile media indagat, quibus cum quiete Reipublicæ concordiam Religionis stabiliat.

Left margin: Pax difficulter retinetur. — Princeps debet esse studiosus religionis.

Right margin: *a* Turbæ, quæ ex Religione oriri possunt, sẽper aliis omnibus lubriciores & penetrabiliores esse solent. Edictum regis *1598.* — b *Omnia prospera eueniunt sequentibus Deos, aduersa spernentib.* T. LIVI. 1. Decad. lib. 5. — c *Il Principe sia solidamente religioso, cõtra la fittione è sauiamente pio, contra la superstitione.*

IV. — Querimoniæ protestantium.

Reformatę † religioni per Edicta Regia accordatę addicti sæpè & in multis conuentibus grauissimas querelas proposuerunt, quod Edicta Regia nec obseruarentur nec exsecutioni mandarentur, & quod non satis sibi prospectum esset de ijs, quæ necessaria sunt ad exercitium Religionis, ad libertatem conscientiarum, ad securitatem deniq; personarum & fortunarum suarum; dicentes, non petere se vt lex Reipublicę in eorum commodum mutaretur, aut Principis extranei curam, neque vt Respublica in partes distraheretur ad paucorum quorundam ambitionem satiandam, sed tantum quo possent tuto possidere conscientias in pace, & vitas in securitate.

Left margin: Primæ querelæ factæ anno 1595 transacto bello in Comitatu Burgundiæ.

Right margin: Intentio & finis querimoniarũ.

1599.

Tam iusta postulata sibi accordata per EdictaRegum prædecessorũ eius, atq; adeo ab ipsa eius Maiestate petita agitata magno Zelo ac conatu, nõ potuisse exaudiri in ipsius Regno, in quo debebant maiora ac meliora sperare, & sub quo absq; affectione, quam habebãt in ipsius magnitudine, & absq; fundamẽto esset quod ponebant in ipsius beniuolentia, potuissent iuste & cũ fructu practicari modos, quos coacti tenuerant sub Regibus prædecessoribus. At nõ posse se desperare de eo, quẽ Deus in protectionẽ suæ Ecclesiæ ad successionẽ Regni promouerit, & nõ posse minus consequi, quã libertatẽ & vitã ab eo, pro quo liberaliter sanguinẽ effuderint.

Conciones Protestantium profligatas esse ex *a* Aula, vt consequenter etiam ipsi Protestantes ex comitatu eius expellerentur, in quo non possent seruire sine diuino seruitio: & in quo nemo bonus subsistere, sine quotidiano vitæ periculo, aut vulneris absque vlla spe consolationis, aut certitudine saltem sepulturæ.

Quotidie id agitari, vt omnes Protestantes à præcipuis officijs publicis Regiminis, Iustitiæ, Fisci & Politiæ excludantur: super quibus tamen pro modestia ac patientia sua, cuius testem appellent ipsam Regiam Maiestatem, numquam importuni postulandis fuerint: supplicare vero eandem, vt iudicet, num æquum sit, hanc iniuriam liberis fieri, vt per parentum stupiditatem officijs priuentur, quo præterhac in hoc Regno *a* non meliori sorte censeantur quam Iudæi, & inter infames ponantur spreto honorabili loco, quem maiorum merita illis post reliquerunt, & seruitia ipsa Maiestati eius præstita ipsis debebant acquisiuisse.

Tolerabilius *b* sibi fuisse viuere sub conditionibus pactis & indultis à Rege defuncto, quamuis Religionis suæ hoste, per quas licebat exercitium religionis in castris, & in Aula tenere & qui consensit Ministerium sumptibus suis habendum, concessit ciuitates pro recursu eorum in singulis Seneschallatibus aut præfecturis, & in fine anni restituit omnia præcedentia Edicta in integrum.

Bonos Maiestatis eius ministros nescire quid respondeant ad publicas omnium querellas, non ignaros, molestius esse priuari semel permissis, & promissis, quam rebus speratis; quibus priuationibus animi agitati ex spe boni prolabantur in attentationem mali, ex longa & inutili patientia in indagationem remediorum. Scire se Maiestatem eius non esse extra concitationes, neque gratum habituram iuxta se Protectorem, & æmulaturam si ad alterius auxilium, quam Maiestatis eius confugiant.

Hæc supplicatio finiebatur per sermones audaciores & elatiores

a Princeps non potest per scandalum & sine impietate manifesta permittere, vt iuxta se alia, quam vna & vera Religio exerceatur: alioqui videretur hoc ipso facto velle testari nullam se habere Religionem dum duas diuersas in conspectu suo permittit. PET. BELOYVS in Edict. Cõpactata anni 1589.

a Exclusio ab officijs publicis est infamis. Nullus æstimatur ciuis, qui non participat honoribus ciuilibus. ARIST. in Polit.

b Compactata inita post exsecutionem Blœsensem pro Reformatis Ecclesiis, & publicata Turone & Saumurii.

c DIONYS. HALIC. lib. 5.

tiores, quam conuenientiores statibus subiectis, & ijs hominibus, qui volunt apparere moderati & discreti, & qui nihil velle videri volunt quam id quod Principi placet, & qui velint subijcere omnes voluntates suas arbitrio & iudicio Principis. Nemo potest nimis humiliter, aut nimis reuerenter cum Regibus loqui. Vtendum est verbis sericis, vt dicebat Parisatis. Rex, si vis cauere inuidiam Protectoris, tolle necessitatem eligendi, & esto ipsemet Protector; continua erga eos primam istã curam, primam affectionem; præueni ipsorum supplicationes tuapte sponte, ipsorum iustas postulationes voluntaria indulgentia rerum necessariarum. Quum illi viderint, te curam eorum gerere, ipsi nullã de se habebũt. Sed ignosce quod dixero: omnes dubitant, an satis tibi curæ sint. Scis, quid illis noceat, aut quid prosit. Supplicationes, quas pro eis præsentasti Regi prædecessori, pro eorum libertate & securitate, refer nunc ad teipsum. Ex earum iure ab eo tempore nihil est remissum, sed cumulatæ potius fuere vestris seruitijs; & debebant sane augmenta sumsisse & creuisse in tua auctoritate, qui potest & componere, & appunctare ipsorum iustas querelas, sine alijs Deputatis, & maiori cum gratia, vt fias simul & Iudex, si voles, & Aduocatus.

Margin: 1599. Electio Protectoris.

Margin: Parisatis mater Artaxerxis Regis, dicit, ei, qui velit cum Rege loqui, vtendum esse verbis sericis, id est, dulcissimis & mellitissimis.

Margin: Supplicatio præsentata Henrico.

Tales † erant discursus, quibus quotidie Regis aures verberabant. Natura hominum, & in primis huius generis, Gallorum Reformatæ Religioni addictorum, est ingenio esse prompto, & difficulter quieto. Nunc Grauamina proponunt, pòst supplicationes offerunt, dein Synodum congregant. Ista publica agitatio ipsis proficua est. Conueniunt, nec prius conuentum dissoluunt, quam cõstituerint, vbi proxime conuenturi sint. Finis omnium congregationum fuit, impetrare à Rege Edictum ita clarum, ita expressum, ita particulare in omnibus rebus necessarijs, ne porro cogerentur perscribere alias pactorum cõuentiones; nec cessarunt, donec Rex subsignauit Nannetibus, postquam Prouinciam in potestatẽ redegisset. Et quamuis difficultates essent ingentes, & conditiones in quibusdam casibus potiores, quam in prioribus Pacis tractatibus, communis quies tamen totius Galliæ quassata & pœne profligata à tragicis impetuositatibus schismatum & diuisionũ fecit iudicari necessarium quidquid erat iustum, & iustum quidquid erat *a* vtile; quãuis optandũ esset, vt vna tantũ Religio exerceretur quando in vnitate consistit veritas, quæ est vna tantum & Deus ipse tantum vnus est, imo triunus, & hæc b *vnitas est*, vt Mercurius Trismegistus dicit, *omnium principium ac radix*. Verum quum torrens iste sisti nequeat, & schisma sit formatum in Republ. & malum inueteratum,

Margin: *Mobilis & inquieta mens homini data est. Nunquam se tenet, spargitur.* SEN. ad Heluiam.

Margin: V. Natura Protestantiũ.

Margin: Vltimum edictum de pace Religionis anno 1598. mẽse April

Margin: Edictum Nannetense.

Margin: Res inueteratæ sunt immutabiles.

Margin: a οὐδὲν ἄλογον, ὃ ξυμφέρον: *Nihil iniustũ, quod fructuosum.* b ἡ Μονὰς πάντων ἀρχὴ καὶ ῥίζα. MERC. in Monade.

1599. c *haut facile neque sine magno metu mutari potest, quod longo tempore radices egit*: & quum restauratio Ecclesiæ sit non minus Dei opus quam ædificatio, id faciédum est quod fieri potest, & triumphus atque victoria animarum sapientiæ diuinæ relinquenda, quæ sola reficit & refundit corda pro libitu, & vexillum extollit animabus vagabundis & errantibus ad reditum salutis; nec possibile est hominibus vt imponant necessitatem rebus, quarum Deus relinquit libertatem, cuius generis sunt conscientiæ, quæ debent esse æque liberę in Republica quam cogitationes.

c. ARIST. lib. 5. Polit.

Ecclesia semper detestata est hæreses, sed nunquam distrinxit rigorē sententiæ suę, præterquam in ipsos Heresiarchas, & tum demum quū obstinatos se in errore præbuissent, & inuictos se rationi ostendissent vt vincerentur à propria opinione. Et pœnæ, quas cōstituebat, pudorem magis quam crudelitatē, medicinam quā mortem inferebant, vt vultus pudore magis quā sanguineruberēt. Imperator Theodosius a *graues pœnas legib. constituebat, sed eas nō exsequebatur. Non. n. punire sed metū iniicere subditis studebat, vt concordes sibi fierent in rebus diuinis* per clementiā non violentiam, per timorē & amorem non per pœnam & crudelitatem, *quoniam & sponte conuersos laudabat.*

LIPS. in Dialogist.

Et quatuor Concilia nullis alijs armis quam verbo Dei contra ipsos Hęreticos vsa sunt. Nicænū trecentorū Episcoporum cōtra Arriū: Constantinopolitanū centū quinquaginta Episcoporū cōtra Macedoniū: Ephesinū ducentorū Episcoporū contra Nestoriū: Chalcedonēse sexcentorū triginta Episcoporū contra Eutychetem. Iudicabant. n. hæresim esse æstimationē animæ, quæ nō potest subijci tormentis, quibus corpus interficitur; & supplicijs produci potius sectas, quam exstingui; & pœnis, quæ constitutæ sunt ad auertēdum fauores & sequelas sectarum, reddi animos hominum tam constantes & paratos, vt in vna hora supplicij plures attrahant, quàm in decem annis vitæ potuissent. Constantia eorum, qui in Concilio Cōstantiensi combusti sunt, & vltima eorum verba, obstupefecerunt circumstantes, & hodieq; b recolliguntur passim tāquam Sibyllarum folia. Christiani initio nascentis Ecclesiæ horrēdis modis exagitabantur & persequebantur. Quasi suo sibi ac proprio nomine c Impostores vocabātur: accusabantur super iniurijs aëris, super sterilitate agrorum, super exundatione fluminū, super terręmotib. Imperator Hadrianus noluit esse inquiri propter religionē, & Antoninus eius successor edixit, vt, qui eos accusaret, viuus combureretur. Postquam vniuersum Imperium sensit vanam & infructuosam fuisse Diocletiani & Maximini publicam

Quatuor Concilia Oecumenica.

IoañesHussi° & Hieronymus Pragensis.

a SOZOMEN. Eccles. hist. li. 7. c. 12.

b Bohemi desiderio Ioannis Hussi numismata cuderant inscriptione postremorum eius verborum: *Post centum annos responsebitis Deo & mihi.* Quo termino finito apparuit Martinus Luherus.

c *Afflicti supplicijs Christiani, genus hominum superstitionis nouæ ac maleficæ.* SVETON. in Nero. c. 26

per-

persecutionem, & pro vno Christiano combusto centum è cineribus nascerentur, eorum successores verum esse experti sunt a *Neminem Regem perinde animis imperare posse ac linguis*, Religionem non posse cogi, veritatem non posse iungi cum violentia, nec iustitiam cum crudelitate, nec quidquam adeo à voluntate pendere quàm Religionem.

1599.

a CVRTIVS lib. 7.

Principes Ethnici sustinuere Christianos. *Decij* b *Imperatoris vita, quæ & ciuilis & militaris fuit, multos habuisset laudatores, si ab Christianorum cruciatibus se temperasset*. Principes Christiani pertulerunt Ethnicos, nec reperitur vllum exemplum puniti ab eis paganismi. Imperatores Honorius & Theodosius, c quamuis Zelo promouendæ religionis arderent, noluerunt tamen vt Gentiles ad Christianismum cogerentur, interdicentes Iudicibus & Præsidibus Prouinciarum, ne turbarentur, quamdiu viuerent sine turbis & seditionibus in locis, vbi subiecti erant legibus Politicis Imperii. Iudæi, quamquam irreconciliabiles inimici Ethnicorum & multitudinis Deorum, securi inter Græcos, Parthos, Medos, Elamitas, Mesopotamios manebant. Nec ex Romano Imperio eiectos vnquam legimus, in quo semper suas Synagogas, & præcipuè sub Impp. Nerua, & Antonino Pio, habuere. In Gallia quoque pacificè vixerant, donec tandem non propter religionem, sed vsuras & detestandas crudelitates exterminarentur.

b POMP. LÆTVS.

c *Ne Iudæis ac Paganis quiete degentibus, nihilq; tentantibus turbulentum, legibusq; contrarium, audeant manus inferre religionis auctoritate abusi.* L. Christianis, C. de pagan. & Sarac.

Iudæi propter vsuras eiecti.

Atq; adeo numquam Principes sanius sapientes subiectos suos morte ad fidem conuertere studuerunt, numquam destruxerunt prouincias bello, vt conscientias instruerent gladio, quippe non nescii, Religionē esse actum vnionis, concordiæ & instructionis, bellum vero seditionis & destructionis: & eos, qui nostro sæculo Cœlum terræ commiserunt, vt cogerent conscientias subiectorum ad vnam eandemq; religionē, tandem coacti fuerunt ipsi quiescere, & eos relinquere in vitæ instituto, reiectis consiliis pessimorum Medicorum, qui antimonium & phlebotomon omni morbo adhibere suadent.

Conscientiæ nō possunt cogi.

VI.

Quibus † rationib. motus Rex, in cuius persona Deus tanta fecit miracula, mare largitatis & benedictionis suæ affudit, animaduertēs continuationē belli nullum alium fructū produxisse, quam ruinam iustitiæ & pietatis, quibus duabus virtutibus a Principes Dii fiunt: sunt enim columnæ, in quarum constantia Clodoueus Magnus didicit duraturum hoc Regnum: confirmauit modo Edictum pacificationis in turbis super Religione factum: prouidit cuncta, quæ potuit, ne in calumnias incurreret eorum, qui audent corrigere res

a SENEC. in Ludo.

1599.

b Potius est omittere adulta & praualida vitia, quã illud asseq, vt palam fiat quibus flagitiis impares simus. TACIT. 3. Annal.

incorrigibiles, ostendens malũ esse validius remedio, *b* & esse res ita inueteratas & irradicatas, vt frustrà laborẽt, qui eas euellere conãtur.

Tempus, veritas & ratio euincunt, hoc Edictum esse iustissimum, maximè necessarium & vtilissimum. Iustitia est euidens: quia nulla foret proportio æquitatis, si Gallus esset in peiori conditione quàm peregrinus in pace degens. Rex non se ostendisset communem omniũ subiectorum patrẽ, si finito bello externo ciuile resuscitasset cõtra eos ipsos, qui eum iuuerũt & secuti sunt cõstanter in restauratione Reipublicæ, easdẽ fortunas periclitati sunt, passim & vbiq; præsto fuerunt, *a* nec desiderati vnquam, præterquàm in memorabili illa & gloriosa Ambiani recuperatione, & fuga hostium, ad quam tamen conficiendam parentes eorum vel per centum leucas veredis accurrissent.

a Tum Regi dictum, vt gratias Deo ageret, quod Ambianũ sine Hugenotorũ ope receperit.

Necessitas inde paret, quia aliter facere non potuit. Tot prœlia, in quibus Deus armipotens nunc contra illos, nunc contra hos ꝓnuntiauit; tot ciuitates deprædatæ & depopulatæ; tot familiæ destructæ; tot vindictæ priuatæ impulsæ & sumptæ sub caussa publica; tot terribiles exsecutiones iustitiæ Diuinæ, tamdem aperire oculos coëgerunt & respicere æternam & immutabilem istam veritatem, qua constat vnionem Gallorũ in eadem Religione non posse impetrari per arma; impiũ esse, *b* si Princeps patriæ indignetur, & imitandos esse Medicos, qui adhibitis remediis acribus nihil proficientes ad dulcia recurrunt: pacem generalem necessariam fuisse supra omnes necessitates ad liberandũ Regnum ab irreparabili ruina, & exemplo duûm illorum magnorum Regum, Ioæ & Ioziæ, pro quiete Reipublicæ missam faciendam esse concordiam Religionis, quæ non potest effici per ruinam Reipublicæ, & se dissipat per dissipationem subiectorum. Proditiones, crudelitates, impietates & contumeliæ in Deum sunt reliquię & tragemata bellorum ciuilium; econtra omnes virtutes in deliciis pacis repositæ sunt.

b C Augusti dictum, Principem non minus scelestè patr æ irasci, quam liberos parentibus.

Vtilitas Edicti clarè conspicitur *c* in restabilitione Religionis Catholicæ in omnibus locis, vnde tantum temporis exsulabat; & in comparatione malorum bellicorũ cum pacis cõmodis. Qui necdũ videt cõmoditates, quas pax nobis attulit, quamuis modo pungere incipiat, nec cognoscit tam ingentẽ inæqualitatem huius nostri & ꝑteriti temporis, næ ille nec sensum nec iudiciũ habet. Nos fuissemus inuoluti perpetuis cõfusionibus, absq; hac pace fuisset. Nec pax vlla durabilis fieri poterat sine hoc Edicto. Ad quod conficiendũ multi congressus instituti. Calignonus Cancellarius Nauarræ & Præses in Parlamento Delphinatus, & Vikius Consiliarius Regni, longas col-

c Edicto conciones Protestantium tantum certis in locis permittũtur; exercitium vero Religionis Catholicæ in omnib. In diœcesib⁹ Tholosana & Burdegalẽsi, amplius centũ vrbes clausæ, & plus mille parochię & monasteria sine exercitio erant Catholicæ religionis.

lationes

lationes Castelleraudi & Saumurii tenuerunt. Omnium maxima difficultas, quę inter eos agitabatur, erat receptio vtriusq; partis hominum ad honores & officia publica. Parlamentũ Parisiense multis rationib. persuadere conabatur Regi, ne pmitteret eos, qui regnantib. antecessoribus omnẽ spem perueniendi ad officia Regni, iustitię, Fisci, & dignitatũ Galliæ, nancisci pares honores cum primariis omnium Ordinũ. Illi contra exceperunt, se esse ciues vnius eiusdemq; Regni, nec magis posse excludi ab honoribus, quàm oneribus ciuitatis; alimentum esse distribuendum æqualiter toti corpori; *a* quietem in æqualitate, motũ in inæqualitate semper constitutũ esse; nihil esse insupportabilius, quàm si inæqualiter tractentur, qui conditione & obœdientia sunt æquales; quum Rex omnes pro suis filiis teneat, & ipsi nihil magis expetant, quàm vt pro fratribus Catholicorum habeantur, non esse rationabile vt in eius fauoribus distinguantur; non posse se notari maiore infamia, nec relinquere ingratiorem memoriam suæ posteritati, quàm si excludantur ab officiis publicis; hac priuatione notari se apud Principem, vt Christiani apud Turcos, & Iudæi apud Christianos: æquum esse vt partes regiminis Reipublicæ sustineant, qui eiusdem bonam partem conficiunt. 1599.

a Στάσιν ἐν ὁμαλότητι, κίνησιν εἰς ἀνωμαλότητι ἀεὶ τιθῶμεν. PLATO in Timæo.

Parlamentum *a* noluit approbare hanc fraternitatem, replicans, vt sine ambitione honorum, acquiescere debeant in concessa tranquillitate conscientiarum; non esse vtile Reipublicæ, vt magna officia exerceantur ab hominibus diuersæ religionis, nec par esse vt nouitii tractentur quemadmodum antiqui, itaque ostensa ingenti differentia inter hoc Edictum & præcedentia, recusauit illud ratificare. Ideo Rex conuocari iussit primarios, ad eosque in hæc verba loqui cœpit:

a Qui vult destruere vnam partem, oportet vt eam priuet honoribus & officiis publicis, nam ex tali priuatione animos deponunt, & paullatim factio incipit vilescere.

VII. Videtis † me in meo conclaui, vbi ad vos locuturus venio, non in habitu Regali, nec cum gladio & cappa vt mei antecessores, nec vt Princeps Legatos auditurus, sed in habitu patrisfamiliæ simplici, qui familiariter cum liberis suis agit. Propter quod vos appellaui, est vt rogarem vt ratificari velitis Edictum, quod in Protestantiũ gratiam composui. Quicquid pro bono pacis feci, id extra Regnũ factum est, nunc volo vt etiã in ipso Regno fiat. Debetis mihi obedire, si nulla alia ratio subesset quam mea qualitas, & obligatio qua mihi cuncti subditi sunt obstricti, & speciatim vos Parlamenti Assessores. Ego restitui quosdã suis domiciliis, vnde procul erant expulsi; alios fidei, quã perdiderãt. Si obœdientia debebatur meis antecessoribus, debetur & mihi vel multo maior deuotio, qui Rempub. restabiliui.

† Verba collecta ex sermone Regis habito ad Parlamentarios pro ratificatione Edicti Nannetensis.

Deus

1599.

Deus me elegit vt me immitteret in ſedem huius Regni, quod duplici iure meum eſt, & ſucceſſionis & acquiſitionis. Parlamenti Aſſeſſores nullum nunc in eo locum obtinerent, abſque me fuiſſet. Nolo me venditare: cogor tamen dicere, nullum me exemplum habere quod imiter quàm meum ipſius. Noui ego ſtudia Parlamenti, quibus concitauit Prædicatores ſeditioſos: ſed rectè in ordinem illos redegero, nec morabor quid vos facturi ſitis. Olim maiori cum ſeueritate plectebantur, quum tamen minus ſeditioſa verba feciſſent. Ea erat via, quam inſtituerunt ad ſtruendos clathros, quibus gradatim conſcenderent ad parricidium defuncti Regis. Ego vero abſcindam radices omnium iſtarum factionum, & dabo operam vt contrahantur & imminuantur omnes earum fautores. Ego tranſiliui muros ciuitatis, quis impediet quo minus & clathros tranſiliã? Non eſt quod mihi allegetis Religionem Catholicam, aut reſpectũ ſanctæ Sedis: ſcio quid vtriq; debeam, alterum vt Rex Chriſtianiſſimus, alterum vt primus Eccleſiæ filius. Qui putant ſe optimè Pontifici Romano velle, vehementer falluntur, ego melius ipſi volo quã illi. Quum occœpero, faciam vt omnes pro Hæreticis declaremini, propterea quod mihi nolueritis obedire.

Concionatores ſeditioſi.

Rex hęc dicens manu monſtrauit altitudinem clathrorum.

Maieſtas Regia ſemper offenditur contemptu legum ab ſe latarum: ſed offenſa longè maior eſt, ſi procedit ab illis, quorum propriè eſt eas obſeruare. Qui impedimento ſunt ne Edictum ratificetur, bellum volunt. Cras illud declarabo Proteſtantibus, ſed non faciam, ipſos in vos miſero. Compoſui Edictum, volo vt obſeruetur, mea voluntas debet eſſe pro ratione, quam numquam à Principe ſolet Status ſubiectus exigere. Voluntates debent exſequi, non interpretari; & tamen vobis dico, me neceſſitate & vtilitate publica adactum compoſuiſſe. Ego ſententias exquiſiui omnium meorum conſiliariorum, qui comprobarunt & confirmarunt vt bonum & neceſſarium mearum rerum ſtatui, pro firmanda concordia & diſſipandis malis ex diſcordia prouenientibus. Queruntur, voluiſſe me conſcribere Heluetios, aut alios homines militares. Si facerem, benè interpretari deberetis, & credere futurum pro bono aliquo effectũ ratione eorum quæ in omni vita mea geſſi. Teſtimonio eſſe poteſt id, quod in recuperationem Ambiani feci, in quam impendi argentum Edictis collectum, quæ vos numquam ratificauiſſetis, niſi ipſemet in Parlamentum veniſſem. Neceſſitas me coëgit vulgare hoc edictum: eadem neceſſitate coactus olim militem egi. Dicunt, me nihil quidquam ſimile vmquam feciſſe. Ego nunc Rex ſum, & loquor vt Rex, volo mihi obediatur. Nemo veſtrûm eſt qui me non

Contemptus legũ maior eſt in illis, qui Rempubl. tractant, quàm in illis quì nullã partem in Republ. habent præter obedientiam.

bonum

1599.

bonum experiatur, quum mea gratia ſibi opus eſt, nec vel vnus inter vos eſt, qui non minimùm ſemel in anno eâ indigeat; & nihilo minus in me tam bonum vos eſtis tam mali. Si ſuperiora Parlamenta reſiſtendo meæ voluntati cauſſam præbuerunt Proteſtantibus nouas querellas & poſtulationes inſtituendi, nolo vt & vos in cauſa ſitis plurium nouitatum ex veſtra refutatione oriendarum. Anno MDXCIV. & ſequenti, quum vobis Declarationem Edicti miſiſſem de prouiſione Officiorum, promiſi quidem vobis, me neminem ex Proteſtantibus ad officia Curiæ Parlamenti promoturum: ſed nunc tempora mutauerunt, *a* oportet ſe accommodare tempori præſenti: & tamen neminem ad officia proueham, niſi cuius perſpectam & exploratam fidem habeam, & qui ſit iuſtè ac ex debito gubernaturus. Nolite mihi tantum de fide Catholica loqui. Vel tempeſtuoſiſſimos iſtos clamantes Catholicos & Eccleſiaſticos, ſi vni beneficium duorum mille aureorum, alteri quatuor millia librarum in annuo reditu aſſignem, faciam profecto vt omnes illico conticeſcant. Similiter de aliis omnibus iudico, qui contradicere Edicto viderentur.

a *Temporibus parere omnes politici præcipiunt.* CICER. ad Attic. 12.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ:
Oderunt peccare boni virtutis amore.

Quos duos Horatii verſus aiebat ſe intra triginta annos non relegiſſe. vnde conſtat Principum profectus, quem in iuuentute faciunt diſcendo honeſtas diſciplinas, in quem finem etiam *a* poëtæ illis præleguntur. Deinde pergit. Facite propter Deum, vt qui ex vobis oderunt peccatum, oderint virtutis amore, aut ego caſtigabo illos, qui formidine pœnæ oderint, vt mihi deinceps gratias agant, ceu filii ſolent patri. Concionatores verba ex cathedra faciunt magis ad inſtruendas quàm deſtruendas ſeditiones. Nemo contradicit, & delicta, quæ me concernunt, non emendantur. Impediam tamẽ ne illorũ tonitrua adducant tempeſtatem, faciamq; vt prædictiones eorum euaneſcant in ventũ. Nolo intempeſtiuis eorũ remediis vti, quibus delicta accenduntur potius quam tolluntur. Cogitate Edictum, de quo vobiſcũ ago, *b* eſſe edictum Regis defuncti, pariter etiam meum: nam & mecum factũ eſt, & nunc illud confirmaui. Non poſſum probare, vt aliud in animo cogitetur, aliud in charta perſcribatur. Et ſi quidam ex anteceſſoribus meis fecerunt, ego tamen hac in re eos imitari nolo. Fraus cum in omnibus fœda eſt, *c* tum vero in Principibus fœdior eſt quàm aperta violentia. Poſtremum hoc vobis dico, imitamini exemplum obedientiæ Ducis de Mayenne. Agitabantur conſpirationes aduerſus meam voluntatem. Ille ſe

a *Arbitror nos dũ pueri ſumus ob eam causã poëtarum ſententias ediſcere, vt ætate iam corroborata iis vtamur.* ÆSCHIN. in Cteſiphontem.
b Edictum pacificationis anno 1577. in Maioritate Henrici III. Regis.
c THVCYD. li. 4.

Dux de Mayenne.

opposuit, dicens se mihi esse nimis obstrictum, vt & cunctos subiectos, inter quos se cum illis facturum, qui sanguinem suum profundere parati sint, quo mihi complaceant, propterea quod Galliam in integrum restituerim etiam inuitis illis qui profligare & pessumdare machinabantur. Quod si is, qui Ligæ caput exstitit, in eam sententiam respondit, quanto magis vos mihi tenemini, quos ego eo restitui, vnde à Liga pulsi eratis? Date meis precibus, quod nolletis dare minis. Quas tamen à me non est cur vereamini: parete meis mandatis, aut potius precibus: faciam vti dicatis vos non solum in meam, sed & vestram, atque adeo totius Reipub. & communis salutis gratiam præstitisse.

Hæc verba rectè pensata à Parlamentariis fuerunt, & difficultates ratificando Edicto obiectæ tolerabiles iudicatæ ob Regiæ voluntatis respectum, & necessitatem status rerum præsentium. Nihil tamen præcipitanter egerunt. nam Edictum amplius quadraginta dies relictum iacuit, antequam potuerit vnanimi omnium voce ac sententia ratificari, vt manè initio Quadragesimæ publicaretur.
VIII. Ducissa † Barrensis noluit ex Vrbe discedere, priusquam esset ratificatum. Quæ in toto hoc negotio ardentem Zelum & affectum ostendit, vt in rebus omnibus ad eiusmodi negotium spectantibus, nec sine caussa Rex, quum post ingressum eius in Vrbem Parisiensem Deputati Ecclesiarum diœcesis Pictauiensis supplicaturi accederent pro nescio qua re ad edicti exsecutionem pertinente, respondit; Ite ad Sororem meam: vester status ad colum migrauit. Edictum autem est huiusmodi.

I. Principio vt memoria omnium rerum, tam ex vna quam altera parte, inde ab initio mensis Martii, Anni MDLXXXV. vsque ad nostram inaugurationem & Coronationem, & durantibus cæteris turbis præcedentibus, præteritarum sit & maneat exstincta atque sepulta, ac si numquam fuerit. Nec liceat aut permittatur nostris Procuratoribus generalibus aut aliis personis quibuscumque, publicis aut priuatis, quocumque tempore aut quacumque occasione, facere mentionem, processum aut persecutionem coram vllo Parlamento, Curia aut Iurisdictione vbicumque.

Amnistia generalis.

II. Interdicimus omnibus subiectis, in quocumque statu aut conditione positi sint, ne renouent præteritorum memoriam; neue attentent, iniurientur aut prouocent quemquam eadem exprobrando; nec sub quouis colore & prætextu de iis disputent, contestentur, querulentur; neu inuicem insultent, inuehantur aut of-

Memoria iniuriarũ præteritarum renouat turbas, & resuscitat affectiones animorũ.

Per exsecutionem huius Articuli Missa plurimis in locis fuit restaurata, vbi per turbas erat abolita.

Iste articulus fundatus est super regula Iuris: Superficies solo cedit.

fendant vel verbis vel factis: sed volumus vt omnes simul agant & viuant pacificè, quomodo fratres, amicos & conciues par & æquum est, sub pœna fractæ pacis publicæ transgressoribus infligenda.

Per exsecutionem huius Articuli Missa plurimis in locis fuit restaurata, vbi per turbas erat abolita.

III. Statuimus, vt Religio Catholica Apostolica Romana restauretur in omnibus locis nostri Regni & regionum nobis subiectarum, in quibus exercitium eius fuit intermissum, vt ibi liberè & pacificè exerceatur, sine vlla turbatione aut impedimento. Prohibemus expresse omnibus personis cuiuscumque status & conditionis, sub pœna superius constituta, ne turbent, molestent, aut inquietent Ecclesiasticos in celebratione diuini officii, in fruitione & perceptione decimarum, fructuum & redituum beneficialium, & omnium aliorum iurium ad eos spectantium. sed volumus, vt omnes, qui durantibus turbis occupauerunt ecclesias, domos, bona & reditus pertinentes ad dictos Ecclesiasticos, & qui eadem detinent ac possident, ipsis restituant integram possessionem & pacificam fruitionem in iuribus, libertatibus & securitatibus, quibus fruebantur antequam iis priuarentur. Prohibemus quoque omnibus Reformatæ Religionis, ne conciones habeant aut vlla suæ Religionis exercitia in Ecclesiis, domibus & habitationibus dictorum Ecclesiasticorum.

Iste articulus fundatus est super regula Iuris: Superficies solo cedit.

IV. In arbitrio ponimus dictorum Ecclesiasticorum, aut velint ipsi emere domos & ædificia constructa in locis profanis ad Ecclesias suas pertinentibus & per turbas occupatis, an vero cogere possessores dictorum ædificiorum vt fundos emant, iuxta æstimationem tamen, quam facient homines periti, in quos vtræque partes consenserint: quod si consentire non possent, quos Iudices locorum ordinauerint, saluo interim possessoribus recursu contra quos necesse erit. Et si Ecclesiastici volent cogere possessores vt emant fundos, pretium æstimatum non tradetur in illorum manus, sed manebit apud possessores sub censu vigesimæ, vsque dum collocetur aut expendatur in vtilitatem Ecclesiæ, id quod fieri debet intra spatium vnius anni. Quo elapso tempore si acquisitor noluerit porro continuare censum, liberum ei esto pecuniam consignare in manus eorum, quibus solui debet, cum auctoritate Iudicis. *a* Quod ad loca sacra attinet, ordinabitur à Commissariis nostris, quos pro exsecutione huius Edicti nostri delegabimus, vt nostro nomine prouideant.

a Loca & sola ædificiorum sacrorum nō fiunt profana, quāuis id quod exstructū erat, ruerit vel demolitum sit.

V. Non *b* poterunt tamen sola occupata pro reparatione & forti-

b Ecclesiastici non

fortificatione vrbium & locorum nostri Regni, & materialia in eum vsum translata, vindicari nec repeti per Ecclesiasticos, aut alias personas siue publicas siue priuatas, nisi quum forte dictæ reparationes & fortificationes ex mandato nostro fuerint demolitæ.

possunt vindicare loca occupata pro fortificationib. vrbium, quia Princeps potest trāsferre in vtilitatem Reip. res priuatas.

VI. Et ne *e* relinquamus vllam occasionem turbarum & dissidiorum inter nostros subiectos, permisimus & permittimus illos, qui Reformatæ Religioni addicti sunt, viuere & degere in omnibus vrbibus & locis huius nostri Regni & regionum nobis subiectarum, vt non inquirantur, vexentur, molestentur, nec constringantur facere quid in religione contra conscientiam, neue propter religionem disquirantur in domibus & locis, vbi habitare elegerint, & conuersentur ac viuant iuxta præscriptum huius nostri Edicti.

e Eadē permissio exercendæ Reformatę Religionis facta fuit in Edictis Henrici III. Regis anno 1577 art. 4. 5. 6. 7. 8. & 9 & multo amplius ordinata in Edicto Caroli IX. 1561. mēse Ianuar.

VII. Permisimus etiam omnibus Principibus, Baronibus, Nobilibus & cæteris, tam regnicolis quàm aliis, Religionem Reformatam profitentibus, & in Regno nostro regionibusque nobis subiectis prædia cum mero imperio & feuda regalia (vt in Normandia) quæ vulgo Haubertica appellantur, possidentibus siue in proprietate, siue in vsufructu, toto aut mediato, aut pro tertia parte, vt habeant in sedibus sub dicto imperio & feudo haubertico sitis, quas tamen prius debent indicare Præfectis & Seneschallis sub quorum gubernatione consistunt, in principali earum domicilio exercitium memoratæ Religionis, quamdiu illic resident, aut in eorum absentia vxores, siue etiam familia, aut aliqua familiæ pars. Et quamuis ius meri imperii aut feudi haubertici controuersum sit, nihilominus tamen exercitium Religionis ibi licitum permittimus, modo exsistant in reali possessione dicti meri imperii & feudi haubertici ipso actu, tametsi Procurator noster generalis in partem possessionis immissus fuerit. Permittimus etiam dictum exercitium in cæteris domibus sub mero illorum imperio & feudo haubertico constitutis, in illis nempe, in quibus ipsi præsentes exstiterint, & non aliter, tam ipsis quàm eorum familiæ & cæteris qui eo venire ac interesse voluerint, tum hoc tum superiori casu.

Idē ordinatum fuit in edicto anni 1570. nisi quod hoc loco ꝑ numero decem hominū adiectio facta est vsq; ad triginta.

VIII. In sedibus feudalibus, vbi Reformatam Religionem profitentes non habent merum imperium aut feudum haubertieum, non licebit habere exercitium Religionis nisi pro se tantum & familia sua. Interim tamen permittimus, si alii quidam accesserint, vt præter familiam admittantur vsque ad triginta, siue

occasio-

occasione baptismatis fiat, siue visitentur ab amicis, aut alio quocumque casu superueniente, vt propterea non requirantur: modo dictæ sedes ac domus non sint in vrbibus, castris, aut villis nobis immediate non subiectis, sed sub aliorum Dominorum Catholicorum superioritate constitutis, & in quibus dicti Domini Catholici habent sua domicilia. Quo casu non poterunt Reformatam Religionem profitentes in dictis vrbibus, castris aut villis exercitium suæ professionis facere sine permissione ac venia dictorum superiorum. 1599.

IX. Permittimus etiam dictam Religionem profitentibus, vt faciant & continuent exercitium suæ Religionis in omnibus vrbibus & locis nobis subiectis, in quibus instituerunt & publice fecerunt pluribus & diuersis vicibus, anno M DXCVI. & sequenti, vsque ad finem mensis Augusti, non obstantibus omnibus arrestis & sententijs in contrarium factis.

Ita in Edicto anni 1570 art. 8.9.10.& anni 1577. art.7.8.9.

X. Poterit similiter dictum exercitium instaurari ac restitui in omnibus vrbibus & locis, vbi institutum fuit aut debuit institui per edictum Pacificationis factum anno M DLXXVII. per Articulos particulares & Collationes Neracensem & Flexensem: nec possit dicta restitutio impediri in locis ad Domaniũ (quod vocant) Regium spectantibus, concessis per dictum Edictum, Articulos & Collationes pro Præfecturis, aut concedendis in posterum, quamuis eadem loca postea à Catholicis acquisita fuerint, & in futurum forte acquirantur. Interim tamen non volumus, vt dictum exercitium restituatur in locis Domanij, ante hoc tempus possessis à Reformatam Religionem profitentibus, in quibus permissum fuerat vel personarum possidentium respectu, vel caussa priuilegiorum feudalium, si feuda impræsentiarum possidentur ab hominibus religioni Catholicæ Apostolicæ Romanæ addictis.

Deminuitur hoc Articulo præcedentibus Edictis anni 1561. & 1576. ampliatur autem Edictis anni 1570 & 1577.

XI. Item in omnibus antiquis Præfecturis, Seneschallatibus & Gubernamentis, loca Præfecturarum tenentibus, & in Curias Parlamentorum resortitione conuenientibus plane & sine medio: statuimus, vt in suburbio vnius ciuitatis, præter eas, quæ iam sunt per dictum Edictum, Articulos & Collationes concessæ, aut vbi ciuitates nullæ sunt, in castro aut villa, exercitium Reformatæ Religionis publice permittatur fieri ab illis, qui facere & interesse voluerint, tametsi iam in dictis Præfecturis, Seneschallatibus & Gubernamentis plurima loca sint pro exercitio illo data & ordinata: exceptis tamen, quod ad Præfecturas attinet nunc nouiter accordatas per hoc præsens Edictum, ciuitatibus Archiepiscopalibus aut

Epiſcopalibus, ita tamen vt ſit permiſſum Reformatam, Religionem profitentibus petere & nominare pro loco exercitii caſtra & villas dictis ciuitatibus vicinas, *a* exceptis etiam locis & diſtrictibus ad Eccleſiaſticos pertinentibus, in quibus noſtra mens non eſt vt dictus locus in Præfecturis conceſſu poſſit occupari. Eas enim Eccleſiaſticas ditiones ſpeciali gratia excepimus & reſeruauimus. Sub nomine autem antiquarum Præfecturarum volumus intelligi eas, quæ tempore Henrici Regis, noſtri honorandiſſimi Domini & Soceri, habitæ fuerunt pro Præfecturis & Seneſchallatibus & Gubernamentis in Curias Parlamentorum reſortitione immediatè conuenientibus.

a Iuſtitia huius exceptionis in eo verſatur, quia æquum eſſe non videbatur, vt Clerus in Gallia locum & promotionẽ daret prædicationibus doctrinæ, qua ordo Clericalis deſtruitur & confunditur.

XII. Nolumus hoc Edicto derogare Edictis & tranſactionibus antehac factis pro reductione quorundam Principum & Baronum, Nobilium & Ciuitatum Catholicarum in noſtram obedientiam, in hoc quod concernit exercitium dictæ Religionis: quæ Edicta & tranſactiones tenebuntur & obſeruabuntur hac quidem in parte, iuxta inſtructionem Commiſſariorum, quos pro exſecutione huius Edicti ordinabimus.

XIII. Vetamus etiam expreſsè, ne quiſquam Reformatorum ſuæ Religionis exercitium vllum faciat, tam in Miniſterio, Ordinatione, diſciplina & inſtructione publica infantium, quàm aliis rebus, in hoc noſtro Regno & terris nobis ſubiectis, quoad Religionem, præterquàm in locis permiſſis & conceſſis per hoc præſens Edictum.

Edictũ anni 1577. art. 9. in Articulis ſecretis art. 3. de inſtitutione Scholarum.

XIV. Similiter vetamus fieri vllum exercitium dictæ Religionis in noſtra Aula & Comitatu; item in noſtris terris & regionibus tranſmontanis, & vrbe noſtra Regia Pariſienſi, aut quinto ab Vrbe lapide: tamen ne Reformatæ Religioni addicti, qui in dictis terris & regionibus tranſmontanis, in vrbe Pariſienſi, & quincto lapide in circuitu commorantur, requirantur in ſuis domiciliis, nec cogantur facere vllam rem, quæ Religionem ſpectat, contra conſcientiam, ſi cæteroquin ſe gerant iuxta formam huius noſtri Edicti.

XV. Nolumus etiam, vt exercitium publicum dictæ Religionis fiat in exercitu & caſtris, præterquam in regionibus Ducum exercitus eam Religionem profitentium, non tamen in ea regione, vbi noſtra Regia perſona domicilium ſumpſerit.

XVI. Sequentes articulum ſecundum Collationis Neracenſis, permittimus dictam Religionem profitentibus, facultatem ædificandi templa pro exercitio Religionis in ciuitatibus & locis per

hoc Edictum concessis, mandantes vt restituantur quæ anteà ab eis exstructa fuerunt, aut sola eorum in eo statu quo nunc sunt, etiam in locis vbi dictum exercitium non est permissum, nisi in aliam formam & conditionem ædificia mutata & conuersa sint. Quo casu eis dabuntur à possessoribus dictorum ædificiorum loca alia eiusdem pretij & valoris, quo erant antequam ędificia à possessoribus mutarentur, aut pro lo is iustum æstimationis pretium iuxta taxationem hominum peritorum: saluo tamen dictis proprietarijs & possessoribus recursu contra eos quos necesse erit. 1599.

Seditiones populares sæpè excitatæ sunt ab Oratoribus inter Gentiles, & Prædicatoribus inter Christianos.

XVII. Interdicimus omnibus Prædicatoribus, Lectoribus, & alijs publicis concionatoribus, ne vtantur vllis verbis, discursibus & propositis ad seditionem in populo excitandam tendentibus, sed illis iniunximus & nunc iniungimus, vt se gerant & contineant modestè, nec quidquam dicant, quod non faciat ad instructionem & ædificationem auditorum, & ad manu tenendam quietem & tranquillitatem à nobis stabilitam in nostro Regno, sub pœnis in prioribus Edictis compræhensis. Mandamus itaque expressissimè nostris Procuratoribus Generalibus eorumque Substitutis, vt ex officio inquirant in præuaricatores, sub pœna respondendi pro eis suo proprio & priuato nomine, & priuationis officiorum.

Iste articulus plane nouus est, nec in vllo precedenti Edicto insertus.

XVIII. Interdicimus etiam omnibus nostris subiectis, cuiuscumque status & conditionis, ne tollant vi aut indictione, contra parentum voluntatem, infantes Reformatæ Religionis, vt baptizentur aut confirmentur in Ecclesia Catholica Apostolica Romana. Idem quoque Reformatam Religionem profitentibus interdictum volumus, ne contrarium faciant, sub pœna corporalis punitionis in exemplum statuenda.

Edictum anni 1577. art. 12.

Voluntas sine libertate non obligat.

XIX. Iidem Religionem reformatam profitentes non adstringentur vllo modo, nec obligati tenebuntur propter abiurationes, promissa & iuramenta antehac ab eis facta, aut cautiones ab eis datas, concernentes factum Religionis; nec poterunt propterea molestari aut inquietari conditione quacumque.

Edict. 1570 articul. 34. 1576. art. 15. & 1577 art. 13.

XX. Iidem tenebuntur obseruare & feriari festa indicta in Ecclesia Catholica Apostolica Romana, nec licebit festis diebus operari, vendere aut explicare merces in officinis apertis; nec opifices audebunt laborare extra officinas suas, in cubiculis, & domibus clausis, dictis festis & alijs prohibitis diebus, vllum opus, cuius strepitus possit exaudiri foris à prętereuntibus aut vicinis: in quos tamen inquisitionem nullus habeat præter Officiales Iustitiæ.

XXI. Non

1599.

XXI. Non poterunt libri ſcripti de Religione Reformata imprimi aut vendi publice, niſi in ciuitatibus & locis, vbi exercitium publicum dictæ Religionis eſt permiſſum. Et quod ad alios libros imprimendos in alijs ciuitatibus, volumus vt videantur, cenſeantur & viſitentur tam à noſtris Officialibus quam Theologis, ſicut in Ordonationibus noſtris continetur. Prohibemus expreſſe impreſſionem, publicationem & venditionem omnium librorum, libellorum, & ſcriptorum diffamatoriorū, ſub pœnis contentis in noſtris Ordonationibus, mandantes omnibus noſtris iudicibus & Officialibus vt manuteneant.

1570 art. 15. 1576. artic. 11. 1577. art. 15. Articulus 16. anni 1570 & 77. reddit rationem huius articuli.

XXII. Statuimus, ne vlla fiat differentia aut diſtinctio, quoad Religionem, in receptione Scholaſticorum, vt inſtruantur in Vniuerſitatibus, Collegijs & Scholis: & ægrotorum ac pauperum in Hoſpitalibus, Noſodochijs & Eleemoſynis publicis.

XXIII. Religionem Reformatam profitentes tenebuntur obſeruare leges Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ, receptas in hoc noſtro Regno, de matrimonijs contractis & contrahendis, in gradibus conſanguinitatis & affinitatis.

XXIIII. Similiter dictam Religionem profitentes ſoluent munera introitiua ſecundum conſuetudinem Regni, pro officijs & dignitatibus, ad quæ promouebuntur; nec poterunt cogi vt præſtent ceremonias ipſorum Religioni contrarias: & vocati ad iuramentum, non tenebuntur preſtare aliud, quam vt ſublata manu iurent ac promittant Deo, ſe veritatem dicturos: neque etiam cogentur accipere diſpenſationem iuriſiurandi ab illis facti in componendis contractibus & obligationibus.

Parlamenti ſententia cōdem natus fuit, qui ſub prætextu libertatis conſciētiæ recuſauit decimas Parocho; 1579. art. 31. 1577. art. 32. Olim pater poterat filium exheredare propter hæreſim.

XXV. Volumus & ſtatuimus, vt cuncti Reformatam religionem profitentes, eorumque ſequaces, quacumque dignitate aut conditione præditi, teneantur & conſtringantur omnibus modis debitis & rationabilibus, & ſub ipſis pœnis cōtentis in Edictis ſuper hac re publicatis, ſoluere & præſtare decimas Parochis & alijs Eccleſiaſticis, & omnibus alijs quibus de iure debentur, iuxta vſum & conſuetudinem locorum.

XXVI. Exheredationes aut priuationes per diſpoſitionem ſiue inter viuos ſeu teſtamentariam factæ tantum odio aut cauſſa Religionis, abolitæ ſint tam in præteritum quam futurum inter noſtros ſubiectos.

XXVII. Quo melius reuniantur voluntates noſtrorum ſubiectorum, vt ſumma intentione expetimus, & tollamus omnes querellas in poſterum, Declaramus omnes qui profitentur aut

pro-

1599.

professuri sunt dictam Religionem Reformatam, capaces tenendi & exercendi status, dignitates, officia & munia publica quæque Regalia, Principalia, aut Ciuitatum nostri Regni, regionum, terrarum & Dominiorum nobis subiectorum, non obstantibus omnibus iuramentis huic vnioni contrarijs; & vt ad ea indifferenter admittantur & recipiantur. Et sufficiet Curijs Parlamentorum cæterisque Iudicibus, vt inquirant in vitam, mores, *a* religionem, & honestam conuersationem eorum, qui promouentur aut promouebuntur ad officia, ex vtraque Religione, non exigendo aliud iuramentum, quam vt bene & fideliter seruiant Regi in exercitio suorum munerum, & custodiant leges ordinationesque, quemadmodum ab omni tempore obseruatum fuit. Quod si contigerit vacare dictos status, munia & officia, siquidem erunt in nostra dispositione, prouidebimus ea nos quoque indifferenter & sine discrimine, personis capacibus, quoniam ea in re consistit vnio nostrorum subiectorum. Volumus etiam vt dictam Religionem Reformatam profitentes possint admitti & recipi in omnia Consilia, Deliberationes, Congregationes, Conuentus & functiones à supradictis rebus dependentes, nec possint propter dictam Religionem reijci aut in earum vsu impediri.

a ne aliã, quam quæ edictis per missæ sunt Romana & Reformata, secta sequatur, vt est Anabaptistarum, Adiaphoristarum, Atheïstarum, Marranorum.

XXVIII. Statuimus de sepultura mortuorum dictam Religionem amplexorum, vt in omnibus ciuitatibus & locis nostri Regni illis prouideatur prompte ac parate per nostros Officiales & Magistratus & Commissarios, quos pro exsecutione præsentis Edicti deputauerimus, de certo quodam sepulchreti loco quantum maxime potest commodissimo. Et Cœmiteria, quæ ante hoc tempus habuerant, & quibus per turbas istas publicas spoliati fuerant, illis restituantur, nisi impræsentiarum occupata reperiantur ædificijs ac structuris cuiusquemodicumque, quo casu alia loca illis prouidebuntur gratuito.

Quia in Decretis vetitum est communicare sepulturam in loco sacro alienis à fide recepta & nouatoribus.

XXIX. Mandamus expresse nostris Officialibus, vt sedulo caueant, ne in dictis sepulturis vllum scandalum committatur: & teneantur intra quindecim dies post requisitionem à Reformatis factam, illis prouidere loca commoda pro dictis sepulturis sine omni vlteriore dilatione & remissione, sub pœna quingentorum coronatorum, quos suo proprio & priuato nomine exsoluent. Vetamus quoque tam ipsis Officialibus quam alijs omnibus, ne quidquam exigant pro exsequijs dictorum corporum mortuorum, sub pœna Repetundarum.

1599. Edict. anni 1576 art. 16. 1577. art. 51.

XXX. Vt iustitia reddatur & administretur nostris subiectis sine vlla suspicione, odio aut fauore, in quo præcipue consistit modus conseruandi pacem & concordiam; Ordonauimus & ordonamus, vt in nostra Curia Parlamenti Parisiensis, constituatur Camera, in qua ius dicant cum Præsidente sex Consiliarij ex dicto Parlamento, quæ appelletur Camera Edicti, & cognoscet non modo de causis & processibus Religionem reformatam profitentium, qui in dictæ Curiæ districtu commorantur, verùm etiam eorum qui consistunt in finibus summæ ditionis Parlamentorum Normandiæ & Britanniæ, secundum iurisdictionem, quæ illi attribuetur per præsens Edictum: & hæc manebit, vsque dum in singulis dictis Parlamentis Camera talis constituatur quæ iustitiam reddat in ipso loco. Ordonamus etiam, vt ex quatuor Officialibus Consiliariorum dicti nostri Parlamenti restantibus ab vltima erectione per nos facta, nunc prouideantur & recipiantur in dictum Parlamentum quatuor Religionem Reformatam profitentes, sufficientes & capaces, qui distribuentur; nempe vt primus recipiatur in dictam Cameram Edicti, reliqui tres iuxta qualitatem singulorum in treis Cameras Inquisitionum: & præterea vt ad duos primarios Officiatus Consiliariorum Legatorum dictæ Curiæ, quæ vacatura sunt per mortem, promoueantur etiam duo dictam Religionem Reformatam profitentes, qui recepti distribuentur etiam ad cæteras Cameras Inquisitorias.

Vltima erectio fuit facta anno 1597.

XXXI. Præter Cameram antehac constitutam Castris in Languedocia, pro ijs qui in finibus summæ ditionis Parlamenti nostri Tholosani commorâtur, quam in suo statu, vti nunc est, continuari volumus; Nos propter easdem considerationes ordonauimus & ordonamus, vt in Curijs nostrorum Parlamẽtorum Gratianopolitani & Burdegalensis, similiter Cameræ constituantur, in quibus duo Præsidentes, vnus Catholicus alter Reformatæ Religionis, & duodecim Consiliarij, quorum sex sint Catholici & sex eiusdem Reformatæ Religionis, ius dicant. Qui Catholici Præsidentes & Consiliarij à nobis sumentur & eligentur è corporibus dictarum Curiarum nostrarum: cæterorum autem Reformatæ Religionis noua creatio facienda est vnius Præsidentis & sex Consiliariorum pro Parlamento Burdegalensi, & vnius Præsidentis & trium Consiliariorum pro Gratianopolitano, qui cum tribus Consiliarijs eiusdem Religionis in dicto Parlamento iam assidentibus, constituentur ad dictam Cameram Delphinaten-

sem.

ſem. Et conducentur dicta officia nouæ creationis iiſdem ſalarijs, honoribus, auctoritatibus & præeminentijs, quibus cæteri dictarum Curiarum. Et erit reſidentia dictæ Cameræ Burdegalenſis vel Burdegali vel Neraci: Cameræ autem Delphinatenſis Gratianopoli. 1599.

XXXII. Dicta Camera Delphinatenſis cognoſcet cauſſas Reformatam religionem profitentium, qui habitant in diſtrictu Parlamenti noſtri Prouinciæ: nec opus habebunt aliunde accipere litteras euocatorias aut alias prouiſiones, quam in noſtra Cancellaria Delphinatenſi: ſicut etiam eandem Religionem profitentes in Normandia & Britannia non tenebuntur aliunde accipere litteras euocatorias aut alias prouiſiones, quam in noſtra Cancellaria Pariſienſi.

XXXIII. Subditi noſtri dictæ Reformatæ Religionis in diſtrictu Parlamenti Burgundici habebunt electionem & optionem agendi in Camera ordinata in Parlamento Pariſienſi, aut in Delphinatenſi. Nec & ipſi tenebuntur accipere aliunde litteras euocatorias aut alias prouiſiones, quam in Cancellarijs Pariſienſi aut Delphinatenſi, ſecundum quod melius illis videbitur.

XXXIIII. Omnes dictæ Cameræ ita (vt dictum eſt) ordinatæ, cognoſcent & iudicabunt iure ſummæ & vltimæ cognitionis, ſine vlla appellatione & prouocatione, proceſſus, & lites motas aut mouendas, in quibus Reformatam Religionem profitentes ſunt partes principales, aut vindices auctoresque in agendo vel reſpondendo, in omnibus cauſis tam ciuilibus quam criminalibus, ſiue proceſſus fuerint in ſcriptis ſeu appellationes verbales: & quidem ſi ita videatur partibus, aut vna earum petat, ante conteſtationem litis propter proceſſus in futurum mouendos: *a* exceptis tamen omnibus cauſis, quæ controuertuntur in rebus beneficialibus & poſſeſſorijs decimarum non infeudatarum, Patronatibus Eccleſiaſticis, & cauſis quæ aguntur de iure ac debito Domanij Eccleſiaſtici, quæ omnes tractabuntur & iudicabuntur in Curijs Parlamentorum, nec eas dictę Camerę Edicti poterunt cognoſcere. Quemadmodum etiam volumus, pro iudicandis & decidendis proceſſibus criminalibus, qui interuenire poterunt inter dictos *b* Eccleſiaſticos & Reformatam religionem profitentes, ſi Eccleſiaſticus erit reus, vt eo caſu cognitio & iudicium proceſſus criminalis pertineat ad ſupremas noſtras Curias, ſine vlla appellatione aut prouocatione ad dictas Cameras Edicti. Si Eccleſiaſticus deprehędatur ſine habitu clericali in aliquo delicto cuiuſmodicumq;

a æquum enim eſt vt Eccleſiaſtici habeant Iudices nō ſuſpectos, quemadmodum & cæteri habere volunt Iudices ſuæ Religionis.

b Hoc intellegendū in caſibus priuilegiatis, in quib. Iudices Regii & ſæculares poſſunt cognoſcere & iudicare de perſonis Eccleſiaſticis, vt 1. in crimine læſæ maieſtatis 2. in fracta pace & violentia publica. 3. in prædationibus, rapinis & inſidijs de ſtinato factis. 4. ſi homo Eccle-

1599. cti: Si vero Ecclesiasticus erit actor, & Reformatam Religionem profitens reus, tum cognitio & iudicium processus criminalis produci poterit per appellationem in vltima instantia ad Cameras ordinatas. Cognoscent etiam eædem Cameræ tempore Vacationum, caussas attributas per edicta & ordinationes Cameris ordinatis tempore Vacationum, vnaquæque in suo districtu.

XXXV. Erit dicta Camera Gratianopolitana abhinc in futurum vnita & incorporata corpori dictæ Curiæ Parlamenti: & Præsidentes ac Consiliarii dictæ Reformatæ Religionis vocabuntur Præsidentes & Consiliarii dictæ Curiæ, & tenebuntur in ordine & numero illorum: & in eum finem primo distribuentur per alias Cameras, deinde extracti & sumpti ex illis constituentur ad officia & ministeria eius Cameræ, quam de nouo ordinamus: ita tamen, vt assistere debeant & habere vocem ac sessionem in omnibus deliberationibus, quæ fient Cameris congregatis; & fruentur iisdem salariis, auctoritatibus & præeminentiis, quibus cæteri Præsidentes & Consiliarii dictæ Curiæ.

XXXVI. Volumus & intendimus, vt dictæ Cameræ Castrensis & Burdegalensis sint reunitæ & incorporatæ ipsis Parlamentis eadem qua cæteræ forma, quum opus erit, & caussæ, quibus moti fuimus ad eas instituendas, cessauerint, nec amplius locum habuerint inter subditos: & in eum finem Præsidentes & Consiliarii earum vocabuntur (& pro talibus tenebuntur) Præsidentes & Consiliarii ipsarum Curiarum.

Controuersia orta fuit inter Præsidentes Parlamẽti Tholosani, & Canaium Præsidentẽ Cameræ Castrẽsis, volentẽ præcedere Præsidentes Parlamẽti post se receptos.

XXXVII. Creabuntur & erigentur de nouo in Camera ordonata pro Parlamento Burdegalensi duo Substituti nostrorum Procuratoris & Aduocati generalium, quorum Procuratoris erit Catholicus, & alter Reformatæ Religionis: quibus prouidebitur in dictis Officiis de salariis competentibus.

Curia Parlamenti Tholosani ipsis interdixit vsum togarum russarum. Collatio Nerac. art. 5.

XXXVIII. Non accipient autem supradicti Substituti aliam qualitatem, quàm Substitutorum: & quum Cameræ ordinatæ pro Parlamentis Tholosano & Burdegalensi vnientur & incorporabuntur ipsis Parlamentis, tum & dicti Substituti transferentur ad officia Consiliariorum in Parlamentis.

XXXIX. Expeditiones Cancellariæ Burdegalensis inpræsentiarum faciendæ erunt à duobus Consiliariis eiusdem Cameræ, quorum vnus erit Catholicus, & alter Reformatæ Religionis, in absentia vnius Magistrorum Inquisitionum nostræ Aulæ. Vnus ex Notariis & Secretariis dictæ Curiæ Parlamenti Burdegalensis, residebit in loco vbi dicta Camera instituetur,

aut

1599.

aut etiam vnus ex Secretariis Ordinariis Cancellariæ, vt ſignet expeditiones dictæ Cancellariæ.

XL. Volumus & ſtatuimus, vt in dicta Camera Burdegalenſi conſtituantur duo Commiſſi Graphiariorum in dicto Parlamento, vnus in ciuilibus, alter in criminalibus, qui exercebunt officia ſua per noſtras commiſſiones, & appellabuntur Commiſſi ad acta ciuilia & criminalia: & ideo non poterunt deſtitui aut reuocari à dictis Graphiariis: Salaria tamen ab eis Commiſſi accipient iuxta taxationem & arbitrium Cameræ. Item vt ordinentur duo Apparitores Catholici, qui aſciſcentur ex eadem Curia aut aliunde, ſicuti nobis viſum fuerit, præter quos de nouo erigentur duo alii Reformatæ Religionis, quibus gratuito prouidebitur: & ſimul omnes iſti Apparitores informabuntur ab ipſa Camera tam in exercitio & diuiſione officiorum, quàm in emolumentis quæ debeant accipere. Expedietur etiam commiſſio Expenſoris Salariorum, & Receptatoris mulctarum dictæ Cameræ, vt talis prouideatur, qui nobis placeat, ſi dicta Camera alibi, quàm in dicta vrbe, collocetur: & commiſſio antehac accordata Expenſori Salariorum Cameræ Caſtrenſis conſequetur plenum & integrum effectum, & iungetur cum dicto officio commiſſionis receptandarum mulctarum dictæ Cameræ.

XLI. Prouidebitur de bonis & ſufficientibus aſſignationibus pro Salariis Officiariorum Camerarum hoc Edicto ordinatarum.

XLII. Præſidentes, Conſiliarii & alii Officiarii Catholici dictarum Camerarum continuabuntur quàm diutiſſimè fieri poterit, & nobis videbitur eſſe ex vſu noſtri Regni & bono ſubiectorum noſtrorum: & dimiſſis aliquibus, ante eorum diſceſſum in loca eorum alii ſubſtituentur: *a* nec licebit cuiquam, durante officio ſuo, recedere aut ſe abſentare à dictis Cameris, ſine venia ab eis petita & impetrata.

a Conſtit. Philippi, Caroli VII Caroli VIII. Franciſci I. Henrici III. Præſidentes & Conſiliarii, qui ſine venia ab vrbibus Parlamentariis recedunt, priuantur ſalariis & iuribus ſuis.

XLIII. Dictæ Cameræ inſtituentur intra ſex menſes, quibus pendentibus (ſi inſtitutio earum tamdiu differetur) proceſſus moti aut mouendi, Religionis Reformatæ partem concernentes, qui in ditionibus noſtrorum Parlamentorum, Pariſienſis, Rothomagenſis, Diuionenſis & Redonenſis conſiſtunt, euocabuntur in Camera conſtituta nunc Pariſiis, vigore Edicti Anno MDLXXVII. aut etiam in Magno Conſilio, iuxta cuiusque arbitrium: & qui in Prouincia morantur, in Parlamento Gratianopolitano. Et ſi dictæ Cameræ non inſtituantur intra tres menſes poſt præſentationem, quæ per hoc noſtrum Edictum fiet, quicumq; in Parlamentis auſus fue-

1599. rit recusare, ei interdictam esse volumus cognitionem & iudicationem causarum ad dictam Religionem profitentes spectantium.

XLIV. Processus nondum iudicati, pendentes in dictis Curiis Parlamenti & Magni Consilii, remittentur ad suam quique iurisdictionem, in quocumq; statu in dictis Cameris exsistant, si pars Religioni reformatæ addicta id requirat, intra tres mēses ab institutione Camerarū: & quod ad eos attinet, qui non fuerunt continuati, nec sunt in termino iudicandi, Reformatam Religionem profitentes tenebuntur facere declarationem ad primam intimationem & significationem, quam acceperint de persecutione processuū. Nam dicto tempore elapso non amplius audientur in requisitione dictarum remissionum. Collatio Nerac. art. 6.

XLV. Dictæ Cameræ Gratianopolitana & Burdegalensis, itemq; Castrensis, tenebunt formam & stilum Parlamentorum, in quorum ditionib. instituentur, & iudicabunt pari æqualiue vtriusque Religionis numero, si partes non consenserint in contrarium.

Collat. Flex. art. 20. XLVI. Cuncti Iudices, quib. mandabuntur exsecutiones Arrestorū, Cōmissiones Camerarū, & litteræ obtentæ in earū Cancellariis, simul omnes Apparitores & Accensi, mandata exsequentur in toto Regno nostro, etiā nō petito *placet, visa ne pareatis*, sub pœna suspensionis ab officio, & expensarum, damnorum & eius quod interest partium, iuxta arbitrationem dictarum Camerarum.

Euocationes processuū ex loco in alium regulatæ sunt per ordonationes Francisci I. 1519. 1535 & 1545. Caroli IX. 1566 Henrici III. 1579. art. 49. XLVII. Non concedentur vllæ euocationes in caussis, quarū cognitio attributa est Cameris, præterquàm in casibus per ordonationes expressis, quib. remissio facienda est ad proximam Cameram iuxta nostrum Edictū: & diremtores litiū dictarum Camerarū iudicabunt in ꝓxima Camera, obseruantes ꝓportionem & formā dictarum Camerarū, vnde processus euocati fuerunt: excepta Camera Edicti in nostro Parlamento Parisiensi, vbi bipartitæ Iudicū sententiæ in eadē Camera adæquabuntur à Iudicibus, quos nominabimus per nostras litteras speciatim sup ea re missas, nisi malint partes exspectare renouationem dictæ Cameræ. Et si fortè contingat litem bipartita iudicum vota sortiri in Camerâ mesopartitâ, tum æqualitas sententiarum remittenda erit ad Cameram Parisiensem.

XLVIII. Recusationes *a* propositæ contra Præsidentes & Consiliarios Camerarum mesopartitarum, iudicabuntur à sex, ad quorum numerum partes se restringi patientur; alioquin in caussa procedetur nulla ratione dictarum recusationum habita. *a* Per Ordinat. anni 1566. art. 20. recusationes generales ꝓlatæ cōtra aliquē Parlamentalē sūt ꝓhibitæ, & partes iussæ ad tertium restringi.

XLIX. Examen Præsidentium & Consiliariorū nuper erectorum in Cameris mesopartitis, fiet in nostro secreto Consilio, aut per

dictas

Regulamenta politiæ vrbium sunt reseruata Parlamento in Regulamento anni 159. art. 6

1599.

dictas Cameras, vnamquamq; in sua ditione, si in numero fuerint sufficientes; & nihilominus tamen iuramentum consuetum ab illis præstabitur in Curiis, vbi dictæ Cameræ instituentur, & illis recusantibus in secreto nostro Consilio: exceptis illis, qui sunt in Camera Occitanica, qui iuramentum præstabunt aut Cancellario nostro, aut ipsi suæ Cameræ.

Iuxtà ordinationē oportet in receptione officiatiorum requirere sentētiam duorum iudicum impartialiū.

L. Volumus & ordonamus, vt receptio officiariorum dictæ Religionis iudicet in Cameris mesopartitis per pluralitatem vocum, iuxta consuetudinem aliorum Iudiciorū; nec opus erit vt vota augeantur à duobus iudicibus impartialibus, quemadmodum Ordinationes volunt, quibus hac quidem in parte derogatum volumus.

Regulamenta politiæ vrbium sunt reseruata Parlamento in Regulamento anni 159. art. 6

LI. Fient in Cameris mesopartitis propositiones, deliberationes & resolutiones earum rerum, quæ spectant ad pacem & quietem publicam, & ad statum particularem ac politiam vrbium, in quibus ipsæ Cameræ locabuntur.

LII. Articulus de iurisdictione Camerarum per hoc præsens Edictum ordonatarum obseruabitur iuxta formā & tenorem, etiam in iis quæ cōcernunt exsecutionē & inexsecutionem, aut infractionem nostrorū Edictorum, si altera pars sit Reformatæ Religionis.

LIII. Officiarii subalterni Regii, aut alii, quorum receptio pertinet ad Curias Parlamentorum, si sunt eidem Religioni Reformatæ addicti, poterunt examinari & recipi in ipsis Cameris; videlicet qui sunt in ditionibus Parlamentorū Parisiensis, Normandiæ, & Britanniæ in ipsa Camera Parisiensi: qui vero in districtibus Delphinatensis & Prouinciæ, in Camera Gratianopolitana: qui in Burgundici, in dicta Camera Parisiensi, aut Delphinatensi, pro ipsorum arbitrio: qui in ditione Tholosani, in Camera Castrensi: qui deniq; in Burdegalensis, in Camera Viennensi: ne quisquam ausit se opponere illorum receptioni, & partes suas interponere, præter Procuratores nostros generales & eorum Substitutos, & eos qui sunt in iisdem Officiis: & nihilominus iuramentum consuetum præstabunt Curiis Parlamentorum, quibus tamen non licebit cognoscere de ipsorum receptionibus: & recusantibus Parlamentis dicti Officiarii præstabunt iuramentum ipsis Cameris; quo præstito per apparitorem aut notarium præsentabunt acta suæ receptionis Graphiariis Curiarum Parlamentorum, & ipsis Graphiariis relinquent copiam collationatam: quibus iniunctum est vt in registra referant ipsa acta, sub pœna omnium expensarum, damnorum, & eius quod interest partium. Et recusantibus Graphiariis in acta publica referre, sufficiet Officiariis reportare acta expeditæ per

appa-

1599. apparitores aut notarios denuntiationis, & Graphiario suæ Cameræ dare ad inregistrandum, vt eò recursum habere possit, quum erit opus, sub pœna nullitatis processuum & iudiciorum. Et quoad Officiarios, quorum receptio non solet fieri in nostris Parlamentis, si fortè illi, ad quos spectat, recusarent procedere ad examen & receptionem, tum dicti Officiarii se recipient ad ipsas Cameras, vt ab illis prouideatur, prout opus erit.

LIV. Officiarii Reformatæ Religionis, qui præterhac promoueri poterunt & promouebuntur ad officia in Curiis Parlamentorum, Magni Consilii, Cameræ Ratiocinii, Curiæ Tributorum, Thesaurariorum generalium Regni, & aliorum Officialium Fisci, examinabuntur & recipientur in locis, vbi consuetum est. Quod si ibi forte recusetur aut denegetur, prouidebitur illis in Consilio nostro secreto. Idem in Edict. 1570. art. 21. & Collat. Flex. art. 22.

LV. Receptiones Officiariorum nostrorum factæ in Camera antehac constituta Castris, manebunt validæ, non obstantibus omnibus arrestis & ordinationibus in contrarium factis. Validæ item erunt receptiones Iudicum, Consiliariorum, Duumuirorum vectigalium, & aliorum Officiariorum Reformatæ religionis, factæ in nostro Consilio secreto, aut per Commissarios à nobis ordinatos propter recusationes Curiarum Parlamentorum, Tributorum, & Camerarum Ratiocinii, non minus ac si factæ fuissent in ipsis Curiis & Cameris, & per alios Iudices, ad quos receptio pertinet: Soluenturque illis destinata salaria à Cameris ratiocinii sine difficultate: & si qui fuerunt deleti, nunc restituentur, nec opus erit alia iussione quàm præsentis Edicti, nec ipsi Officiarii cogentur ostendere aliam receptionem, non obstantibus cunctis arrestis datis in contrarium, quæ volumus esse nullius momenti & sine effectu.

LVI. Et vt sit vnde subueniri possit expensis Iustitiæ in dictis Cameris ex mulctis & pœnis pecuniariis, assignabitur à nobis summa iusta & sufficiens, vnde sumptus suppeditentur, salua tamen repetitione pecuniæ ex bonis condemnatorum. Sumtus Iustitiæ principaliter intelleguntur pro exsecutionib. criminalibus & conductu captiuorum.

LVII. Præsidentes & Consiliarii Religionis reformatæ antehac recepti in nostro Parlamento Delphinatensi, & in Camera Edicti ipsi Parlamento incorporata, continuabunt & habebunt sessiones suas atque ordines in eo: nempe Præsidentes, vt habuerunt & habent vsq; adhuc, & Consiliarii secundum arresta & prouisiones, quas obtinuerunt in Consilio nostro secreto.

LVIII. Declaramus omnes sententias, iudicata, arresta, processus, litium ingressus, auctiones & decreta facta & data contra

1599.

Reformatam Religionem profitentes, tam viuos quam mortuos, post excessum Regis Henrici II. honorandi Domini ac soceri nostri, occasione dictæ Religionis, tumultuum & turbarum exinde secutarum, simul etiam exsecutionem earundem sententiarum & decretorum, ab hàc hora in omne æuum cassata, reuocata & annullata, & cassamus, reuocamus & annnullamus. Præcipimus vt deleantur & tollantur ex Registris Graphiariorum Curiarum tam supremarum quàm inferiorum: quemadmodum etiam volumus tolli & deleri omnes notas, vestigia & monumenta dictarum exsecutionum, libellorum & actionum diffamatoriarum contra ipsorum personas, memoriam & posteritatem: & vt loca, quorum ædificia ob memoratam caussam fuere demolita aut rasa, reddantur in statu, quo sunt, suis proprietariis, vt iis vtantur fruantur ac disponant pro libitu. Et generaliter cassauimus, reuocauimus & annullauimus omnes processus & informationes factas super attentatione quacumq; prætési criminis læsæ Maiestatis, aut aliorum criminum: non obstantibus dictis processibus, arrestis & iudicatis, continentibus reunionem, incorporationem & confiscationem, volumus vt dictam Religionem profitentes, & alii eorum partes secuti, eorumque heredes, restituantur in possessionem realem & actualem omnium & singulorum bonorum suorum.

Generalis restitutio eorum, q̃ durantib. bellis facta sunt, in iudicio cõtra legitima impedimenta, & peremptiones ac instantias præscriptionis trium annorum.

LIX. Omnes processus facti, iudicata & arresta facta durantibus turbis contra Reformatam Religionem profitentes, qui in armis fuerunt, aut extra Regnum profugerunt, aut in eo in ciuitates & regiones per eos tentas sub alia quàm Religionis & turbarum caussa; insimul omnes peremptiones, instantiæ, præscriptiones tam legales & conuentionales quàm consuetudinariæ, occupationes feudales durantibus turbis obtentæ, aut per impedimenta legitima ab iisdem prouentæ, & quarum cognitio manebit penes nostros iudices, habebuntur pro non factis, non datis neque latis, & eiusmodi esse declarauimus & nunc declaramus, easque misimus & mittimus in nihilum, ita vt nulla pars amplius mouere possit: sed remittentur in eum statum, in quo statu anteà fuerunt, non obstantibus dictis arrestis & eorum exsecutionibus: & quarum possessio illis restituetur in ea conditione, in qua erant. Idem dictum esse volumus etiam de ceteris, qui partes Reformatæ Religionis secuti sunt, aut qui ex Regno profugerunt propter turbationes publicas. Et quod ad minorennes attinet eorum, quos modo diximus, qui durantibus turbis obierunt, remittimus partes in eundem statum in quo anteà erant, sine refusione expensarum, aut vllius mulctæ præstatione.

1599. Non tamen intendimus, vt sententiæ latæ per Iudices Præsidiales, aut alios inferiores, contra Reformatam Religionem profitentes, & eorum partium sequaces, annullentur, si datæ sunt per iudices in eorum vrbibus præsentes, & ad quos illis liber patebat aditus.

LX. Arresta data à Parlamentis in caussis, quarum cognitio pertinet ad Cameras ordinatas iuxta Edictum Anni MDLXXVII. & Articulos Neracenses ac Flexenses, in quibus Parlamentis partes inuitæ agere coactæ fuerunt, id est, allegarunt & proposuerunt declinatorias, aut si arresta fuerunt eremodicialia & per detrectationem ac exclusionem iudicata, in caussis tam ciuilibus quàm criminalibus, similiter irrita esse volumus, & nullius valoris. Quod autem ad arresta attinet data contra Religioni reformatæ addictos, qui voluntariè processibus se subiecerunt, nec declinatorias proposuerunt, ea rata esse volumus; nihilominus tamen sine præiudicio exsecutionis eorum, poterunt, si videbitur, dicti Reformati sibi prouidere per supplicationem ciuilem in Cameris per hoc Edictum ordinatis, nec locum habebit præscriptio temporis constitutionibus Regiis ordinati. Et vsque dum dictæ Cameræ & earum Cancellariæ constituantur, appellationes verbales aut in scriptis interiectæ à Reformatis apud Iudices, Graphiarios aut Commissarios, exsecutores arrestorum & rerum iudicatarum, eandem efficaciam habebunt, ac si Regiorum diplomatum ope releuatæ fuissent.

Hæc æqualitas iustitiæ in materia probationum & Inquisitionum constituta est Neraci Art, 8.

LXI. In omnibus inquisitionibus, quæ ob caussam quamcunque fient in rebus ciuilibus, si Inquisitor aut Commissarius est Catholicus, partes tenebuntur conuenire in adiunctum: & si non poterunt conuenire, tum Inquisitor aut Commissarius ex officio dabit vnum Reformatæ Religionis socium. Quod idem practicandum vicissim, si Commissarius aut Inquisitor erit dictæ Religioni addictus, vt eligatur Adiunctus Catholicus.

Iudices Regii soli iudicare debent super caussis testamentariis Reformatos concernentibus, nulla relicta Ecclesiasticis cognitione.

LXII. Volumus & ordonamus, vt nostri Iudices potestatem habeant cognoscendi de validitate testamentorum, quorum Reformatis interest, si ab illis petatur: & appellationes à sententiis super ea datis releuentur in Cameris ordinatis pro processibus Reformatorum, non obstantibus omnibus consuetudinibus contrariis, etiam in Britannia.

Idem sup conflictu iurisdictionum in Nerac. art. 5. & Flex. art. 15.

LXIII. Vt obuietur omnibus litibus, quæ oriri possent inter nostra Parlamenta & Cameras ordinatas per hoc Edictum, iusta & ampla à nobis ordinatio constituetur inter ipsa Parlamenta & Cameras, & talis quidem, quali gaudere debent Reformati iuxta for-

mam huius Edicti. quæ ordinatio ratificabitur in nostris Parlamentis, & custodietur ac obseruabitur sine vllo respectu ad præcedentia. 1599.

LXIV. Interdicimus omnibus supremis Curiis, & aliis nostri Regni, cognitionem & iudicationem processuum tam ciuilium quam criminalium, in Reformatos, quorum cognitio per nostrum Edictum attributa est Cameris, modo remissio petatur, vt dictum est supra Articulo XL.

Remissio debet peti initio instantiæ.

LXV. Volumus etiam, per modum prouisionis, & vsque dum aliud à nobis constitutum fuerit, vt in omnibus processibus motis aut mouendis, vbi Reformati erunt actores vel rei, partes principales aut fideiussoriæ in caussis ciuilibus, quas Officiarii nostri in sedibus Præsidialibus facultatem habent iudicandi suprema auctoritate, illis permissum sit requirere, vt duo ex Cameris, vbi processus iudicari debent, abstineant ab eorum iudicatione, qui sine caussæ expressione tenebuntur abstinere, non obstante Ordinatione, qua iudices recusari sine certa & expressa caussa non possunt, reseruato insuper iure recusandi etiam cæteros. In caussis criminalibus, quas etiã dicti Præsidiales, & alii Iudices Regii subaltern. iudicãt suprema auctoritate, poterunt Reformati, qui præuenti fuerint, requirere vt tres dicti Iudices abstineant à processibus diiudicandis, sine expressione caussæ. Et Præpositi Mareschallorũ Regni, Vicepræfecti, Viceseneschalli, Locũtenentes, & alii Officiarii eiusdem qualitatis, iudicabunt sequentes Ordinationes & Regulamenta antehac constituta aduersus vagabundos: quod autem ad eos attinet, qui domicilia habent, & Præpositalibus iudiciis onerantur ac præueniuntur, si sunt Reformatæ Religionis, poterunt requirere, vt dicti tres Iudices, quorum est cognitio, se abstineant à processibus iudicandis, & tenebuntur abstinere, sine vlla expressione caussæ, extraquàm si in iudicio, vbi processus iudicandi sunt, reperiuntur duo in caussa ciuili, & tres in criminali, dictam Religionem profitentes; quo casu non est permissum recusare sine caussæ expressione. Quod commune & reciprocum etiam Catholicis esse volumus sub eadem, qua suprà dictum est, forma, in recusandis Iudicibus, si Reformati maiorem facient numerum. Non intendimus tamen, vt dictæ sedes Præsidiales, Præpositi Mareschallorũ, Vicepræfecti, Viceseneschalli, & alii iudicantes cum suprema auctoritate, habeant vigore huius articuli cognitionem turbationum præteritarum. Et quod ad crimina & excessus, quæ contigerunt ob aliam occasionem quàm turbarum publicarum, ab initio mensis Martii, anni MDLXXXV. vsq; ad finem anni MDXCVII.

Præsidiales iudicare possunt suprema auctoritate male viuentes, vagabundos, homines nulli domino seruientes, & alios, quorum iurisdictio attributa est Præpositis Mareschallorũ.

1599. Si fortè in eorum cognitionem inciderint, volumus vt appellare ab eorum ſententiis liceat ad Cameras per hoc Edictum ordinatas: idem & Catholicis ſimiliter eorumque complicibus liceat, vbi Reformati erunt actores.

LXVI. Volumus etiam & ordonamus, vt in poſterum in omnibus inſtructionibus aliis quàm informationib. proceſſuum criminalium, in Seneſchallatibus Tholoſana, Carcaſſonenſi, Rouergana, Loragæſia, Bezierſia, Montpeſſulana & Nemauſenſi, Magiſtratus aut Commiſſarius deputatus pro dicta inſtructione, ſi eſt Catholicus, tenebitur accipere Adiunctum Reformatæ Religionis, in quem partes conuenerint: aut ſi non poterunt conuenire, Magiſtratus aut Commiſſarius ſupradictus ex officio aliquem conſtituent: viciſſim ſi Magiſtratus aut Cōmiſſarius ex Reformatæ Religionis, ſub eadem forma tenebuntur accipere Adiunctum Catholicū.

LXVII. Quum quæſtio voluetur de proceſſu criminali inſtituendo per Præpoſitos Mareſchallorum aut eorum Locumtenentium, aduerſus Reformatæ Religioni addictum, qui domicilium habet, & accuſatur iudicio Præpoſitali, dicti Præpoſiti aut eorum Locumtenentes, ſi ſunt Catholici, tenebuntur vocare ad inſtructionem proceſſus Adiunctum ex Reformatis: qui Adiunctus etiam aſſidebit in iudicio competentiæ, & iudicio diffinitiuo ipſius proceſſus. Quæ competentia non poterit iudicari alibi quàm in proximè vicina ſede Præſidiali, in congregatione cum principalibus Officiariis ipſius ſedis, qui pro tempore illic exſiſtent, ſub pœna nullitatis, niſi ſi præuenti requirerent, vt competentia iudicaretur in dictis Cameris per hoc Edictum ordinatis: quo caſu, quoad eos qui domicilia habent in prouinciis Vintnenſi, Occitanica, Prouinciali, & Delphinatenſi, Subſtituti noſtrorum Procuratorum generalium in dictis Cameris, ad requiſitionem ipſorum domiciliatorum curabunt proferri in Cameris accuſationes & informationes contra eos factas, vt cognoſcatur ac iudicetur, an cauſſæ ſint Præpoſitales, an vero minus: vt poſteà iuxta qualitatem criminis remittantur ab ipſis Cameris ad Ordinarium, aut iudices Præpoſitales, quemadmodum videbunt eſſe rationabile, obſeruantes tenorem huius noſtri Edicti. Et tenebuntur iudices Præſidiales, Præpoſiti Mareſchallorum, Vicepræfecti, Viceſeneſchalli, & alii iudicantes cum ſuprema auctoritate, reſpectiuè obedire & ſatisfacere mandatis, quæ accipient à Cameris, non aliter quàm conſueti ſunt facere mandatis Parlamentorum, ſub pœna priuationis & depoſitionis ab officiis.

Collat. Nerac art. 8. & Flex. art. 26.

Crimina præpoſitalia ſunt perſonarū, quæ nullū dominum aut domicilium habent.

1599.

Inter Catholicos præconia publicãtur & affiguntur in Ecclesiis. Inter Reformatos autem in foro & ingressu auditoriorum Iustitiæ. Idem in Edict. anni 1570. art. 31. 1576. artic. 43. 1577. art. 44.

LXVIII. Præconia, programmata & subhastationes hæreditatum, pro exsecutione decretorum, fient in locis & horis consuetis, si fieri potest, iuxta ordinationes, aut in foris publicis, si in loco, vbi hæreditates sitæ sunt, forum est: & si nullum ibi est, fient in foro proxime vicino ditioni eius sedis, vbi adiudicatio facienda est: & affigentur programmata posti ipsius fori, & in ingressu auditorij, & hoc peracto erunt bona & valida præconia, & procedetur porrò ad interpositionem decreti, nec audientur nullitates, quæ possent exinde allegari.

LXIX. Omnes tituli, chartæ, instrumenta & documenta, quę capta fuerunt, reddentur & restituentur ab vtraque parte illis, ad quos pertinent, quamuis dictæ chartæ, aut castella & domus in quibus asseruabantur, fuerint capta & occupata, siue ex speciali commissione Regis nuper defuncti Henrici III. honorandissimi Domini & lęuiri nostri, siue ex nostra propria, aut ex mandato Gubernatorum & Locumtenentium generalium in nostris prouincijs, aut ex auctoritate Capitaneorum alterius partis, seu ex quocumque alio prætextu.

Natiuitas extra regnum facta post annum 1559. non pręiudicat ciuitati Galliç.

LXX. Liberi eorum, qui extra Regnum profugerant, post mortem Henrici II. honorandissimi Domini ac soceri nostri, propter religionem & turbas publicas, quamuis nati extra Regnum nostrum, habebuntur pro veris Gallis & regnicolis, & tales esse eos declarauimus & nunc declaramus, nec opus habebunt petere instrumenta naturalitatis aut alias prouisiones à nobis, quam pręsens hoc Edictum, non obstantibus omnibus ordinationibus contrarijs, quibus derogauimus & derogamus, iubentes vt dicti liberi nati in terris peregrinis teneantur intra decem annos post publicationem huius Edicti redire & commorari in Regno.

Absolutio ab rationibus publicis iuxta Edictum anni 1596. artic. 57. 1577. art. 51.

LXXI. Reformatam religionem profitentes, & alij eorum sequaces, qui ante turbationes acquisiuerunt Officia publica, aut alia domania, vectigalia, impositiones forenses, & alia iura ad nos pertinentia, quibus frui non poterat propter dictas turbas, erunt absoluti ac liberi, sicuti etiam eos absoluimus, vt non teneantur de eo quod non acceperunt ex dictis prouentibus, aut quod sine fraude expenderunt alibi, quam in rationes nostri fisci, non obstantibus cunctis obligationibus super hoc per eos præstitis.

Restitutio priuilegiorum & sedium Iusticiariarum. Edict. 1576 art. 4. 1577. art. 42.

LXXII. Omnia loca, vrbes & prouinciæ nostri Regni, regionum, terrarum & dominiorum nobis subiectorum, vtentur & fruentur ijsdem priuilegijs, immunitatibus, libertatibus, foris, mercatibus, iurisdictionibus & sedibus iusticiarijs, quibus ante turbas

1599. commotas mense Martio anni M D LXXXV. & præcedentes vsi fuerunt, non obstantibus cunctis litteris contrarijs, aut translationibus aliquot sedium, modo factę fuerint occasione tantum dictarum turbarum, quæ sedes remittentur & restituentur in vrbes & loca, vbi antea erant collocatæ.

LXXIII. Si qui captiui adhuc detinentur per auctoritatem iustitiæ, aut aliter, etiam in galeris, propter turbas publicas & religionis caussa, soluentur & mittentur in plenam libertatem. Edict. 1570 artic. 24. 1576. art. 38. 1577. art. 39.

Edict. 1570 artic. 23. 1576. art. 47. 1577. art. 45. LXXIIII. Reformati non debent in futurum grauari aut opprimi vllis oneribus ordinarijs aut extraordinarijs magis quam Catholici, & quam proportio bonorum & facultatum ferat: & poterunt partes, quæ se grauatos conqueruntur, sibi prouidere apud Iudices, ad quorum cognitionem pertinet. Et cuncti nostri subiecti tam Catholici quam Reformati, indifferenter eximentur omnibus oneribus impositis ab vna & altera parte, durantibus turbis, in eos qui erant contrariarum partium & non consentientes: simul etiam omnibus debitis creditis & non solutis, & sumptibus factis sine eorum consensu: non tamen poterunt repeti sumptus, qui expensi fuerunt in solutionem dictorum onerum.

Edict. 1576 art. 48. & 1577. art. 49. LXXV. Non intendimus etiam, vt Reformati & alij eorum sequaces, aut Catholici, qui in vrbibus & locis per eos occupatis ac detentis permanserunt, & qui ijs contribuerunt, molestentur aut conueniantur propter solutionem tributorum, pensionum, oblationum, concessionum, auctionum, vtensilium, reparationum, & aliarum impositionum & subsidiorum, obuentorum aut impositorum durantibus turbis, quæ inde ab initio vsque ad nostram Coronationem contigerunt, siue per Edicta & Mandata præcedentium Regum, aut per consilium & voluntatem Gubernatorum, & Ordinum in prouincijs, Curiarum Parlamentalium, & aliarum; à quibus eos exemimus, & nunc eximimus, inhibentes omnibus Thesaurarijs Regni, Generalibus rerum fiscalium, Receptoribus generalibus & particularibus, eorumue subdelegatorum, Intromissorum, & aliorum Intendentium & Commissariorum in dictis rebus nostris fiscalibus, eos requirere, molestare, vel inquietare directe aut indirecte conditione quacumque. Edict. 1577 art. 55.

LXXVI. Manebunt omnes Capitanei Barones, Equites, Nobiles, Officiarij, Corpora Ciuitatum & Communitates, & omnes alij eorum adiutores & auxiliarij, eorum viduæ, heredes & successores, liberati & exemti omnibus nummis, per eos eorumque sta-

tuta ex actis & acceptis tam nummis Regalibus in quantacumque summa, quam ciuitatum, communitatum & particularibus; ex reditibus, prouentibus, argentaria, venditionibus bonorum, mobilibus Ecclesiasticorum & alijs; siluis arboriferis, tam in domanio sitis quam alijs, mulctis, manubijs, redemtionibus, aut alius generis nummis per eos exactis & acceptis occasione turbarum mense Martio anni M D L X X X V. motarum, & aliarum præcedentium, vsque ad initium nostri Regni: nec debebunt vel ipsi vel alij ab eis delegati ad exigendos nummos, aut qui eorum nomine expenderunt iuxta ordinationes, neque nunc neque in futurum quocumq; modo requiri: & manebunt absoluti tam ipsi, quam eorum delegati, ab omni tractatione & administratione dictorum nummorum, si attulerint pro omni exemtione, intra quatuor menses post publicationem huius Edicti, facta in nostra Curia Parlamenti Parisiensis, relationes debitè expeditas Capitaneorum Reformatæ religionis, aut eorum quos ipsi delegauissent ad auditionem, & conclusionem rationum; aut etiam Ciuitatum & Communitatum, quibus mandatum & iniunctum fuit munus durantibus dictis turbis. Manebunt similiter absoluti & exemti ab omnibus factis hostilibus, conscriptione & conductione militum, fabricatione & valuatione monetarum, facta secundum ordinationem dictorum Capitaneorum, fusione & captione tormentorum æneorum & munitionum bellicarum, confectione pulueris nitrati & salis petrini, interceptionibus, fabricationibus, solo æquationibus, & demolitionibus ciuitatum, castrorum, arcium, & vicorum, machinationibus in eadem loca, incendijs & demolitionibus ecclesiarum & domorum, institutione Iustitiæ, iudicijs & eorum exsecutionibus in rebus ciuilibus aut criminalibus, politia & regulatione facta inter eos, concursationibus & coitionibus, itineribus & conspirationibus, negotiationibus, tractatibus & contractibus factis cum quibuscumque Principibus & Communitatibus extraneis & introductione dictorum extraneorum in ciuitates & alia loca nostri Regni; & generaliter ab omnibus quæ facta, gesta & tractata fuerunt durantibus turbis, inde à morte Henrici II. Regis, honorandissimi Domini ac soceri nostri, per Reformatos aut alios eorum sequaces, quamuis deberent particulariter exprimi & specificari.

LXXVII. Manebunt etiã ijdem Reformati absoluti ab omnibus congregationib. & cõuentibus, generalibus & prouincialibus, tã Mantæ, quam postea alibi vsq; ad hoc tẽpus habitis: simul etiam

1599.

Edict. 1577. art. 95. & Artic. secret. 50.

1599. à Conſilijs & Senatibus per eos inſtitutis ac ordinatis in Prouincijs, à deliberationibus, ordinationibus & regulamentis factis in dictis congregationibus & Conſilijs, inſtitutione & augmentatione præſidiorum, collectionibus militum, exactionibus & captionibus noſtrorum redituum, ſiue ad Receptores generales & particulares, Collectores parochiarum, ſiue alios quocumque modo ſpectantium, arreſtatione ſalis, continuatione aut erectione noua tributorum, & vectigalium, locorumue pro ijs recipiendis, vt Rhotomagi, & ad ripas fluminum Carentæ, Garumnæ, Rhodani & Dordognæ, claſſibus & prœlijs marinis, & omnibus alijs caſibus & exceſſibus factis ob ſoluendum dicta tributa, vectigalia, & alias attributas pecunias, fortificationibus vrbium, caſtrorum & locorum, impoſitionibus denariorum & operarum, receptationibus ipſorum denariorum, abdicatione noſtrorum Receptorum & Redemptorum, & aliorum Officiariorum, ordinatione aliorum in loca eorum, & ab omnibus vnionibus, expeditionibus & negotiationibus factis tam intra quam extra Regnum: & generaliter ab omnibus quæ facta ſunt, deliberata, ſcripta & ordonata in dictis Conuentibus & Conſilijs: neque licebit eos, qui conſiliati ſunt, ſignauerunt, exſecuti ſunt, fecerunt ſignari & exſequi dictas ordinationes, regulationes & deliberationes, propterea requirere, non viduas, hæredes & ſucceſſores eorum, neque nunc neque in faturum, quamuis particularitates hoc loco non ſint ſatis declaratæ. Et ſuper omnia imponetur ſilentium perpetuum noſtris Procuratoribus generalibus, eorum Subſtitutis, & omnibus, quorum intereſſe poſſet ratione quacumque, non obſtantibus arreſtis, ſententijs iudicatis, informationibus & proceſſibus factis in contrarium.

LXXVIII. Approbamus præterea, validamus & auctorizamus rationes, auditas, concluſas & examinatas à Deputatis dicti Conuentus: Volumus vt eæ, ſimul etiam relationes & copiæ, redditæ per Rationales, repræſententur in noſtra Camera Ratiocinij Pariſienſi, intra tres menſes poſt publicationem huius Edicti, & mittantur in manus noſtri Procuratoris generalis, vt referantur in archiuum librorum & regiſtrorum noſtræ Cameræ, quo habere poſſint eo recurſum quotiens & quandocumque opus erit, ita tamen vt dictæ rationes non debeant reuideri, nec Rationales teneantur ad aliquam comparitionem, aut correctionem, niſi in caſu obmiſſæ receptionis aut falſarum relationum. Imponimus ſilentium dicto noſtro Procuratori generali, ne procedere poſſit in defectum, aut formam non bene ſeruatam. Interdicimus noſtris Ra-

tiociniarijs tam in Ratiocinio Parisiensi, quam prouincialibus, vbicumque instituta reperiuntur, omnem cognitionem, in modo & conditione quacumque. 1599.

LXXIX. Et quoad rationes necdum redditas, volumus vt & ipsæ audiantur, concludantur & examinentur per Commissarios à nobis deputandos, qui sine vlla difficultate acceptabunt & approbabunt omnes solutiones factas à dictis Rationalibus, vigore ordinationum dicti Conuentus.

Hic articulus referendus est ad præcedentes 76. 77. 78.

LXXX. Manebunt cuncti Collectores, Receptores, Redemptores, & omnes alij, recte & legitime absoluti ab omnibus argenti summis cuiuscumque generis, quas expenderunt in Commissos dicti Cōuentus, vsq; ad vltimū diem huius mēsis. Volumus omnia acceptari & approbari in Cameris Ratiocinij, pure & simpliciter, vigore apocharum & acceptilationum, quæ repræsentari debent. quæ verò post dictum diem expeditæ & oblatæ fuerint, nullius valoris habebuntur; & qui eas accipient aut offerent, condemnabuntur in mulctam falsi expensi. Et si quædam iam redditæ sunt, in quibus interuenerunt aliquæ rasuræ, lituræ aut onerationes, eas propterea sustulimus, & partes ipsas in integrum restituimus, vigore præsentium, volumusque vt non opus habeant vllis litteris particularibus, aut alijs rebus, præterquam extracta copia huius Articuli.

LXXXI. Gubernatores, Capitanei, Consules, & personę commissæ ad recuperationem pecuniarum, quæ numerarentur Præsidiarijs locorum à Reformatis occupatorum, quibus nostri Receptores & Collectores parochiarum mutuò dederunt acceptis instrumentis obligatorijs, siue metu adacti, aut vt parerent mandatis Thesaurariorum generalium, peçunias necessarias ad sustentationem præsidiariorum vsque ad concurrentiam eius, quod illatum est in publicum ærarium, & nos expediri mandauimus initio anni M D X C V I. & augmentationem postea per nos accordatam, sint absoluti ac liberi à solutionibus supradictis, quamuis in dictis instrumentis obligatorijs nulla earum expressa fiat mentio, quæ illis reddi volumus tamquam nullius valoris. Vt autem satisfiat, Thesaurarij generales in vnaquaque generalitate curabunt suppeditari per Receptores particulares, nostrorum vectigalium, eorum apochas dictis Collectoribus, & per Receptores generales, eorum apochas Receptoribus particularibus: & quoad absolutionem ipsorum Receptorum generalium, summæ, quarum rationes tenuerunt, vt dictum est, computabuntur inter man-

1599. data Thesaurarij Gazæ Regiæ exsecuta sub nomine Thesaurariorum generalium extraordinariorum bellicorum, pro solutione dictorum Præsidiariorum. Et si dicta mandata non confecerint tantam summam, quam refert dictum nostrum ærarium anni M DXCVI. & augmentatio, ordonamus, vt ad supplementum expediantur noua mandata, omnium eorum quæ deesse videntur absolutioni nostrorum Rationalium, & restitutioni dictarum promissionum & obligationum, ita vt in futurum nullo vmquam tempore quidquam possit exigi ab eis, à quibus factę fuerunt, & vt cunctæ litteræ confirmatoriæ & ratificatoriæ, necessariæ ad absolutionem Rationalium, expediantur vigore præsentis Articuli.

Omnes ligæ, confœderationes & associationes intra & extra Regnum sunt crimina læsæ Maiestatis.

LXXXII. Reformati etiam abstinebunt & desistent abhinc in posterum ab omnibus practicationibus, negotiationibus, conspirationibus, tam intra quam extra Regnum: & dicti Conuentus ac Consilia instituta in prouincijs se separabunt continuò; & erunt omnes fœderationes & societates, factæ aut faciendæ, sub quocumque prætextu, in præiudicium huius nostri Edicti, cassatæ & irritatæ: vetamus expresse omnibus nostris subiectis, ne in posterum faciant vllas exactiones sine nostro permissu, fortificationes, conscriptiones militum, congregationes & conuentus, alios quam præsenti Edicto permissos, & sine armis: id prohibentes sub pœna ridigissimæ punitionis, vt contemptores & infractores nostrorum mandatorum & statutorum puniri fas est.

Edict. 1577 art. 17.

LXXXIII. Omnes capturæ factæ per mare durantibus turbis, vigore licentiæ & datæ permissionis, item per terram contra aduersariarum partium sequaces, & quæ iudicatæ fuerunt per Iudices & Commissarios Admiralliatus, aut per Capitaneos Reformatorum Consiliaue eorum, manebunt sepultæ sub beneficio præsentis Edicti, adeò vt nulla de ijs debeat dari actio, nec Capitanei, aut alij qui dictis capturis interfuerunt, eorum cautiones, & dicti Iudices, Officiarij, eorum viduæ & hæredes, requiri aut molestari conditione quacumque, non obstantibus arrestis Consilij nostri priuati & Parlamentorum, omnibusque litteris litium pendentium, & nondum iudicatarum, vnde volumus vt illis fiat plena & integra manus iniectio.

LXXXIV. Reformati itidem non debent requiri propter oppositiones & impedimenta, data antehac, etiam finitis turbis, exsecutioni arrestorum & iudicatorum factorum pro restitutione

Religionis Catholicæ Apostolicæ Romanæ, in diuersis locis huius Regni. 1599.

LXXXV. Et quod ad illa attinet, quæ facta aut cœpta fuerunt durantibus turbis extra viam hostilitatis, aut per hostilitatem contra Regulamenta publica aut particularia Capitaneorum, aut Communitatum in prouincijs, in eorum recuperationem & persequutionem actio dabitur per viam iustitiæ. Edict. 1577 art. 40.

LXXXVI. Ita tamen, vt ne quod factum est contra Regulamenta ab vna & altera parte, si indifferenter excipiatur & reseruetur in generali abolitione huius nostri Edicti, & subijciatur requisitioni, nullus fere sit homo militaris, qui non possit periculo exponi, vnde nouæ turbæ oriri possent: ideo volumus & ordonamus, vt tantum casus exsecrabiles maneant excepti in dicta abolitione, vt raptus & violationes mulierum ac virginum; incendia, homicidia, latrocinia, prædamenta, proditorie facta & insidiose, extra viam hostilitatis, & in vindictam priuatam, contra belli debitum, infractiones priuilegiorum libri transitus (quæ vulgò Passiportus appellantur) & salui conductus, cum latrocinijs & prædationibus sine mandato eorum, qui Reformatorum Capitanei erant, si rei sunt eiusdem religionis, aut saltem earum partium sequaces, fundato super particulares occasiones, qui bus dicti Capitanei moti fuerunt ad talia imperanda & ordonanda.

Edict. 1576 artic. 39. 1577. art. 41. LXXXVII. Ordonamus etiam, vt puniantur crimina ac delicta commissa inter personas earundem partium, nisi facta fuerint ex mandato Capitaneorum vnius & alterius partis, secundum necessitatem, legem & ordinem belli. Et quod ad exactiones pecuniarum, gestationes armorum, & alia facta bellica auctoritate priuata, & sine alicuius Domini iussu patrata, in ea ea dabitur persecutio per viam iustitiæ.

Edict. 1576 artic. 56. 1577. art. 50. Sex. 27. LXXXVIII. In vrbibus demolitis per turbas poterunt ruina & excidia illarum per nostram permissionem reædificari & reparari ab habitantibus de suo ac proprijs sumptibus, & prouisiones antehac concessæ quoad hoc seruabuntur & locum habebunt.

LXXXIX. Ordonamus, volumus, nobisq; placet, vt cũcti Barones, Equites, Nobiles, & alij, in quacumq; qualitate & conditione exsistunt, Reformatæ religionis & alij eorũ partes secuti, recipiãt & in effectu cõseruent possessionẽ & fruitionẽ omniũ & singulorum bonorũ, iurium, nominum, rationũ & actionũ, nõ obstãtibus

 senten-

1599. ſententijs iudicialibus datis per & propter dictas turbas: quæ arreſta, vindiciarum iudicia, interdicta, & omnia inde ſecuta, nos in eum finem declarauimus & declaramus nulla ac nullius valoris & effectus.

XC. Acquiſitiones per Reformatos aut alios eorum partes ſecutos factę ex auctoritate aliorum Principum, quam Regum honorandiſſimæ memoriæ noſtrorum prædeceſſorum, in bona Eccleſiæ immobilia, nullum habebunt locum nec effectum, ſed ordonamus, volumus, ac nobis placet, vt Eccleſiaſtici ea recipiant in continenti & ſine dilatione, & conſeruentur in poſſeſſione & fruitione reali & actuali omnium bonorum dicto modo alienatorum, nec teneantur reſti-uere pretium rerum venditarum, & hoc non obſtantibus dictis contractibus venditionis, quos in hunc effectum caſſauimus & reuocauimus tamquam nullos: neque etiam ipſi emptores habeant recurſum ad Principes & Capitaneos, quorum auctoritate dicta bona vendita fuerunt. Et tamen pro recuperatione nummorum ab eis verè & ſine fraude expenſorum, expedientur à nobis litteræ patentes, permiſſuræ Reformatis, vt imponant in ea bona æquatam venditionis pretio ſummam: interdicta vero ipſis acquiſitoribus omni actione damnorum & eius, quod intereſſe vocatur, propter ablatam poſſeſſionem, ſed acquieſcent in recuperatione nummorum per eos expenſorum pro pretio dictarum acquiſitionum, prænumeratis & relatis etiam in ipſum pretium fructibus ab eis perceptis, ſi venditio forte nimis vili & iniquo pretio facta fuerit.

Bona Eccleſiæ ſunt inalienabilia: venditio facta ſine iuſtis ſolemnitatibus eſt nulla, & reſtituitur venditor ſine reſtitutione pretij.

XCI. Denique vt tam noſtri Iuſticiarij, Officiarij, & alij noſtri ſubiecti clare & certiſſime admoniti de noſtra voluntate & intentione: & vt tollatur omnes ambiguitates & dubitationes, quę poſſent oriri ex præcedentibus Edictis, propter eorum diuerſitatem; Nos declarauimus & declaramus omnia priora Edicta, Articulos ſecretos, litteras, declarationes, modificationes, reſtrictiones, interpretationes, arreſta & regiſtra, tam ſecretas quam alias deliberationes, antehac per nos aut Reges noſtros prędeceſſores factas in noſtris Curijs Parlamentorum, aut alijs, concernentes dictam Religionem & turbas exortas in noſtro Regno, eſſe nullius effectus & valoris: quibus quorumue derogatorijs ibi contentis, nos hoc noſtro Edicto derogauimus & derogamus, & nunc, vt tum, ea caſſamus, reuocamus & annullamus declarantes expreſſe, nos velle vt hoc Edictum permaneat firmum & inuiolabile, conſer-

Hoc vltimum Edictum complectitur omnia antecedentia, ijſque cunctis derogat, vt anni 1563. 1568. 1570 1576. 1577

uetur-

1599.

ueturque tam à nostris Iusticiariis, Officiariis, quam aliis subiectis, nulla ratione habita eius, quod quoquo modo posset ei contrarium esse aut derogare.

Edict. 1559. art. 44. 1576. art. 61. 1577. art 63. Flex art. 40.41.42.

XCII. Et vt certius ac firmius custodiatur ac obseruetur hoc Edictum, volumus, ordonamus & nobis placet, vt cuncti Gubernatores & Locumtenentes generales prouinciarum, Præfecti, Seneschalli, & alii Iudices ordinarii ciuitatum nostri Regni, statim recepto hoc Edicto iurent, se id obseruaturos, quemque in suo districtu: similiter etiam Maiores, Decuriones, Capitolini, Consules & Iurati ciuitatum, annui & perpetui. Iniungimus etiam nostris Præfectis, Seneschallis, aut eorum Locumtenentibus, & aliis Iudicibus, vt cogant iurare primarios incolas dictarum ciuitatum, tam Catholicæ quàm Reformatæ Religionis, conseruationem præsentis Edicti, incontinenti post eius publicationem: mittentes cunctos ipsarum ciuitatum habitatores in nostram protectionem, & tutelam, & ipsos inter se in mutuam fidem: eos iubentes respectiuè & per acta publica respondere ciuiliter de contrauentionibus in dictis ciuitatibus aduersus nostrum Edictum factis per eorum incolas, aut etiam repræsentare & mittere in manus Iustitiæ ipsos contrauentores.

Tale fuit Edictum publicatum, cum Articulis secretis pro resolutione plurimarũ aliarum difficultatum, pro politia principaliter Reformatorum; quo multa fuerunt accordata, in quorum rationem inquirere subditis non licet, qui de suo Principe persuasi esse debent, eum nihil facere, quod non tendat ad bonum sui populi. Sufficit, vt sciant illi, *a* quorum interest scire. Tempus aperiet eius archiua, ex quibus, quamdiu clausa manent, nihil rescire possunt etiam studiosissimè inquirentes, nihil autem clam esse potest, quando sunt aperta. Secreta Reipublicæ *b* tanto plus debẽt occuli, quanto amplius desiderantur agnosci. Hoc Edictum, quod alias fuit caussa diuisionum ciuilium, nunc est vnicum cœmentum pacis, quæ pluere debet vndique torrentes benedictionum cœlestium. Sed quemadmodum facta est propter caussas publicas & generales, ita etiam oportet vt effecta sua efferat in priuatas & particulares, extinguens ac suffocans omnia semina partialitatum & factionum, curareque vt in Gallis reperiatur, quod in Romanis desiderauit Imperator Maximinus, *c* *omnium obliuio, fœdus constantis amicitiæ, fidesque beneuolentiæ ac moderationis sempiterna.*

a *Regiũ consilium solos decet scire grauißimos* CASSIODOR.

b Idem Cassiod.

c Herod. in Orat. Maxim.

Verum vt à rebus publicis ad priuatorum transeamus: mors hoc anno terribiliter sæuiit, in viros ac feminas, quorum vtrisq; in-

1599.

Obitus Pinaci Archiepiſcopi Lugdunẽſis, Abbatis Enayenſis, Inſulę Barbæ, & Benedicamus Deũ Monaſteriorũ, 9 Ian. 1599

a PLIN. lib. 2. ep 8.

Audiui ex D. Cancellario, veteres Conſiliarios priuati Conſilii Regii obſtupefactos fuiſſe ob Archiepiſcopi Lugdunenſis facilitatẽ ac promptitudinem in capiendis omnis generis negotiis & formalitatibus iuſtitiæ.

gens & generoſa reſolutio aduerſus mortis terrores & horrores fuit. Petrus † Pinacus, vltimus ſuæ familiæ, Primas Galliæ, Archiepiſcopus & Comes Lugdunenſis, mortuus eſt initio ſtatim Ianuarii. Ordo Hiſtoriæ & fides, quam dedimus immorandi ſemper in mortibus eorum, quorum vita fuit concelebrata, exigit vt referamus præcipua eius geſta, non repetituri tamen ea, quæ in libris præcedentibus dicta ſunt. Reputatio, quam ſibi in Comitiis Blœſenſibus primum acquiſiuit, paullatim eum & quaſi inſenſibiliter promouere cœpit ad negotia publica, *& vt in mundo a veteribus negotiis noua accreſcunt, nec tamen priora peraguntur, tot nexibus, tot quaſi catenis maius in dies occupationum agmen extenditur*, ita ille non potuit ſe retrahere, vbi lubuit. Henricus III. Rex æquè magnus Princeps in cognoſcendis quam recompenſandis elegantibus ingeniis, poſt obitum Monlucii Epiſcopi Valentini, in Conſilium ſuum legit. Vbi in continenti oſtendit, hominem intellegentem ad omnia proprium eſſe. Nam vix ſex ſeptimanarum ſpatio adeo ſe peritum omnium terminorum & formarum Iuſtitiæ probauit, vt ſtatim ad ſumma quæque negotia Conſilii expedienda allegeretur. Eo tempore tota ferè Curia erat ex Guaſconibus ordinata: nemo poterat peruenire nec ad fauores neque liberalitates Regis, niſi per diſcretionem Ducis Eſpernoni, qui erat alter Hephæſtio noſtri Alexandri. Rex dicebat, factur̃um ſe vt ad tam alta prouehatur, vnde non poſſet temerè reſilire. Dæmon Petri Pinaci non ſe patiebatur ſubiici Dæmoni Ioannis Ludouici Nogareti. Nimium erat ſuus, quàm vt fieri poſſet alterius. Sibi namque videbatur, ſi ſeruiendum ſit, ſatius eſſe ſeruire Domino, quàm alterius voluntatibus ſe ſubiicere. Noluit diu perſiſtere in longis Aulæ ſeruitiis, nec valde morabatur vitam tam coactam & violentam. Multum enim ante Ligæ turbas ſcribens ad *a* amicos ſignificauit, etiam in maximis & ſummis dignitatibus, ad quas à Rege prouectus fuerit, non ceſſare tamen quærere bonam felicis ſeceſſus occaſionem. IX.

Nolo, inquit, vitam finire, ſi potero, in impetuoſitate tantæ tempeſtatis, & ſpero me aliquando appulſurum ad portum. Nulla vita *b* gratior eſt, quàm quæ ſibi viuitur, & in qua propriis negotiis curare poſſumus: ſed tamen oportet etiam nonnumquam noſtri ſpecimen dare in publico, quum tranquillitas non poſſit verè ſentiri ac guſtari ab eis, qui nullos ſenſerunt ac guſtarunt labores. Curramus aliquantum temporis, & fortunæ nos demus in mundo; aliquando ſimul

a Anton. Emanuelẽ Chalon, Officialem Primatus Gallici.

b Iucundiſſimum viuendi genus agere ſua. PLAT. Epiſt. 9. ad Archit. Tarent.

1599.

ambo pendemus arma ad vncum. Est, meo iudicio, res turpis in Aula canescere, in tumultu senescere, & mori in ambitione. Capiebatur quidem solitudinis amore & secessus, & vt viueret in societate, & quamuis placet *c* vmbra, dicebat cum Socrate, tamen arbores me nihil docent. Res aliter euenerunt, quàm arbitrabatur. Liga intonuit in Campania. A Rege mittitur ad Ducem Guisiæ conciliandum. Quo in negotio in faciem obstitit Duci Espernono, eique Ligæ caussam exprobrauit. Quo facto non parum offensus Rex fuit, vt quem ipse amaret, à cunctis amaretur, & nihilo minus tamen ei Abbatiam concessit non petenti.

c *Agros varius adeo, non enim vel arbores me quicquam docere possunt, sed homines qui in vrbe versantur.* PLAT. in Phædro.

Reuertitur domum post pacificationem Nemorensem. Quæ occasio erat clauus & porta quietis, si potuisset cognoscere. Debebat tum se negotiis mundanis euoluere, vt se daret exercitiis sui muneris. Verum, quia ira Regis tantum minæ erant, qui benè sciret, Prælatum hunc non ita posse in angulo aliquo Regni subsistere, vt *a* Aglaus ille in tuguriolo Arcadiæ, inutiliter: & tantam Ligæ conspirationem crescere instar globi niuei per vrbes, in quibus obœdientia Regi debita ferè refriguerat: & Principes inimicos huius Coronæ præparare se ad delibandos & colligendos flosculos: non prius cessare voluit, quàm eum in Aulam reduxisset. Quæ reductio initium fuit infelicitatis eius. Complures alii ante eum, qui ceciderunt in malam Principis gratiam, non fuerunt releuati, quàm vt è celsiori ruina caderent. Passim habentur consimiles tragœdiæ. Et quia plerumque *b* exempla efficacius instruunt quam præcepta, & extranei magis placent illis, qui rebus auctoritatem per elongationem & interuallum quærunt, quàm domestici, id agam.

a Plin. Cœcil. lib. 21. c. 31.

b *Longum iter per præcepta, breue & efficax per exempla.* SENEC. lib. 1. ep. 6.

Exemplum Bernardi Cabreræ dignum est, quod sibi primum ob oculos ponant, qui sinus & scopulos Aulæ transnauigare volent. Principes sæpè indignantur suis amicis in eorum bonum, & vicissim eos in gratiam reponunt in eorum malum. Bernardus Cabrera se retraxit ab Aula Petri Regis Arragoniæ, quum non amplius posset sustinere inuidos suæ virtutis & æmulos fortunæ. Secessit autem in monasterium, quo vtilius sibimet ipse viueret, satis se pro aliis vixisse ratus, vitam suam in eo ceu in asylo contrahens, non tam propter senectutem & paupertatem, *c* quæ duo grauissima in rebus humanis mala sunt, vbi simul hominem inuaserint, quàm vt ab insidiis inuidiæ Aulicæ remotius ab-

Curita in Annalib. Arragon. in vita D. Petri Regis.

c ÆSCHI. in Timar.

1599.

d *La inuidia de las Cortes se ha de vẽcer huyendo.* RELAT. ANTON. PEREZII.

esset, *d* contra quam, vt contra quoq; pestilentiam, nullum præsentius remediũ, quàm fuga & elongatio. Rex animaduertens per eius absentiam Consilia sua esse infirmata, & ordinationes inutiles, non potuit acquiescere donec eum rursus à solitudine in Aulam reduxisset, vt eleuaret eum in gradum celsiorem & eminentiorem pro expediendis negotiis Regiis quàm anteà fuerat, concessa ei auctoritate absoluta & sine reseruatione vlla. Non est ventus in intestinis terræ, qui horribiliores motus faciat quàm inuidia Aulica, quæ aggreditur omnium virtuosissimos, & premit eorum merita vt vmbra lumen. Hostes Crabreræ insanientes præ dolore, quod inuidia nihil potuerit aduersus eius magnanimitatem, toti furibundi & amentati accusare eum tot maledictis, obtrectationibus & calumniis instituerunt, donec impetrarunt vt innocentia eius cederet accusationibus, & caput à corpore separaretur per carnificem. Non tamen Rex mori potuit sine tantæ iniustitiæ pœnitentia, qui cognoscens, calumniis superatum esse hominem non veritate, declarauit in vltimo vitæ articulo, Bernardum Cabreram *a* suum vassallum, fidelem, fidelia eius consilia, fidelia seruitia, iniustam mortem, iniustos iudices qui eum iudicauerint, iussitque reddi omnia eius bona nepotibus. Qui quærunt altas speculas, nullam rem æstimant nisi excelsam, non considerantes arbores in campo crescere cum tempore, nec verberari à turbine: & ventos ac fulmina semper summas altitudines petere: & in Aula versantibus, b *vt in hostili regione, huc & illuc circumspiciendum esse, & ad omnem strepitum circumagendam ceruicem; nisi hic timor è pectore eiectus est, palpitantibus præcordiis viui.*

a *Fidelissimo vasallo, fidelissimos sus conscios, fidelissimos sus seruicios, iniustissimo quanto au z patescido.*

b SEN. Epist 74.

Ita Arciepiscopus Lugdunensis in Aulam rediit in magnum suum malum, vnde regressus fuerat in magnum suum bonum. In continenti adhibitus fuit ad gubernaculum negotiorum, maiori cum comitatu & officio, quàm vllus alius in tota Aula. Verum vt non ex matuta de toto die, nec *a* ex vno die aut breui tempore felicitatis de tota hominis vita iudicandum est, ita fortuna hæc reuerà initium fuit infortuniorum, quibus premebatur. Conscendit eandem cum Guisio Duce nauem, quo Blœsis capto, non alium modum se saluandi habuit quàm fauorem Baronis Luxensis nepotis sui. Gastio in lytrum datus est, à quo in castro Ambosiano per septem octo menses detentus fuit, & tandem dimissus solutis triginta coronatorum millibus. Inde se ad Ducem Mayennæ contulit, & videns negotia suarum partium nimium confusè agi & gubernari populariter, ei persuasit vt Monarchiæ formas retinere vellet, quò Regi opponi posset forma Regalis, & euitaretur calumnia, quasi

a *Vt vna hirundo nõ facit ver, nec dies vnus; sic vnus dies aut breue tempus non efficit beatum.* ARISTOT. Ethic. li. 1.

vincu-

1599.

vincula Reipublicæ ſoluiſſent. Ex quo conſilio facti fuerunt Officiarii Regii, & ipſe accepit *b* ſigilla. Numquam tamen Hiſpano confœderari voluit, dicens, ſe eſſe bonum Gallum. Quo cognito factio Hiſpanica impediuit, ne Sixtus V. Papa in eum conferret galerum Cardinalitium, & auerterunt Clementem VIII. qui aliquando dixerat, ſe prima quaque occaſione memorem fore eius meritorum. Sed benè pariare nouit Hiſpanis, quum Pariſios veniſſent tractatū de coronatione & matrimonio Iſabellæ Infantis Hiſpaniæ: oſtenditq; filia neſcire fila ducere. Reuenit Lugdunum, relicto Mayennæ Duce, eo animo vt ſua ageret, & ſe paci ac commodo publico Regni accommodaret. In reditu factus eſt ingens ille tumultus contra Ducem Nemorenſem, qua malè vſus eſt: nam prudentia non ſucceſſit occaſioni. *c* Non eſt nouum, vt magna ingenia aliquando fallant in perfectione iudicii & diſcurſus. Coactus fuit excedere vrbe, nec in eam iterum admiſſus, quam cum Rex introitum ſuum in eam haberet. Rex, qui tamen oſtenderat bonitatem & clementiam ſuam vel acerrimis hoſtibus, non poterat eum amare, ſeruans in animo ſuo impreſſam hanc opinionem, eum fuiſſe vnicum inſtrumentum omnium ſuarum aduerſitatum. Quum aliquando Rex de Pace Nemorenſi verba faceret (id fuit anno MDLXXXVI.) conuerſus ad eum dixit, in ea negotiatione oſtendiſſe eum ſatis, quàm ſe non amaret, & quàm peſſimum ſibi officium præſtiterit: tum Archiepiſcopus; Rex, inquit, non potui nec debui aliter facere propter honorem Domini mei Regis: aliter autem feciſſem, ſi tunc veſter miniſter fuiſſem, vt nunc ſum. Verba ſatis libera ingenii animoſi & integri. Quum Dux Eſpernonus, rediens ex Prouincia, ad eum in domum Archiepiſcopalem interuiſeret, & inter alia verba, quibus de rebus præteritis ſermocinabantur, ei diceret, credere ſe neminē vnum in Gallia eſſe, cuius fortuna adeo euerſa fuerit, vt illorum amborum, reſpondit Archiepiſcopus: Quod ad meam attinet, à nemine ea euerſa eſt, quàm à te ipſo.

b Archiep. Lugdunēſis accepit ſigilla Cardinalis Burbonii, qui à Liga vocabatur Carolus X. Rex, ſub quo etiam nomine numiſmata cudebantur.

c Non ſempre gli huomini ſauij diſcernono ò giudicano perfettamente: biſogna che ſpeſſo ſi dimoſtrino ſegni della debolezza dell' intelletto humano. GVICHARD. lib. 1.

Breue Clementis VIII. Papę.

Poſtquam Lugdunum redacta fuit in obedientiam Regis, ingenium tanti viri rebus agendis natū diſplicere ſibi ipſi cœpit, quod non amplius in eo ſplendore & honore, in quibus olim fuerat. Vbi *a* non es qui fueris, non eſt cur velis viuere: ſed tamen vacare culpa magnum ei erat ſolatium, præſertim quum haberet duas res quibus ſe ſuſtentaret, optimorum librorum ſcientiam, & maximarū rerum gloriam. Ab eo tempore ſibi proponebat ſuo tantum muneri vacare, & eligere tempus conueniens tranquillitati portus, ad quem appropinquabat. Non tamen potuit, quin nonnumquam cogitatio-

a CICERO epiſt. 3. lib. 7.

1599. nes ſuas in fluctus ac procellas huius mundi, qui, qua valebat ingenii capacitate, præuidere ac prædicere ſciuit multorum conſiliorum euenta. Simulatque Dux Nemorenſis Pierreſizâ diſceſſit, eum non bene vſurum libertate ſua prædixit. Nam eodem tempore litteras ad me dedit, quibus eam opinionem mihi in hæc verba perſcripſit: Recordare quod tibi ſæpè dixi, Nemorenſem implicatum iri cum Hiſpanis, qui Maynæ Ducem in labyrinthum ſemper inextricabilem induxerunt, & ipſum etiam Nemorenſem in miſerrimam conditionem. Audeo quaſi prophetare, Sabaudiæ Ducem aliquando ſe non minus, quàm cæteros, deceptum fuiſſe ſenſurum eſſe. a *Tunica pallio propior* eſt in Hiſpania, & quærere potius ſolet vt ſua conſeruet quàm vſurpet aliena pro aliis. Hactenus ille in dictis litteris, in quibus, vt in omnibus diſcurſibus ſuis ſemper, loquebatur ex fundo, vt Homerus de Vlyſſe ſcribit, ſtomachi. Nullus vmquam generoſius contempſit calumnias, quæ non magis aduerſus illum poterant, quàm flammæ in aquam iniectæ. Legit Catholicon ſine vlla offenſione, & in aliis litteris, quas ea de re ad amicos dedit, ſatis oſtendit, ſe nihili facere. Fœtor, inquit, huius immundi vnguenti, quod Catholicon vocant, etiam huc penetrauit. Quibus me tangit, non tantillum moueor; boni me nouerunt, & honori mihi duco, ſi ab Hæreticis, Rabelæſianis & Atheiſtis calumnias patiar.

a *Genu crura propius: ſibi quisque amicus eſt maximè.* ARISTOT. Ethic. lib. 9. cap. 8.

Plautus.

Litteræ Archiepiſcopi Lugduno Maienum miſſæ 2. Aug. 1594.

Satyra Menippe nomine Catholicon.

Vocatus fuit à Rege Rhotomagum ad Conuentum Ordinum Regni, ſed propter incommoditatem ſuorum negotiorum non potuit eo proficiſci. Dicere ſolebat, ſe non amplius idoneum eſſe huic ſæculo; & a magneti ſimilis eſſe videbatur, qui non eſt vtilis in omni mari. In fine vltimi huius anni, conqueri cœpit apud amicos de breuitate ſuæ vitæ, dicebatque vix decem aut duodecim annos vitæ ſuæ ſupereſſe. Non ſuperuixit duodecim dies. Perſuadebat ſibi ipſe, poſſe ſe curſum ſuum perducere vſque ad annum vitæ ſeptuageſimum ſecundum, ſequens ſupputationem ab ſe factam per ephemerides cum quodam ex ſuis amicis, à quo admonitus fuit de errore calculationis tredecim annorum, a præter quod anticiparit diem natiuitatis ſuæ duobus integris menſibus. Medici non concordabant in cauſis morbi: neque nouum hoc aut mirum eſſe debet, Medicos diſſentire in tanta diuerſorum morborum varietate, b quum necdum benè compertum habeant modum digeſtionis ciborum in noſtro ſtomacho. Diu laborabat ab

a Magnes conuenire dicitur cũ polo Arctico, quãuis diſtantia ſit extra omnem menſurã, ſed non cum Antarctico, vt referunt illi, q. trans Æquatorẽ nauigarũt.

a Natus 10 Maii 1540 quẽ diem dicebat fuiſſe primũ Martii.

b Eraſiſtratus dicebat, cibum conteri in ſtomacho; Plyſtomachus, putreſcere in ventre; Hippocrates, coqui à calore; Aſclepiades, conuerti crudum in noſtram ſubſtantiam.

hæmorrhoidibus, quibus corpus eius ita euacuatum fuit, vt eo post mortem secto nullus sanguis animaduerteretur. Pulmones erant nimia siti alterati & enecti. Et quum Medicus ei diceret, morbum esse articularem, quæsiuit, an fieri possit, vt quis ex morbo articulari pereat absque febri? Video quid sit, cum homines ignorent, recurrendum esse ad Deum. Tertio post morbum die corpus terræ, animam cœlo reddidit. 1599.

Mortis horrores eadem magnanimitate sustinuit, quam præsentauerat in Comitiis Blœsensibus. Quatuor aut quinq; horis antequam moreretur, quidam Capuccinus eum accessit consolaturus, qui inter exhortandum, vt bono & cordato animo hanc viam totius vitæ difficillimam percurrere vellet, commemorans illud Senecæ; *Æquat omnes cinis, impares nascimur, pares morimur: Conditor ille iuris humani non natalibus nec nominum claritate distinxit, nisi dum sumus*, compellauit eum simplici tantum nomine. Quum ille nouam hanc complementi formam intellegeret, & se nomine Petri Pinaci appellari audiret, sine alio tituli honore, moto capite & eleuatis oculis ad loquentem conuersus dixit; Quis es tu? Vnde cognitum fuit, eum verbis Monachi nonnihil obstupefactum, ea accepisse pro præsagio mortis, quæ interuenit circiter mediam noctis.

Epist. 92.

Dux Bironus ad ægrotantem interuisit, & interfuit exsequiis. Duæ res contigerunt in vtroque facto, quas tum nemo considerauit, quamuis posteà repetitæ fuerint. Nemo sua ætate vixit, qui melius naturas hominum ex vultibus cognoscere potuerit, quàm Archiepiscopus. Verus erat *a* Zopyrus in cognitione Physionomica. Gregorius *b* Nazianzenus vix certius de Iuliano Imperatore, nec *c* Isidorus de Mahomete, nec *d* Patriarcha Theodorus de Andronico Comneno iudicauit, quàm iste de fortuna Mareschalli Bironi ex liniamentis & temperie faciei. Nam cum eum curiosius considerasset, post eius discessum dixit ad sororem suam: Peiorem physionomiam in vllo homine numquam notaui, & quæ notet homini infeliciorem interitum. Hoc primum. Deinde; Baro Luxensis loquens de morte sui auunculi, dixit ad Ducem Bironũ, se ex Capuccino, qui morientem consolabatur, audiuisse parabolã admodum elegantem, & quæ vnumquemq; hominem debeat permouere ad contemptum felicitatum huius mundi, vt cogitet eas instrumenta magis ruinæ quàm salutis esse, & quam *e* Philosophi

a Qui iudicauit de natura Socratis.
b Socrat. hist. Eccles. lib. 3. cap. 19. Niceph. lib. 10. cap. 3.
c Antonin. lib. 13. cap. 2. parag. 6.
d Nicetas Choniates in Andronico.

e *Illi homini, cui potestas suppeditat quodlibet agendi pro arbitratu, consentaneum est huiusmodi quiddam contingere, quod ægrotanti, cui erit potestas quidlibet agendi, mentem autem medicam non habuerit.* PLVT. in Alcibiade.

1599. Gentiles etiam ante Christianos obseruarint. Quum Medicus videret, valitudinem esse desperatam, & morbum illudere cunctis remediis, permisit vt ei daretur quicquid vellet, quum ex denegatione nec minus nec melius habiturus sit. Eodem modo dicebat Capuccinus, quando Deus videt, nullam superesse emendationem vitæ, hominemq; gratiam suam reiicere, permittere illi solet omne genus prosperitatum, omnes res ei ad votum succedunt, eumq; solatur g audiis huius mundi. Tum Dux Bironus respondit; Vtinam ego sic à Deo relinquerer! Qui cognouerunt prosperitatem vitæ eius, & infelicitatem mortis concludere poterunt, si volent, ex hoc responso.

Archiepiscopus erat sumptuosus in mensa.

Archiepiscopus Lugdunensis adeo nihil ditauit in turbis, vt si diutius vixisset, necessitas eum implicasset ingentibus incommodis. Bona sororis eius erant oppignerata, fructus beneficiorum eius occupati, & mensa insuper æquè splendida & magnifica quàm fuit in diebus summæ prosperitatis. In Ligam impendit quinquaginta millia coronatorum: ex dublonibus Hispanis nihil obtinuit præter duplicatum fœnus. Miserabilis est conditio, occupari simul & senectutis incommodis & viribus necessitatis, nec posse vitare nisi cedendo & fugiendo. Philosophiæ Stoicæ hoc præcipuum fuit, quod ea præuenire potuerit electo leni aliquo mortis genere. Eius exlamatio est: a *Malum est in necessitate viuere; sed in necessitate viuere necessitas nulla est. Patent vndiq; ad libertatem viæ multæ, breues, faciles.* At Philosophia Christiana docet, desiderandum esse cœlum, non mortem per impatientiam.

a Senecæ Epist. 12.

Concurrebant in eo omnes præclaræ virtutes: elegantia discurrendi, aspectus iucundus & grauis, commodissima proportio staturæ, promptitudo loquendi,

Qui † legerunt acta publica huius Prælati, poterunt de eius doctrina & eruditione iudicare: at nemo poterit repræsentare gratiam eius & vehementiam in agendo, quàm qui eum audiuit & cognouit. Admirationi fuit summis Ordinibus in Comitiis Blœsensibus, in Conuentu Clericorum Melodunensi, in Comitiis Britannicis, & cum verba faceret publicè in præsentia Regis, quando Nuntius Papæ recepit galerum Cardinalitium in postremis Comitiis Blœsensibus. In omnibus istis actionibus solus ille habebat, quæ singula in diuersis admiramur, gratiam & suauitatem Isocratis, facilitatem Xenophontis, grauitatem Platonis, & vehementiam Demosthenis. Posteritas melius iudicatura esset super professionis suæ doctrina ac scientia, si pleraque doctissima eius X.

vox auditores delenificans. Vix desierat loqui in Comitiis Blœsensibus, quum Dux Guisius assurgens in eius complexum ruit eumque præ nimio fauore coram omnibus honorauit.

scripta

1599.

scripta tam Theologica quam Politica de varijs rebus non periissent. Orsus erat excellentes commentarios de ijs, quæ ab vtraque parte in postremi belli ciuilis conductu parum prudenter gesta fuere. In vltimis vitæ diebus tractabat Discursum de immortalitate animæ, aduersus eos qui putant eam, quæ non dependet ab vlla compositione elementari, nec vllo modo capax est principiorum corruptibilium, esse materialem aut corruptibilem. Vidi versiones eius Latinas aliquot Epigrammatum Græcorum, quas in adolescentia fecit, traductionem Hymnorum & Sequentiarum Ecclesiasticarum de S. sacramento & Eucharistia. Laborare sedulò proposuerat, vt remitteret collapsam disciplinam Ecclesiasticam in suo Archiepiscopatu, & iam instituerat vtilissimam visitationem Ecclesiarum. Facultas illi erat in ea professione magnum aliquid præstare, & se facere Prælatum cunctis æstimandum, sicuti maximis donis erat à Deo dotatus, sed animus eum ob ingenij præstantiam in Aulam abripuit parum conuenientem *a* spirituali contemplationi, quæ sola homines Ecclesiasticos decet, & quæ semper turbatur & alteratur per cogitationes mundanas, quæ muscæ importunæ impedientes sacrificium Abrahami.

Quemadmodum mors hunc abstulit, ita deuotio alios abstraxit ex mundo. Hic annus fuit initium flammæ passim ardentis igni, qui viuit in mundo intellectuali, quemadmodum Sol in cœlesti. Plurimi Nobiles, incensi hoc amore, qui magna specimina virtutis suæ dederant in bello, nunc ostenderunt ingentes animos in plena pace, seipsos domandi, & abducendi à delicijs huius mundi, cupientes deferri ac rapi *b* in tertium cœlum aut tertium mundum, & se incarcerandi denique in monasterijs Religiosis omnium reformatissimis & austerissimis. Multi hoc genus vitæ eligunt desperatione potius eius consequendi, quod in hoc mundo desiderauerunt, quam spe salutis, ibique per pudorem continentur, & sicut ij *c* qui necessitate magis quam voluntate ad vitæ temperantiam accedunt, si nihil sit quod prohibeat, relabuntur ad ingenium. Nonnulli reperiuntur, qui idem iudicium de monasterijs ferant, quod Philosophus de ciuitate Athenarum, bonum esse transire, sed non diu morari. Vt duo sunt militiæ genera, ita etiam militum. Magna res est, & difficilis transitio à militia temporali ad spiritualem. Qui sunt Cæsares, Alexandri & Rhodomontes in illa, sunt Carabini in ista. Is animose vadit in oppugnationem, is repellit audenter hostem in duello, qui in hoc conflictu spirituali facit oppositum, quando caput petitur ab acie cogitationum.

a οὐ θεωρία πνευματικὴ καὶ πρᾶξις πολιτικὴ συνεῖναι πεφύκασι: *Non spiritualis contemplatio & ciuilis administratio inter se iunguntur.* Niceph. Greg. Hist. lib. 3.

b vt Apostolus appellat, qui in dubio est tertius mundus vel intelligibilis, vbi vidit aperte & sine velo ideas primigenii exemplaris omnium rerũ.

c DIONYS. Halicarnass. li. 2.

Vide Discursum de veritate de sensa.

1599. X.

Totus† mundus obstupefactus fuit in Henrico, Ioyusę Duce, Mareschallo Regni, qui (vt videbatur) immersus in delitijs mundanis vsque ad aures, secundo se coniecit in conuentum Capuccinorum quo conscientia dictante reuerti obligabatur, & consulente *a* melius esse non vouere quam non præstare id, quod alacri animo, sine timore, sine impressione maioritatis feceris. Volebat prius recte cognoscere mundum, quam eum relinqueret. Plerique eum relinquunt & renuntiant, antequam cognouerint: & vbi cognouerunt, non possunt ab eo abire. Nihil earum voluptatum, quibus Aula abundat, post se reliquit, cuius non gustum perceperit: magnis viribus opus erat ad se liberandum à tantis voluptatibus, quæ animam corpori affigunt, eamque reddunt ita corporalem, vt nullam aliam conditionem aut motionem sentiat quam corporis. O admiranda mutatio! Modo videbatur totus deficere in sinu & contemplatione pulcherrimæ fœminæ, & raptu longe alio quam fuit Sancti Bonauenturæ, (quamuis postea dictum fuerit, conscientiâ esse eum purâ & nitidâ, & plus scandali quam peccati admisisse) is nunc iacet prostratus ad pedem Crucifixi. Modo dormiebat molliter intra telas Holandinas, nunc dormit cum Helia sub iunipero Crucis, quæ pro folijs & floribus habet spinas asperas & pungentes. Modo totus Odorifer, totus vnguentatus, non ad pellendos sed attrahendos malos Dæmones, nunc totus coopertus cineribus pœnitentiæ. Modo erat capillis crispatis, oculis plenis cupiditatum Veneriarum, animo ab ambitione inflammato, hodie indutus grosso & consuto ex multis pictacijs habitu, capite raso, barba Capuccinia: modo digladiabatur cum Duce Vantadurio de præeminentia sessionis in Comitijs Occitanicis, nunc incedit etiam post minimum Capuccinorum: modo non sufficiebat vnius prouinciæ Gubernatio, nunc se beatiorem iudicat ipso Rege in dulcis Cellulæ secessu. In *a* mundo assiduum inter pares discordiæ malum est, in monasterio nihil est inæquale. Simulatque Generalis Capuccinorum ei Româ misit rehabilitationem in Ordine, de rebus suis vltimo disponens, conscensa rheda, ex hospitio Buchagiano transiit in conuentum Capuccinorum.

a Ἀγαθὸν τὸ μὴ εὔξασθαι, ἢ εὔξασθαι καὶ μὴ ἀποδοῦναι: *Præstat non facere votum, quam votum non reddere.* NICET. in Isaac. Cõneno

Iamblicus in Protrepti c.

Dæmones sunt inimici odorum suaueolentum, & ijs vtimur ad eosdem pellendos.

a IVSTIN. lib. 16.

Lacrimis ferunr matris eum ad reuersionem permotum, vt lacrimis Monicæ ad conuersionem Sanctum Augustinum. Ea ma-

Citius se in monasterium re-

Reditus Ducis Ioyusæ ad Capuccinos Parisijs 8. Mart. 1599.

gis af-

gis affligebatur in mutatione filij ad sæcularem statum, quam in morte omnium cæterorum liberorum, nec prius cessare voluit quam reduxerit Fratrem Angelum (ita enim appellare solebat) ex desertis Ægypti in montem Caluariæ, eumque viderit iterum in tunica, quam exsuerat. Hi sunt potentes effectus eius gratiæ, quæ reformat & conformat reformatum, & confirmat conformatum, & transformat confirmatum, facitque vt anima magis viuat in cœlo, ad quod adspirat, quam in corpore hoc terrestri, in quo suspirat. Rex eum visitauit, laudauitque institutum eius, dicens, sæpe sibi in animo fuisse eum admonere, nisi veritus fuisset ne secius interpretaretur, quam ille cogitasset, existimaretque se ea ratione cupere illum amotum. Cum aliquando cum Rege pranderet, præsentibus tantum duobus alijs Principibus, dixit, quattuor hominum genera in mundo reperiri, sed perdifficile esse simul congregare quattuor tam inter sese differentes, ex quibus quattuor etiam ipse vnus esset, nempe peccatorem conuersum, Coniuratorem pœnitentem, Capuccinum deuersum, & Huguenotum peruersum.

1599. tulisset, nisi prius interesse desiderasset nuptijs filiæ suæ.

Simul prãdebãt Rex, Dux Mayennæ, Dux Ioyusæ, & Dominus Zesdiguerius.

Simulatque recepit habitum, publice in cathedra concionari cœpit, audiri & gustari ab omnibus. Numquam testudo tam benè resonuit quam linguæ eius dulcedo in auribus auditorum; & fuit iudicio doctissimi hac ætate viri maior & honoratior in humilitate, quam vmquam fuerit in priori dignitatis & magnitudinis statu. Magnates, qui tantum ad terram respiciunt, tantum ad incrementa terrarum suarum vident, tantum de felicitatibus terrenis loquuntur, numquam lecturi sunt tam generosam resolutionem relinquendi terram cum fructu, nisi finem meditari cœperint, & in tempore esse cogitandum de cœlo, loquendum de cœlo, & respiciendum in cœlum, si anima velit reuerti ad cœlum, vnde venerat. Doctrina eius semper inuenit bonam dispositionem in animis auditorum, quia videbatur id dicere quod faciebat, & *homines non tam faciei verborum doctrina ducuntur, quam operibus ad virtutes conferentium assuetudine.*

Pater Angelus discessit hinc comitatus totius Ciuitatis animis, vt plus honoris in humilitate abstulerit, quam in magnitudine vmquã consequi potuisset. Verba sunt Chalomi ad Auctorem.

Litteræ D. Chalomi ad Auctorem.

Dionys. Halicarn. lib. 2.

Quemadmodum Aula admodum obstupuit ob Ducis Ioyusæ absentationem, & recessum à mundo, ita multò magis territa fuit subitaneâ Schombergij morte, qui apoplexia repentina abreptus, in reditu à tractatu Confluen-

17. Mart. 1599.

tino,

1599. tino, vbi Villaregius tractauit Regem & totum Consilium, nullo verbo nec Gallico nec Germanico facto vitam reliquit.

Papa creauit nouem Cardinales; quæ fuit secunda promotio in eius Pontificatu. Inter eos fuit Robertus Bellarminus per cuius merita, vt & Cæsatis Baronij itidem Cardinalis, Consistorium illustratum est duobus summis viris, verè summis tam in doctrina quam pietate, & qui eadem magnanimitate, sed armis diuersis, defenderunt antiquam & orthodoxam Ecclesiæ doctrinam. Cardinalis Baronius per seriem sæculorum & ordinem Chronologicum ostendit, doctrinam, quæ hodie prædicatur in Ecclesia Romana, eandem esse quæ fuit temporibus Apostolorum, & continuata de tempore in tempus vsque ad nos. Centuriæ Magdeburgenses eodem tendebant: sed successu non pari. Cardinalis Bellarminus instituit per Cõtrouersias destructionem omnium opinionum, quæ ortæ sunt aduersus eandem doctrinam, ita vt nullum argumentum sit, ad quod non respondeat; nullum dubium, quod non declaret; nulla obiectio, quam non iugulet. Ille scribit, vt ostendat, veritatis vnam tantum esse faciem: hic monstrat vestigia aberrantia & confusiones mendaces: illius subiectum est traditio, huius disputatio: in illius libris reperitur tota Theologia positiua, in huius Scholastica.

Iesuitæ particulare votum faciunt, se numquã petituros, prætenturos aut ambituros vllam Dignitatem aut Prælaturam, directè vel indirecte neque intra Societatem neque extra, nisi mandato eius, qui mandare potest sine replicatione, sub pœna peccati, quod contigit Cardinali Toletano & Bellarmino.

Galerus Cardinalitius oblatus Bellarmino ex suscitauit complurium murmura aduersus institutionem sui Ordinis, per quam Iesuitis aditus interdicitur ad eiusmodi dignitates, & prohibitum est non modo ad eas adspirare, sed etiam easdem sperare. Quum Cardinalis Toletanus Hispanus ex eodem Ordine assumtus est in Cardinalem, publicè dicebatur, aperuisse & complanasse semitam, per quam omnis porro disciplina Iesuitica aufugitura sit. Memini Cardinalem Ioyusam, Archiepiscopum Lugdunensem Pignacum, & Præsidentem Ianinum aliquando in hos sermones incidere, nec tamen in eandem conspirare opinionem. Cardinalis Ioyusa tandem conclusit, numerum Cardinalium non esse posse nimium ex viris virtute & pietate præstantibus, & bene sperandum esse de rebus Ecclesiæ, si videamus primarias dignitates conferri hominibus eadem doctrina & vitæ sanctimonia præditis, qua fuit Cardinalis Toletanus, qui sæpe postea dicere auditus est, malle se in Collegio suo viuere, quam in sumptuosissimo Palatio à Papa assignato. Pauper erat inter tantas diuitias, sed securior erat

1599.

quum nullas haberet. *a* Melior est dies vna in delicijs spiritualibus huius Ordinis, quam duo millia huius mundi. b *Vnus dies bene & ex Philosophiæ præceptis actus est pene toti immortalitati anteponendus.* c *Vnus dies hominum eruditorum*, qui apud se & sibi viuunt, *plus patet quam imperiti longißima ætas*, quantumcumque magnus sit, quantumcumque diuitijs huius mundi cumulatus, quæ nec gustum nec nutrimentum præbent animæ sapienti. Et quamuis hæc vita videatur esse molesta, difficilis, & laboriosa, similis tamen esse solet alueo nigro, rudi & ingrato, sub quo apes mel conficiunt. Propugnacula, quæ ab auaris Capitaneis tenentur, non sunt insuperabilia, licet fortissima. nullus potentior hostis est auro, ad perrumpenda Consilia Consistorij, & auferendas voces Conclauis. Sane opus est primarium hoc munimentum & propugnaculum inexpugnabile Ecclesiæ repletum sit hominibus, quorum oculi non metuunt Indiarum puluerem, nec præstinguuntur claritate Solis Occidentalis. Consistorium simile esse debet regioni, de qua est apud Senecam, per cuius foratum pluribus locis solum est, quod sine vllo nascentium damno ignis innoxius circuit. Inde adeo est, cur prudentissima Ecclesia, vi & cogendo extrahat Monachos & Religiosos ex Monasterijs, vt promoueat in hunc Senatum tamquam dispoliatos cunctis affectibus quibus conturbantur & destruuntur optima quæque consilia. Iustum ac necessarium est, vt componatur ex Senatoribus aut splendore generis aut doctrina magnis. Aretinus, qui quantus erat, ex maledicentijs æruginosis erat, ridebat Cardinales sui temporis, *a* quod lecti essent aut ex mercatoribus, aut plebeijs, aut vestiarijs, præferens audaciam electioni, fortunam meritis, amicitiam debito, & officium conscientiæ. Nam quia Papa libenter admittit ad eam dignitatem filios generosis & illustrissimis familijs natos, qui plerumque Maximas & affectus suarum familiarum secum afferunt, ideo bonum est vt & alij assumantur, qui sine partialitate, & sine affectu oppositum teneant, illorumque momenta examinent & percolent cum sinceritate & veritate.

Præsentia tantum hominis iusti, qui de sola Religione sollicitus est & meditatur, potest sæpe suffocare prauas resolutiones. Integritas vitæ eius pro censura est malarum actionum, & opinio, quæ de conscientia eius habetur, ita comparata est, vt iustum esse videatur quidquid dicunt & agunt. Si hominem religiosum videris, solo Capuccio à professione sua abeuntem interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter aduersa felicem, in medijs tem-

a Melior est dies vna in atrijs tuis super millia. DAVID.

b CIC. Tuscul. 5.

c SENEC. ex Possidonio.

Epist. 80. lib. 11.

a *Che generosita puo hauere in se vno di quelli mecanici, che son peruenuti à cotal dignita ò per denari, ò per sorte? che maniere, che gentilezze, che qualita, e che effetti di Principi ponno hauere i mercadanti, & i plebei?* ARETIN. in epist. ad Card. Lotharing.

1599. SENECA. peſtatibus placidum, ex ſuperiore loco homines videntem ex æquo Angelos, non ſubibit te veneratio eius? vt Senecæ verbis vtar. Non dices; Iſta res maior eſt altiorque quam vt credi ſimilis huic, in quo eſt, corpuſculo poſſit. Eiuſcemodi homo ſatis potens ad reformandas non modo actiones, ſed etiam cogitationes mortalium.

SVMMARIVM

SECVNDÆ NARRATIONIS.

I *Controuerſia ſuper Marchionatu Salutiarum.*
II *Diſcurſus de eo quod cum Duce Sabaudiæ actum fuit propter Marchionatum Salutiarum, vſque ad Pacificationem Veruinianam.*
III *Productio titulorum Regis, & Ducis Sabaudiæ, facta Romæ.*
IV *Inſtantia Legatorum Regis, vt de poſſeſſorio iudicetur ante petitorium.*
V *Modus propoſitus pro ſequeſtro Marchionatus.*
VI *Reſolutio Ducis, de interrumpenda arbitratione, & tractatione cum Rege coram inſtituenda.*
VII *Morbus & mors Ducißæ Bellefortenſis.*
VIII *Duellum inter Philippinum Baſtardum de Sabaudia, & Baronem Crequium.*
IX *Horrendi furores duellorum.*
X *Status rerum Regiarum in Heluetia.*
XI *Tranſitus Reginæ Hiſpaniarum per Marſiliam.*
XII *Initium Regni Philippi III. Regis Hiſpaniarum.*
XIII *Ingentes, ſed periculoſæ gratiæ Ducis Lermani apud Regem.*
XIIII *Alberti Archiducis Auſtriæ reditus in Belgium.*
XV *Importatio mercium manufactarum ex ſerico, auro vel argento prohibita in Gallia.*

SECVNDA NARRATIO.



OPORTET ſemper † eſſe in Gallia aliquid, ſuper quo Gazetti illi Italici habeant vt diſcurrant & exerceant iudicia curioſitatis ſuæ. Bellum in Gallia exſtinctum nullas nobis reliquias fecit, præterquam Marchionatus Salutiarum, quem Rex repetebat vt ab Delphinatu dependentem, & Dux Sabaudiæ volebat reunire Principatui ſuo, à quo prætendit Delphinos eum abſtuliſſe. Controuerſia ſuper eius reſtitutione terminari à Papa I.

debebat,

debebat, qui electus fuit arbiter in Tractatu Veruiniano. Hęc actio fuit tanti momenti, quanti vlla vmquam Romæ agitata fuit: in qua non vertebatur quæstio de Parni naui, sed de gloria bene acquisiti & conseruati dominij, aut infamia male vsurpati alieni. Si priuati in suis rebus, quę conseruationem tantum paruę hęreditatis & immunitatem limitum concernunt, nullam diligentiam & recommendationen omittunt, quid facere debent aut non facere Principes in rebus & processibus tantæ consequentiæ? 1599.

Partes vtrimque Legatos suos Romam mittunt, qui iudicium arbitrarium persequantur. Præses Brulardus eo venit nomine Regis, & Comes Arconatis nomine Ducis Sabaudiæ, initio huius anni. Interim tamen non cessabat Dux supplicare Regem, vt pateretur se ad præsentiam eius venire. a *Animi peruicaces cum sentiunt aduersarios ad se demulcendos verti, non se moderatiores sed longe deteriores præbent.* Contra Rex Duci iussit significari, conspectum eius sibi quidem fore gratissimum: sed cum proposuerit comitari sororem suam, abeuntem in Lotharingiam, non posse se constituere tota hieme certum locum, vbi diu subsistere posset: rogare tamen, vt iter suum differre in tempus vernum & instituere Lugdunum vellet, quo se speraret accessurum.

a Dionys. Halicarn. lib. 2.

II. Interea † dum arbitratio persequitur, arbiter, bonorum Paparum optimus, non minus integritatis quam partes passionis ad caussam afferens, neque odio, neque beneuolentia, neque alia iniusta caussa commotus contra animi sui sententiam pronuntiare voluit. Instructus ac informatus fuit valde diligenter ab vtraque parte de tota controuersia, quam nos ad instruendam posteritatem adijciemus. Dux Sabaudiæ possidens Marchionatum Salutiarum aliquot annos, dum Gallia in seipsam arma propria conuertit, considerauit quod Rex superior factus, rebusque Regni compositis, non relicturus sit recuperationem Marchionatus, in quo quippe non postrema consistit Regni restauratio. Quare prior quæsiuit occasionem cum eo accordandi, conditionesque proposuit per Sebastianum Zanetum. Rex non temere fidem adhibuit, qui sibi persuadere non poterat, Ducem Sabaudiæ se ab institutis & consilijs Regis Hispaniarum separaturum, qui semper habebat copias armatas in Gallia, vt tam stricte cum eo coniungeretur. Ideo mandauit Sillerio apud Heluetios Legato vt super ea re conferret cum Legato Ducis apud eosdem, ad explorandam eius intentionem. Dux miserat in Hispaniam Marchionem Aquensem, vt deliberaret cum Rege de modo tractandi

DEMOSTHE aduersus Aristocratem.

1599. cum Rege. Eodem tempore interceptæ fuerunt litteræ ex Hispania scriptæ, quarum ego characteres explicui; vnde cognitum est, Ducem reuera pacem quærere. Nam Legatus eius scribens Madritia significabat, formam concordiæ cum Rege sanciendæ, quam à Consilio peteret, Consiliarios Regis Hispaniarum numquam proposituros, nisi plurimis cum conditionibus, & secretissime, quamuis eam concordiam admodum desiderarent, vt præsidia inde in Belgium abducerentur, vbi omnia in dies in peius ruebant. Et si *a* Sedes Apostolica cui hoc vnice interest, posset reperire aliquem concordandi modum, existimare in bonum ipsi cessurum, quemadmodum & alios multos tractatus perfecerit, ab Hispanis initio retectos, sed successu postea comprobatos, per experientiam huius maximæ: *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.*

a Hæc erant Epistolæ verba: *Se S. A. à cui piu importa, trouasse qual che maniera di comporre le cose sue suon certissimo che finalmente anche esse la tre varebbe no bonissima come altre cose contrattate da loro al principio & poi approuate nel fine doppo hauer la S. A. sola condutta bene con esperienza della regola, che: Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.*

Quum Rex esset Lugduni, Dux Sabaudiæ eodem misit Deputatos suos ad tractandum. Ipse Rex reuersurus in Galliam ob bellum in Picardia motum, reliquit totius negotij fidem Sillerio, qui adiunctis sibi Connestabili & Belleurio primario Regni Consiliario, conuenerunt cum Deputatis Ducis, ad placitum tamen Regis, vt Marchionatus Salutiarum, cum terris inde dependentibus, tentis & possessis à Duce, penes eum maneret perpetuo numeratis argenti summis, quas Dux promittebat ad certos terminos soluere & restitutis quibusdam locis ab eo retentis. Dux misit Baronem Armantium & Præsidem Rochettum ad Regem pro iurando & perficiendo tractatu. Ille mortuus est in via, hic bene acceptus fuit à Rege, cum promisso, propediem se missurum esse Mareschallum Bironum & Præsidem Sillerium pro exsequendo tractatu: non tamen posse prius consentire in exsecutionem, quam Dux ex sua parte satisfecerit promisso, quod licet in scriptis redactum non sit, Legatos tamen suos cum Legatis Ducis super eo conuenisse, nempe vt Dux declaret se Marchionatum Salutiarum à Regno Galliæ in feudum recogniturum. Rochettus respondit, se in mandatis habere eorum tantum ratificationem persequendi, quæ in scriptis acta sunt. Sillerius replicauit, hanc conditionem fuisse reseruatam. Itaque Rochettus re infecta domum reuersus est. Dux institit apud Regem vehementer orando, vt controuersiam hanc componeret. Sillerius redijt ad pontem Bellauicinum, vbi & Franciscus Comes Martinenguius nomine Ducis comparuit, sed de prima propositione ne apicem quidem mutare voluit. Ex hac difficultate nascitur & altera. Nam cum de ijs

Articuli accordati inter Deputatos Regis & Ducis Sabaudię mense Octob. 1595.

Conuentum fuit, vt Marchionatus teneretur à filio Ducis, qui Regi homagium faceret.

1599.

agеretur, quæ à Marchionatu Salutiarum dependere prætendebantur, Comes Martinenguius in iisdem comprӕhendere voluit Centalium & Castellodelphinum. vnde contentio orta est multo maior priori. Nam Sillerius demonstrauit, ea loca dependere à Gubernaturâ Prouinciæ: & Comes Martinenguius contra tenuit, inseparabilia esse ab antiquis dependentiis Marchionatus Salutiarum. Atq; ita factum, vt tractationis curriculum prorsus inhiberetur, postquã Sillerius declarauit, non posse se vlterius progredi, si Dux refragaretur Marchionatum recognoscere: Regem enim contentum fore vel simplicissima recognitione omnium, quæ fieri solent, generali excepta. Verum Dux existimans, conditionem hanc recognoscendi esse essentialem & præiudicialem, dixit, numquam sibi in mentem venisse, in eam consentire, nec consensurum vmquam. Habita deinde & tertia congregatio Suzæ, vbi Dux Sabaudiæ ad Sillerium dixit, se, vt daretur aliqua expeditio difficultatibus, conclusionem Tractatus impedientibus, staturum libenter iudicio arbitrorum, qui non essent suspecti in sinceritate perfectæ iustitiæ. Ea occasione Iacobus aliquot profectiones in Galliam suscepit. Rex declarauit, nolle se alium arbitrum, quàm eum ipsum, quem Dux ipse elegerit: dolere se vehementer, quod de Ducis voluntate sibi non citius constiterit, adeo desiderare se componi tandem aliquando cum Duce & cum omnibus vicinis suis, in totius, quæ sibi tantoperè recommendata & suæ curæ sit, Christianitatis commodum.

Plura recognitionũ genera sũt. Quæ vasallum reddit hominem ligium, debetur tantum Principi per omnia supremo, & est omniũ durissima. nam & feudum & ꝑsona obligantur.

Hoc sumtum est ex epist. Regis ad Ducem Sabaudiæ, 7. Iun 1597

Lesdiguerius tamen non cessauit à bello persequendo vsq; ad Pacificationem Veruinianam, in cuius Tractatu, articulo XXIV. dictum est, vt Pontifex Romanus iudicaret & arbitraretur controuersiam inter Regem & Ducem. In exsecutionem cuius articuli partes documenta & prætentiones suas apud Arbitrum insinuant. Dux †protulit ex archiuis Nicæanis & Sabaudicis titulos suos, quos in galeris Romam misit. Erat autem tanta multitudo, vt quatuor muli onerarentur. Reduplicandum tempus fuerat, si margines tantum inspici & extractus fieri debuissent. Monumenta, quæ Rex protulit, non quidem erant paria multitudine, sed maiora vtilitate & ad concludendum. Auditorium Theophrasti est maius & frequentius, sed Zenonis harmoniosius. Inter Documenta ex parte Regis producta octo erant valdè notabilia, collecta ab Illinsio primario Præside Parlamenti Delphinatus, & selecta ad sustinendum ius Delphini. Primum de anno MCCX. est Adelheidis Comitissæ Pedemontii, qua declarat se in feudum tenere Marchionatum Salutiarum, ab Hugone Delphino Viennensium patruo suo, & recepisse

III.

Adelheidis erat filia Vdalrici, fratris Hugonis Delphini Viennensiũ.

1599. piſſe inueſtituram. Alterum de anno MCCXVI. Thomæ Comitis Sabaudiæ, quo per apocham generalem Adelheidi & Manfredo nepoti renuntiat omnes prætentiones, quas aduerſus eos habere poſſet. Tertium de anno MCCXC. Amedei Comitis Sabaudiæ, quo litem intentauit Manfredo, filio & Vicario Thomæ Marchionis Salutiarum, de homagio ſibi faciendo, & iuramento fidelitatis, pro quatuor Marchionatus dominiis, Bargeo, Buſca, Bernazzo, & Sarnaſighio; ſed reſponſum tulit, Marchionem nihil debere domui Sabaudicæ neque pro illis dominiis, neque pro aliis. Quartum de Anno MCCXCI. quo Thomas ſequitur & ratificat declarationem Adelheidis Comitis Prouinciæ, & ſe declarat vaſallum & hominem Ligium Delphini Viennenſis ꝓ Marchionatu Salutiarũ. Quintum de anno 1243. quo Thomas Marchio Salutiarum homagium fecit Humberto Delphino. Sextum de an 1354. quo Thomas iurauit fidelitatem Ludouico Primo Regis Galliæ filio. Septimũ de an. 1363. quo Fridericus Marchio Salutiarũ, Thomæ filius, ratificat & cõfirmat omnia acta Patris ſui, tam cum Delphino, quàm dicto Ludouico. Octauũ de an. 1390. Caroli Regis Galliæ & Delphini Viennenſis, quo pronunciauit arreſtũ, per q̃ Marchionatus Salutiarum, excluſo Comite Sabaudiæ, Delphino adiudicauit.

Nulli ex his inſtrumentis non fuit contradictum. Legatus Ducis aduerſus primum proponebat, Adelheidem non potuiſſe eſſe Dominam Marchionatus, quæ faceret homagium, ſed Manfredum eius nepotem verum fuiſſe Principem ac Dominum. Aduerſus ſecundum, apocham Amadei non poſſe extendi niſi ad id, quod continet, nec intellegendam eſſe de prætenſionibus Marchionatus, de quo nulla prorſus facta fuerit enuntiatio. Aduerſus tertium, quatuor dominia, quorum Comes Amedeus voluit habere recognitionem, habuiſſe cauſſam particularem, tamquam data per ſententiam arbitralem anno MCLXIX. & refutationem à filio Marchionis factam eſſe ex ignorantia, & metu cadendi in aliquam præiudiciabilem nouitatem. Aduerſus quartum, quum declaratio Adelheidis fuerit nulla & nullius momenti, confirmationem eius non poſſe valere. Aduerſus quintum, Marchionatum non fuiſſe poſſeſſum ab eo, qui fecit recognitionem, nullamque eſſe inueſtituram feudi ſine poſſeſſione. Aduerſus ſextum, Marchionem, qui iam fecerat homagium Comiti Sabaudiæ, non potuiſſe idem pro eadem re facere Delphino. Aduerſus ſeptimum, Fredericum Marchionem fidelitatem iurauiſſe Comiti Sabaudiæ, ante & poſtquam iurauerit Delphino. Aduerſus octauum, quo

In ogni caso do vea dubitare di non far forſi qualche nouita ſenza participatione del Padre.

De hoc reſponſo Comitis Sabaudiæ loquitur Baldus Cõſil. 117.121.

Feudum non poteſt eſſe ſine poſſeſſione.

Gallia præ cæteris triumphat ceu arresto per os tanti Regis pronunciato, non potuiſſe eſſe arreſtum, quod non datum fuerit per formalia iuriſdictionis ordinariæ. Nam quum Rex ſe dixerit tantum ſimplicem arbitrum, non potuiſſe tamen iudicare vt Arbitrum, quippe in quem nullum factum fuerit compromiſſum, neq; conuentum vt eius iudicio ſtaretur; contradicente Comite Sabaudiæ & eum pro Iudice habere recuſante. Regem quoque, qui debuerit eſſe arbiter, defunctum fuiſſe, & ſententiam datam per eius ſucceſſorem, non conſentiente Comite Sabaudiæ de nouo in Arbitrum. Regem fuiſſe iudicem in propria cauſa. Imperatorem, vt ſupremum partium Dominũ, non approbauiſſe arbitrationem. Marchiones, qui poſt arreſtum inueſtituras à domo Sabaudiæ ſuſcepeperunt, ſatis declaraſſe, non approbaſſe ſe exſecutionem, adeo vt eo ipſo anno, quo arreſtum fuit pronuntiatum, Galeatius Marchio Salutiarum procurationẽ fecerit pro homagio Amadeo Comiti Sabaudiæ præſtando de omni re, quam teneret de eius ſuperioritate. 1599.

Nullus arbiter ſine compromiſſo.

Imperator interdixit Duci Sabaudiæ, ne procederet coram Rege Galliæ.

Procuratio 22. Nouemb. pro recognitione feudi. Galli contradicentes hiſce inſtrumentis oſtenderũt ea ſuſpecta & defectuoſa.

Dux Sabaudiæ produxit ſupra quinquaginta titulos inde ab anno M C L X I X. qui fuit iuris ſui ſcaturigo, vſque ad annum MCCCCXC. Erant magna ex parte recognitiones & infeudationes Marchionatus Salutiarum. Illud anni M C L X I X. quo tempore Bonifacius Marchio Montisferrati, tamquam arbiter controuerſiæ inter *a* Amadeum Comitem Sabaudiæ & Manfredum Marchionem Salutiarum, condemnauit Marchionem ad recognoſcendum Marchionatum pro feudo Sabaudiæ, & ei iurandum fidelitatem: & ipſum Comitẽ ad reddenda Marchioni quatuor dominia, Bargæ, Breſcæ, Bernazzi & Scarnafighii, & inſuper in ſummam ſexaginta mille coronatorum eidem Marchioni perſoluendam; erat fundamentale.

a Error eſt aut in nomine Amadei aut in tempore datæ Nam Amadeus II. mortuus eſt in Cypro an. 1148. & Humbertus filius ei ſucceſſit & regnauit vſq; ad annum 1200 Amadeus III. Comes Sabaudiæ, filius Thomæ, regnare cœpit an. 1230. & mortuus eſt an. 1246

Hæ recognitiones non videntur expreſſim factæ pro vniuerſo Marchionatu, ſed tantum pro certis quibuſdam terris. Nam poſt iſtam ſententiam arbitralem anno MCCXXXV. Manfredus Marchio Salutiarum recognouit, ſe tenere in feudum ab Amadeo Comite Sabaudiæ omnia ea, quæ generaliter teneret à domo Sabaudiæ, & ſpecialiter caſtra Bargæ, Breſcæ, Bernazzi, Scarnafighii, Fontanilis, Ruagliæ, cum hac adiectione, quod ſi vel ipſe vel prædeceſſores ſui tenuerint alia quædam dominia à Comite Sabaudiæ, & id compertum fuerit, ſe & illa ſimiliter recogniturum eſſe. Inde Thomas fecit pariliter recognitionem Amadeo Comiti Sabaudiæ Anno M C C X C I. Marchio Salutiarum præſtitit homagium pro quatuor dominiis Anno M C C C.

Recognitiones aliæ vniuerſales, aliæ particulares.

Amadeus IV. ſucceſſit Philippo patruo, anno 125. & mortuus eſt anno 133.

Fride-

1599. Fridericus Salutianus dono dedit Philippo Sabaudo Achaiæ Principi dominia Renelli, Carmagnolarum & Ranconisi anno 1324. & idem Philippus concessit inuestituram Friderico Salutiano & Thomæ eius filio anno MCCCXXX. pro qua ei homagium fecerunt: & tamen ingens controuersia inter eos propter recognitiones exstitit, quod Marchio Salutiarum nollet præstare ita generales aut expressas, vt Comes Sabaudiæ desiderabat. Vnde aliud compromissum factum in quatuor arbitros inter Amadeum Comitem Sabaudiæ & Iacobum Sabaudum Principem Achaiæ ex vna, & Fridericum Marchionem Salutiarum ex altera parte, à quibus transactum est anno MCCCLXIII. vt Marchio Salutiarum Marchionatum in feudum à Comite Sabaudiæ recognosceret, & vt subordinatè facerent recognitionem dominiorum particularium Principi Achaiæ, quemadmodum anteà recognouerunt. Hæc transactio confirmata fuit ab Imperatore Carolo IV. anno MCCCLXV. Et quia constitit, Marchionem Salutiarum homagium & iuramentum fidelitatis de Marchionatu præstitisse Luchino Duci Mediolanensi, anno MCCCXLVIII. & iterum Barnabæ eius successori anno MCCCLX. idem Imperator declarauit, eundem Marchionatum deuolutum & reunitum esse Imperio per feloniam, concessitque eum Amadeo Comiti Sabaudiæ. Verum, quia *a* Regalius est & Principi cõuenientius, donare & adiungere, quàm auferre & iminuere, Comissio non fuit exsecuta per efficaciam sententiæ formalis cum tali rigore, vt Marchio Salutiarum fuerit despoliatus possessione: & factæ sunt aliæ recognitiones, & anno MCCCLXXXIV. Thomas Manfredi filius Marchio Salutiarum recepit inuestituram generalem.

Ab eo tempore homagia & debita vassatica semper continuata fuerunt: Galeacius, Manfredus, Ioannes & Thomas Salutiani fecerunt recognitiones anno MCCCXC. Thomas Marchio transactionem accordauit cum Amadeo Comite Sabaudiæ, in qua se obstrinxit ad fidelitatem pro vniuerso Marchionatu Salutiarũ, renuntians omnibus actis in contrarium factis, atque adeo ipsi arresto anni MCCCXC. & quo magis declararet voluntatem & subiectionem suam, mandauit Antonio Tarnisino Secretario suo vt extenderet insignia Sabaudica super excelsissima castri Rauellani turri. Margarita Marchionissa Montisferrati, mater & tutrix Ludouici Marchionis Salutiarum accepit per Procuratores suos inuestituram Marchionatus Salutiarum à Duce Amadeo an. 1417. Idem scribit, Fridericum Marchionem Salutiarum ei bellum intulisse.

Philippus Sabaudus Princeps Morcensis

Amadeus VI. successit patri Amadeo V. admodum puer, anno 1342. & mortuus est anno 133. in bello Neapolitano.

a τὸ προσθεῖναι τοῦ ἀφελεῖν βασιλικώτερόν ἐστι. ARTAXERXES Plutarch.

Amadeus VII. Comes Sabaudiæ successit patri suo, anno 138. & mortuus est 1. Nouemb. 1391 Vanderburchius

Amadeus VIII. factus Dux ab Imp. Sigismun-

Dux

1599.

do, Monthueili anno 1417. Is est, q factus post Eremita in secessu Rumilliano, creatus fuit Papa, & nominatus Felix V. obiit anno 145.

Iolanda soror Regis Ludouici XI. tutrix Philiberti, successit patri Amadeo IX. anno ætatis quarto. Vanderburch. scribit, à Ludouico captum fuisse Ducem Carolum anno 1488

Amadeus IX. tertius Dux Sabaudiæ, filius Ludouici regnare cœpit anno 1466 obiit 1548

Dux diiudicans processum apud se motum inter Ludouicum Marchionem Salutiarum, & Manfredum, Ioannem, Galeacium & Vgolinum, omnes ex familia Marchionum Salutiana, sibi reseruauit cognitionem omnium controuersiarum, motarum aut mouendarũ, tamquam legitimus eorum Princeps & Iudex superior, anno 1429. Ludouicus Marchio Salutiarum iurauit fidelitatem Duci Amadeo, anno MCCCCLXVI. Idem procuratorium dedit Thomæ filio vt homagium præstaret eidem Duci an. MCCCCLXXIII. Et quum Parlamentum Delphinatense eum cogere vellet anno 1476. ad iuramentum fidelitatis Ludouico XI. Regi Galliæ faciendum, respondit, neque se neque successores suos recognituros alium superiorem, quàm Ducem Sabaudiæ: & dato responso statim homagium reddidit Iolandæ Ducissæ Sabaudiæ, matri & tutrici Ducis Philiberti. Ludouicus Marchio Salutiarum iurauit fidelitatem pro Thoma fratre suo, Carolo Duci Sabaudię anno MCCCCLXXXV. Idem, post omnes istas recognitiones, præstitit homagium super Marchionatu Carolo VIII. Regi Galliæ. Qua re motus Carolus Dux Sabaudiæ collecto exercitu eum Marchionatu Salutiarum expulit atque exsuit. Rex Carolus VIII. recepit in suam protectionem, & per tractatum inde factum in Ponte Belleuicino Marchionatus fuit positus in sequestrum Ludouici Marrafini Nobilis Galli, & ipsa controuersia in compromissum, quo pendente Ludouicus Sforcia, dictus Maurus, Dux Mediolanensis Marchionatũ occupauit. Dux Sabaudiæ, qui per eam vim omnino despoliatus fuit possessione, dicebat, id factum fuisse ex composito cum Rege, & anno MDLXXXVIII. Marchionatum iterum in ius ac ditionem suam redegit.

Rex summis quidem rationibus poterat totam hanc productionem infirmare, præter quod pleraque instrumenta visibilibus vitiis laborarent: tamen duobus tantum inexpugnabilibus argumentis niti voluit, Arresto contradictorio, & possessione hominũ memoriam excedente. Quare Legatus eius constanter vrsit possessionem, neque passus est se in disputationem de proprietate adduci, quæ confusionis & incertitudinis dædala esse videbatur. Nihil magis eum torsit, quàm leuitas, ne dicam infidelitas, Marchionum Salutiarum. Qui Prothei modo dicebant Marchionatum à nemine, quàm à gladio suo, dependere, nec se superiorem recognoscere præter solum Imperatorem, quippe descendentes ex domo Saxonica; modo dicebant se instituisse & fundasse Principatus Delphinatem, Pedemontanum & Mediolanensem. Veluti febricitantes, subinde

1599. lectum mutabant, nec poterant vllibi subsistere, accomodantes negotia sua magis tempori, quàm conscientiæ. Thomas Marchio Salutiarum recognouit mense Ianuario Anni M C C X C I. Marchionatum dependere à Sabaudo, & mense Aprili eiusdem Anni homagium fecit Principi Delphino. Alius Thomas Marchio Salutiarum petiit inuestituram à Iacobo Sabaudo, dominiorum Reneli, Carmagnoliarum & Ranconisi, anno M C C C X L V I I I. eodem tempore similem fidelitatē iurauit Luchino Principi Mediolanensi. Fridericus idem fecit, & diuisit fidem suam inter Amadeum Comitem Sabaudiæ & Barnabam Principem Mediolanensem, pro eodem Marchionatu. Ludouicus Marchio, quum fecit multas recognitiones feudales domui Sabaudiæ, etiam aliam præstitit Carolo VIII. Regi Galliæ. Ex duabus fidelitatibus vna tantum esse potest legitima. Vna sola victima non potest seruire duabus Deitatib. Per conditionem libræ & gladii, vna eademq; persona non potest iurare duobus fidelitatem pro vna eademq; re, quæ non potest teneri à duobus hominib. simul, vt duo corpora in duob. diuersis locis, adeo vt punctū non magis esse possit indiuisibile, quàm homagium, propter extremam difficultatem seruiendi duob. Dominis, quam infallibilis Dei sermo inter impossibilia ponit. Quum Legatus Regis diceret, de possessorio esse prius quàm de petitorio cognoscendum, & possessionem centum ac amplius annorum Galliæ esse debere pro titulo, etiamsi nulla alia caussa subesset: Legatus Ducis excepit, potentiam posse dare possessionem sine iure, & Ducem suum conseruasse ius suum sine possessione. Papam esse arbitrum omnium controuersiarum inter Regem & Ducem, quæ non dependerent nisi ab intellegentia Tractatuum præcedentium, vt constare posset, num Dux obligatus fuerit ad aliquam recognitionem & homagium Regi præstandum super Marchionatu. Legatus Regis replicat, disputationem de recognitione spectare ad proprietatem, de qua non possit tractari, nisi prius de restitutione iudicatum fuerit, & despoliatus in possessionem restitutus. Legatus Ducis subiecit, eadem ratione Ducem suum muniri, qui despoliatus fuerit per Regem Galliæ anno M C C C C X C. quum permissum sit despoliato rem suam vel per vim recuperare, quum despolians nullum habet supra se iudicem, ad quem possit despoliatus recurrere; neque esse *a* ex fide bona rem suam despoliatum restituere compelli ei, à quo violenter despoliatus fuit. Hinc nata scabrosissima & spinosissima quæstio iuris, vter duorum despoliatorum debeat restitui. An scilicet hæc regula intellegenda sit de locis munitis & pro-

[Right margin: Fridericus, duplex homagium præstitit, vnum Duci Sabaudiæ 5. Aug. 1363. alterum Delphino 2. Sept. eodem anno.]

[Right margin: Matth. 6. Luc. 16.]

[Left margin: *El poder pue de dar possession, pero no de recho.* ANT. PEREZ.]

[Left margin: *a* TRIPHONINVS li. 3 ππ. mandat.]

[Right margin: Regula de restitutione spoliati.]

pugna-

pugnaculis, & magni momenti, an possessorium separari debeat à petitorio, & plura talia. Interim agitatæ multæ subtilitates, multi discursus, didactici ex vna parte ad instruendum simpliciter, practici ex altera ad commouendum Iudicem, qui respiciens æqualiter rationes vtriusque Principis noluit rescindere ius vni, vt redderet alteri. 1599.

Legatus Ducis Sabaudiæ oculos circumferebat in omnes vt illi, qui metuunt fauores & calliditates suarum partium. Æstimabat *a* hostes Ducis sui omnes eos, qui non fauerent suis prætensionibus, sed difficultates quasdam opponerent. Legatus Regis longè aliter procedebat: per diligentiam nimirum indefatigabilem, secretum inpenetrabile, pruden iam, & facilitatem, qua sibi conciliabat animos, eosque tenebat ceu catenatos lingua sua, tamquam Hercules ille Gallicus. Interim Galli, qui Romæ erant, dicebant, satis superque & nimis esse litigatum, nec par videri vt Papa condemnet tam magnum Regem in gratiam tam parui Principis: diiudicandam causam esse tormentorum ignitorum ictibus in medio Pedemontii. Vt isti ferociebant superbis verbis, ita & Sabaudi rationes suas scriptis publicarunt, & maximis amplissimisque libris editis euincere conati sunt, IV. regulam illam de restituendo despoliato non practicari inter Principes neque pro Principatibus. Galli † semper perstiterunt in veritate contrarii, volebantque vt, antequàm cognosceretur de proprietate Marchionatus, fiduciaria eius possessio Regi adiudicaretur, vt vltimo possessori, & qui annos amplius centum in possessione pacificè fuerit. Vrgebant instanter finem negotii & admodum ardenter ac affectuosè, *b* quippe qui mallent sine mora absolui, quã languere in remediorum longitudine. Hispani protelabant, quantum poterant, decisionem processus, quibus videbatur disputatio magis proficua quàm definitio causæ, & morbus vtilior quàm sanitas.

a ὁ ὑπουργῶν φίλος μάλιστα, καὶ ὁ ἀντιστὰς ἐχθρός: *Amicus est qui inseruit, & qui aduersatur inimicus.* APPIANVS.

b *Odi lenta remedia & segnes medicos nam mori strenuè quàm tardè conualescere malo.* D. ALEX. QVINTVS CVRTIVS.

Tempus arbitrationi destinatum transibat inter istas moras & difficultates, peræquè ingratas Papæ quàm Gallis qui quamuis non minus Zeli ad conseruandam concordiam haberet, quàm animi & vigilantiæ ad exstinguendam discordiam, tamen libenter desiderasset insuper haberi hoc arbitrio, propter offensiones, quas incursurus esset, & de quibus facilis coniectura erat. *a* Facile est enim computare futurum ex his quæ olim euenerunt. Papæ nihil aliud semper studuerunt, quàm vt amici essent suorum amicorum, & cauerent inimicitias vicinorum: & quamuis potentes sint, &

a εὐμαρῶς ἐστι συλλογίσασθαι τὸ μέλλον ἐκ τῶν ἤδη γεγονότων. POLYB. l. 9

Papæ amici sunt suorum amicorum.

1599.

vtantur, quum volunt, modo clauibus S. Petri, modo gladio S. Pauli, tamen Principes Italiæ vtcumque parui, hostes tamen eorum facti satis sunt magni. Metuunt tamen eos offendere. Nam eorum *b* potentia adeo magna est in Italia, vt nihil moueri ibi possit, nisi ipsi se motibus misceant. Ea experta fuit tempore Alexandri VI. Iulii II. Leonis X. Clementis VII. Pauli III. & Iulii III. Quorum postremus destruxit pacem Italiæ, & conturbauit vniuersam propemodum Europam. Et Paulus III. compluribus auri millionibus in Regem Hispaniæ expensis, reliquit memorabile exemplum inconuenientiarum, quæ in Christianitatem redundant ex electione mali Papæ, qui ex communi patre se reddit partialem; & ruinarum, quæ Italis perferendæ sint, si Pastor cogitationes suas ad bellum magis quàm pacem, & diuisionem magis quàm concordiam conferat. Itaque vt olim gentiles sacrificia obtulerunt quibusdam Diis, vt essent fauorabiles ac propitii, aliis vt ne nocerent, eodem pacto consultissimum esse Principibus Italiæ videtur, tam præsentibus quàm futuris, vt benè semper cum Papis conuenire studeant, siue bonis siue malis. Vice versa Papis quoque non minus benè consultum videtur, vt semper facere amicos nitantur, nec tentare statim quæ potentia dictat, imitantes Solem scilicet, qui quo tardior procedit, eo est altior.

b Papæ potentes sunt in Italia. tenent. n. totam Cãpaniam, bonã partem Tusciæ, Vmbriã, Ducatũ Spoletanum, Ducatum Ferrariensem, Ducatum Viterbiensẽ, Peragram, Boloniam, Romaniã & Marchã Anconitanam, quæ omnes sũt bonæ Prouinciæ, & producunt præstantissimos totius Italiæ milites.

Papæ nimium se rebus ingerentes periculosi.

Bona intellegentia Papæ ac Principum Italiæ.

teste Plutarcho.

V. Papa † igitur, qui nollet per arbitrii sententiam vni aut alteri parti occasionem dare conquerendi super iustitia sua, admodum anxius ac sollicitus erat de rationabili sententia inuenienda: quod res exemplo careret, & *a* periculosum sit iis de rebus, de quibus leges nullæ exstant, aliquid decernere. In duobus istis extremis, vt aut possessionem Marchionatus iudicaret volente Rege, aut eandem petitorio coniungeret petente Duce, medium hoc reperit, vt Marchionatus sequestraretur in manus suas, vt personæ neutralis, fieretque depositarius donec per arbitrationem vni aut alteri parti adiudicaret. Hoc fuit argumentum Legationis F. Bonauenturæ Calatagironis Generalis Franciscanorum, nuper aucti dignitate Patriarchatus Constantinopolitani, qui Lugdunum transiit comitatus Roncasio Secretario Ducis. Mira res videbatur plerisque, vt prolongatio arbitrii peteretur, quum *b* non differendarum litium, sed tollendarum caussa ad arbitros eatur. Vulgo dicebatur, Patriarcham Constantinopolitanum non tam acceptum Gallis fuisse quam Generalem Franciscanorum. Nam non modo obtinuit à Rege, inuito licet Consilio, vt Marchionatus depositus maneret in *c* potestate Papæ, vt personæ, quæ nullam in eum habeat præten-

a DEMOS. aduers. Androcionẽ. Propositio sequestri.

b CELSVS in l. quamuis, D. de recept.

c *Depositi hæc est potestas, vt*

sionem,

1599.

alij non Domino sua ipsius res quasi aliena seruanda detur. TRIPHONINVS li. 31. π. mandati.

sionem, sed etiam prolongationem arbitrij in duos menses. Dux quidem malebat, vt per depositum sibi spes possessionis conseruaretur, quam vt sine spe recuperandi despoliaretur: sed Galli maluissent sententiam definitiuam, quam sequestrum. Nam tametsi nulla res subsit dubitandi de fidelitate depositarij, tamen nimium fidendo caditur in magnas intricationes, & tam *d* occultum & insidiosum malum est perfidia, vt vulnus citius quam factum deprehendatur, quum nec videri nec præuideri potuerit ictus impactus. Etiam id metuebant, ne si Papa moreretur, & alius in eius locum sufficeretur minus affectus erga pacem Christianitatis, & primarium Christianorum Regnum, (quemadmodum multi *a* Cardinales, postquam in sedem S. Petri eleuati fuerunt, ex simplicibus & moderatis, vt videbantur, facti sunt contrarij, & voluptatem capere quæsiuerunt ex collisione & attenuatione omnium totius Christianitatis virium) Gallia non minus laborare cogeretur de re sua ab Depositario vindicanda quam ab vsurpatore. Verum Legatus Regis eos ab eiusmodi cogitationibus auertit, & depositi negotium ita dextre peregit, vt in meliori statu poneretur, quam Consilium Regis sperare debuerat. Magnum se hominem eo in negotio ostendit, neque aliter poterat, si voluit Domino suo fidelis esse in re tam magna & excelsa. *b* Vt res perexiguas maximi facere, pusillanimitatis cuiusdam & inscitiæ est, ita res maximas non humiliter neque lentè tractare, magnanimitatis, generositatis & prudentiæ.

Punctum perfidiæ inuisibile.

d VAL. MAXIMVS lib. 9 cap. 6.

a Innuuntur Papæ Bonifacius IX. Sixtus IV. Iulius II Leo X. & Iulius III. qui à bellis numquam cessauerunt.

Honores mutant mores.

b Æschin. Epist. 5.

Diffidentia, quæ nihil inquisitum relinquit, & prudentia, quæ semper capit aliquem fructum ex actionibus contrarijs, fecerunt vt ministri Ducis non bene vterentur occasione, quam in manibus habebant. Dux concepit aliquam suspicionem de Comite Arconatio, quasi Mediolanensis esset, putauitque eum magis sequi intentiones Hispanorum quam suas. Ea de causa Turinum redire iussit, sub prætextu quod eum missurus esset in Hispaniam. Quemadmodum non omnes arbores propriæ sunt ad vineam faciendam, ita non omnes homines capaces ad rem magnam gerendam. Et vt vasa non melius probari possunt, quam per liquorem infusum, ita quoque capacitas ingenij humani apertius cognosci nequit, quam per inculcatas animo eius ab alijs opiniones. Qui Arconatio in Legationis officio successit, totum negotium perdidit, dum nimis faciliter persuasiones aliorum animo affigeret, nimisque inconsiderate effutiret, & *a* lingua magis quam pede laberetur. Nam visitans Cardinales, quos æstimabat fauere Regi Hispaniæ & Duci suo, nihil aliud ab eis audiuit, quam opinari se, exitum

Inconsideratio perdit omnia.

a κρεῖττον ἐστι τῷ ποδὶ ὀλισθαίνειν ἢ τῇ γλώσσῃ. DEMOC. apud Stob.

1599. negotij non fore talem, qualem speraret: cæteros autem Cardinales quibus alia mens erat, criminari Consiliarios Ducis, qui Dominum suum implicarent exspectatione iudicij tam ancipitis & parum honorabilis: & summum, quod inde sperare posset, esse inimicitiam maximi Regis, qui semper ob oculos habiturus sit tantam iniuriam, & quod de re sua litigare tantum temporis coactus fuerit. Galli suffuderunt & alias subtilitates, quo persuaderentur Sabaudi, nihil eos peius sperare debere quam sententiam arbitralem, vt hoc modo consilium caperent rumpendi Arbitrij. Nam quia & depositum habebant ingratum, & existimabant non esse ex dignitate Gallorum tam longos sequi processus per viam iustitiæ, quum expeditiores habere possent per viam armorum: clandestinos rumores seminarunt, quasi Depositarius possessionem retenturus sit eo in statu, vt, vbi visum fuerit, ostensurus aliquando sit, depositum ad se pertinere, sibique bene conuenire cum Rege, & intentionem suam esse, constituere aliquem ex suis nepotibus Marchionem Salutiarum Regni Galliæ feudatarium. Metus aut potius imprudentia Legati eum eo vsque in hanc suspicionem immerserunt, vt tenere iudicem pro suspecto cœperit, Ducique suo scripserit vt apprehenderet æque Depositarium quam Regem. Et quamuis in hoc negotio intentio Papæ fuerit vere comparata, vt lignum nauis Argonauticæ, quod neque aqua neque igni corrumpi poterat, putauit tamen propter frigidum Papæ processum, vera esse quæ ferebantur, nec credidit tantum simpliciter, sed existimauit animi abiecti & ignaui esse dissimulare, proditorij tacere; Papam adijt, eique dixit, Ducem suum sperare sententiam certam de eius Sanctitate pro conseruanda sibi possessione Marchionatus, tamquam pro re sibi à prædecessoribus suis relicta, & qua spoliatus per vim fuerit à potentiori, & postea oblata occasione in tempore recuperarit. Debebat hîc subsistere. Nam Papa, qui sciebat grauitati Iudicis conuenire, ne temere aperiat motus & affectus suos, tantum ei respondit, non relicturum se diu vtrosque Principes in hac disputatione, nec desiderare vt cursus felicitatum, quarum vtriusque subiecti sibi fructus pollicentur ex duratione Pacis, rumpatur. Verum vt facilius est tenere carbones ardentes supra linguam, quam verbum præmeditatum, Legatus, qui erat suspicionibus abreptus, subiecit, quod si eius Sanctitas sententiam latura esset pro Duce suo, passurum eum vt eius Sanctitas de re

Imprudentia & indiscretio confundit & turbat seipsum.

iudicata disponeret, qui non minus erga eius Sanctitatem affectus sit, quam vllus alius, vt voluntatibus eius obsecundaret, sicubi placeret Marchionatum pro aliquo ex nepotibus suis ab eo recipere. Papa, qui dextre incedebat, indignatus propter oblationem tam contrariam animi sui integritati, in analogia iustitiæ, quæ haud permittit, *a* vt impune nobis liceat quod alicui eripuerimus, id alteri tradere, dicit ad Legatũ, numquã sibi eius rei in mentem venisse, & ad tollendam omnis suspicionis occasionem, abdicaturum se hoc iudicio, neque se porro ingesturum vel arbitrio vel deposito. 1599.

a CIC. in Verrem li. 2. orat. 7.

Ita passim Romę credebatur arbitrium esse Ruptum, & consensum depositi esse reuocatum. Gallis nulla iam cura erat, spondentibus sibi ipsis se iustitiæ gladio posse ius dicere. Dux volebat vt res per aliam quam Consistorij formam ageretur: sibique proposuit alium modum, per quem emergere ex hac turbatione posset. Nam appræhendit omnes longitudines, sententiam præter spem suam, bellum ingens pro exsecutione. Legatus Hispanus, qui Romæ morabatur, noluit vt Dux Sabaudiæ solus tractaret suum negotium, neque vt controuersia Marchionatus Salutiarum esset in ipsius sola dispositione interesse dicebat Regis sui: ideo æquum esse vt primum mobile horum motuum fiat. Quare Papam orauit, ne relinquere vellet rem imperfectam, nec grauate prosequi opus tam feliciter inchoatum pro bono vniuersali totius Christianitatis, & in quo fere iam persistat concordia vtriusque Regis, quæ non posset diu durare, nisi tollerentur omnes belli occasiones, quæ nasci possent ex controuersia Marchionatus Salutiarum.

Admodum difficile erat perspicere clarum in tanta artificiorum varietate. Qui gerunt tam magnas negotiationes, oculos passim circumferre debent. nam quorum oculi non prospiciunt, nisi in vno solum loco, sicut *a* Crocodili, qui hebetes oculos dicuntur habere in aqua, extra, acerrimi visus, sæpe falluntur. Sillerius ostendit in hoc negotio magna specimina clare videntis intellegentiæ. In continenti sensit, Hispanos nihil aliud quærere, quam vt tempus protraherent. Quam magis illi iudicium differebant, tam magis ipse vrgebat; & quam minus illi volebant de possessorio agi, tam magis ipse repræsentabat iniustitiam, dum toleretur vsurpator in possessione, & lege agat pignoratus.

a PLIN. li. 8. cap. 25.

1599.

Qui considerare voluisset omnia argumenta, quibus Galli vtebantur ad adstruendam auctoritatem huius actionis, ea reperisset infinita in constitutionibus Canonicis, Imperialibus & Iure Gentium. At quæ sumebantur ab exemplo & proprio interesse partium, erant longe validiora. Namque Sillerius dicebat, in Pacificatione anni M D L I X. Regem Henricum II. reddidisse Duci Sabaudiæ plurima loca, & consensisse vt possessio restitueretur sine præiudicio prætentionum, quas sibi in ea reseruaret.

Tractatio Cameracensis.

Hæc conditio restituendi possessionem ante omnia iudicata fuit esse fortis, iusta & necessaria, inter prædecessores horũ corundem Principũ.

In eadem Pacificatione Regem sibi reseruasse iura in ditiones à Duce Sabaudiæ possessas, qui Dux nullam sibi prętentionem reseruarit in Marchionatum Salutiarum, in cuius possessione Rex quam plurimos annos fuerat: atque ita quod reseruatum non fuerit, habitũ fuisse pro iudicato & terminato per dictã Pacificationẽ.

In Tractatibus postea consequenter factis, & iam dictæ Pacificationis exsecutione, *a* Valentini, *b* Fossani & *c* Thurini, diuersis temporibus, Marchionatum Salutiarum semper recognitum fuisse in omnibus & per omnia ad Regnum Galliæ pertinere.

a 3. Nouẽbr. *1560.* *b.* 2. Nouemb. *1562* *c* anno 1574.

Post obitum Mareschalli Bellegardi, quum Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ, quo peruenire posset ad certa quædam accidentia, vti dicebat, castrum Carmagnoliarum & alia quædam Salutiarum loca cepisset, postea Rex Marescallum Retium ad hunc ipsum Ducem misisset, iussisse eum in continenti Capitaneos & milites ex præsidijs excedere, in quæ à patre missi fuerant, ipsaque loca dispositioni Regis restituisse.

Eundem Ducem statim post occupationem Marchionatus & vsurpationem litteras sua manu perscriptas ad Regem & Reginam matrem dedisse, quibus eorum Maiestatibus significarit, id à se factum nullam aliam ob causam, nisi vt Salutias conseruaret, & impediret ne ab Huguenotis Delphinatibus occuparetur. *Quicumque sub amici nomine alterum fallit, is meo iudicio* (ait Xenophon) *multo est quam qui fallitur, turpior.*

Eadem perscripsit ad Sixtum V. Papam, & omnes Principes ac Magnates Italiæ.

VI.

Argumenta † Ducis nullo genere paria erant cum istis: vt clare perspiceret, si Papa vellet sententiam pro se dare, non satis ex iusto & æquo fore. Allegationes in contrarium similes esse videbantur filio Neptuni Ephialti, qui singulo quoque mense staturæ suæ dimidium pedem crescendo adijciebat, donec altitudine corporis nubes superaret, in quibus fuit consumtus: ita illæ moriebantur in nubibus opinionum. Constituit res suas solus agere, & post infinitas displicentias ab Hispanis acceptas resoluit apud se in Galliam ire.

1599.

Est vanitas & incertitudo in astrologia iudiciaria: sed dum recordor ea, quę Nostradamus & Lucas Gauricus prædixerunt de morte Henrici II. decem annos antequam contingeret, non possum non obstupescere.

Relinquamus illũ interim in sumtuoso illo apparatu ad iter instituendo, & videamus quid in Gallia rerum gestum sit. Ferebatur de morte Ducissæ Bellefortis antequam de eius morbo sciretur.

VII. Discessit † Fõtebellãdo, initio hebdomadę sanctę, Parisios versus, vt ibi sanctos dies perageret. Harioli, quos fere ocium & curiositas Aulæ semper alit, infantem impediturum, quo minus ad sperata pertingere possit. Quidam ex illis mihi dixit & simul ostẽdit genethliacon, quod super eius natiuitate supputauerit, asserẽs, id esse infallibile, Dei tamen manum esse supra fatum. Ego magis credebam quam ille: sed videns Ephemerides loqui de morte Celsissimæ fœminæ, eosq; considerans veritatem in plurimis rebus prædixisse, cœpi has dubitationes committere prouidentię æternę. Inaudiuerat ipsa aliquid de hac re, & in ea appræhensione veniam discedendi à Rege petijt, & tamquam certa numquam eum reuidendi commẽdauit ei liberos & absolutionem domus Monceacensis, & recompensationem ministrorum suorum. Commendatio liberorum principaliter spectabat ad Ducem Vandomium, quem vnice amabat, & quem constituerat euehere ad perfectissimam virtutis institutionem, & in tempore, sciens, neminem vmquam peruenisse *a* ad virtutem summam iam maturum, nisi qui puer seminario virtutum generosiore concretus aliquid inclytum designarit.

a Flau. Vopiscus in Probro.

Quum Parisijs esset, die Mercurij in ecclesiam S. Antonij concessit ad audiendam Musicam, vbi cœpit inuadi doloribus, qui eam non prius quam vita reliquerunt, exstinxerunt infantem in ventre, eamque conuulsionibus adeo crudelibus vexarunt, vt os in colli occipitium retorquerent.

Rex, qui eam vehementer amabat, non potuit dissimulare mœrorem quem ex eius morte percepit. cuius sensus *b* recrudescebat in animo, quotiescumque aliquem ex ministris eius videret, quem post casum istum necdum viderat, & qui solebat circa eam esse. Si Rex magna specimina sui erga eam amoris viuentem dedit, longe maiora in defunctam exhibuit. Neq; etiam præcipuum amicorum munus est prosequi defunctum ignauo questu; sed quæ voluerit, meminisse; quæ mandauerit, exsequi. Triangulus & animus non sunt capaces recipiendi alias figuras quam triangulares: amor non recipit aliam rem, quam amorem.

b *Oculi augent dolorem, qui ea quæ cæteri audiunt, intueri coguntur: nec auertere à miseris cogitationem sinunt.* Cic. lib. 6 Epist. fam.

TACITVS.

Hæc excellentissima pulchritudo, in cuius cõparatione cæterę pulchritudines exstinguebãtur, quemadmodũ quęlibet corpora ardua & excelsa procerioribus admota decrescunt, in vno momento perijt. Hic flos cõtra ordinem aliorum, qui deflorescunt omnes

PLIN. Panegyrico.

1599. ſeptenis diebus, non celerius, quidam tardius, ſed nulli pluribus bis ſeptenis, vt ait *a* Plinius, exaruit & decidit mortua intra duas aut tres horas. Defecit nimis cito illis, qui experti fuerāt fauorem eius eſſe magnum inſtrumentum accedendi ad Regem. Multa ſcripta ſuper eius morte prodierunt, vnde apparebat magis eam à priuatis quam publico deſideratam fuiſſe.

a lib. 16. cap. 25.

Mors eam abripuit in ea ætate, in qua quæ volunt reputari pulchræ etiam poſt fata, deſiderari debēt mori ante exſtinctionem florentis pulchritudinis. Nam quæ moriuntur vetulæ pariter cum memoria eius, quod fuerūt, abeunt. *Quemadmodum* enim *b ex amphora primum quod eſt ſinceriſſimum effluit, grauiſſimum quodque turbidumque ſubſidit: ſic in ætate noſtra quod eſt optimum, primum eſt.* Nec de pulchritudine earum magis memoratur, quam de flamma, quæ cadit in cinerem, poſtquam omnia ea, quibus fouebatur, conſumta & combuſta ſunt: aut quam de floribus, qui *c* donec florent coloremque obtinent, ſunt ſpecioſiſſimi: at ijdem arefacti marcidique, poſteaquam coloris decus abiecerint, deformes minimum videntur. Erat illa vna ex tribus pulchritudinibus, quibus ſimul viſis, dicebatur de prima, eam eſſe pulchram; de altera, fuiſſe; de tertia admodum puellula, fore. Dux Sabaudiæ valdequam triſtabatur ob eius obitū. Verum vt afflictiones domeſticæ, quæ Principibus contingunt quātumuis à publicis ſeparatæ ſunt, tamen non minus penetrare & excruciare ſolent. Moleſtia, quam perceperat iam rebus vndique ſuis in deterius ruentibus, aucta inſuper fuit morte fratris Philippini à Crequio in duello interfecti.

b SENEC. Epiſt. 109.

c LVCIAN. in Dialog.

Magno† labore honor acquiritur, maiori cōſeruatur, maximo recuperatur ſemel perditus. Dū loquor de honore, nolo vt intelligatur vanitas illa, quæ tantū eſt *a* ventus opinionis, ſtultos homines inflans vt inanes vtres, imago vana, fallax, pompoſa, vagabunda & incerta: ſed de reputatione bellicarum & virtuoſarum actionum, quarum honor eſt *b* recompenſatio & dulciſſima nutrix. Et quamuis fulgor tantum ſit & radiatio luminis virtutis, quæ nomen ſuum trahens à viribus & generoſitate homine dignis, non poteſt obſcurari per actionem nomine ſuo indignam, quin ſtatim ægre ferat viuere. Inter cauſas, quæ honoris ſplendiditatē dehoneſtant, prima & omnium turpiſſima eſt dicere aut committere aliquid metu mortis: ſecunda, pati & ſufferre contumeliam, iniuriam & indignitatem: tertia mendacij inſimulatio. Et quemadmodum verruca magis apparet in facie, quam alia corporis parte, ita etiam minime maculę, quę conſpiciuntur in hominibus auctoritate prę-

VIII.

Vanitas puncti quod appellant honoris.

a SOCR. apud Stob.

b *Virtutis vberrimū alimentum eſt honor.* VAL. MAXIM. lib. 2.

Parua peccata magis apparent in magnis.

ditis, eos magis deformant. Hæc rigorosa obseruatio puncti (quod appellant) honoris comprobauit duellum tam memorabile, siue conditionem personarum spectes, siue formam & circumstantiam conflictus, siue originem dissidij quam vllum hoc sęculo exstiterit. Dissidia nõ semper fundamẽtis nituntur rationabilibus. Huic dissidio nullum erat aliud, quam contemtus, quem Philippinus recepit ex eo, quod ad eũ referebatur, Crequium, post occupationem c parui propugnaculi à Sabaudiæ Duce iuxta Chamussetum exstructi, vt transitum tueretur exercitui, venditasse, se mitellam eius habuisse. Audiui tamen eam non Philippini, sed Baronis Chanuirei fuisse, propugnaculi S. Catharinę Gubernatoris, qui ibi occubuit. Nam Philippinus mitellam non gestare nisi armatus solebat, & eo venerat inarmatus & vestibus tantum nudis indutus, vt spectaret laborantes in propugnaculo. Aliquantis post mensibus Philippinus, eam venditationem in præiudicium honoris sui vergere, eũ euocauit. Crequius in loco per euocationẽ destinato cõparuit: sed euocans retentus fuit mandato Ducis. Brandisi Comes, qui & ipse simulabat duellãdi desideriũ, mandari iussit Desdiguerio Generali exercitus, quod si placeret spectator esse duelli inter Philippinum & Crequium ipsius generũ, fore vt & ipse haberet quocum parem ludum ludere posset, seq; affuturũ vt cum eo congrederetur gladium suum tentaturus. Interea Crequius captus est, contendẽs in succursum Carbonariarum. durante eius captiuitate, dissidium adeo incruduit, vt, si liber fuisset, vel Thurini non dubitasset illud diffinire. Namque ignis vindictæ ita euaporauit, vt existimaretur non posse exstingui nisi sanguine alterutrius. Postquam Pacificatio in Delphinatu publicata fuit, Philippinus eum euocari curauit Gratianopoli, & congressi sunt iuxta Baraldi propugnaculum, vbi euocans in fœmore vulnus accepit. Hic congressus, qui sufficere poterat exstinguendo dissidio, causa fuit alterius longe grauioris. Nam ad Ducem perlatum est, Crequium venditare, fudisse se sanguinem Sabaudicum. Quibus verbis Dux vehementer offensus, b Philippino non obscure significauit, ni tantam iniuriam vindicaret, numquam se eum pro eo habiturum, quem hactenus habuerit, neque in conspectum suum admissurum.

Edictum, quo Rex interdixit duella sub pœnis non modo in bona statutis, sed etiã in vitæ æstimationẽ sancitis, nõ permittebat vt cõflictus in Delphinatu haberetur, ne forte exemplũ eius qui Gubernatoris gener est, alios quoq; in contemtum legis pertraheret. Quare conuentum est, vt duellũ fieret in ditione Sabaudica, infra

1599.

c quod captum fuit à Desdiguerio mense Iulio 1597.

Hæc euocatio Comitis Brandisii habita fuit nimis temeraria, & responsum, quod accepit, fecit vt temeritatis suæ tandem pœniteret.

b Cuius mater præ indignatione crepuisset, quod eum in mundum produxerit, si viuẽs vidisset eũ tantam iniuriam perferre.

1599.

S. Andreæ oppidũ, quod ſpectat ad Comitiſſam Antremontanam, in ripa Rhodani, in camiſia & *a* pedibus; qua conditione duellones animoſiores fere vti cõſueuere. Duelliones vſuros gladio tãtum & pugione. Baronem Attignacum ſecundaneum fore Philippini, & Buiſſiũ Crequij: alios, prçter iam dictos, in deſtinato loco nõ comparituros, & *b* exitum pugnantiũ mortem fore: duodecim Nobiles in finibus Delphinatus affuturos, & totidẽ in Sabaudiæ, qui præſto ſint ad auferẽdum corpus interfecti, aut impediendũ ne qua vis fiat victori. Duodecim autem Nobiles in Sabaudię finibus tanta diſtantia abfuturos à loco duelli, vt Delphinatibus in transnauigando fluuio tempus dari poſſit, eodem momẽto ſe cum illis ad locum ſiſtendi; quæ diſtantia menſurata fuit per curſum caballi à ſeſſore agitati, qui ex loco duelli currere cœpit eodem momẽto, quo nauis terrã ſoluit. Diu diſputatum fuit, an ſecundanei etiam confligere deberent. Nam Buiſſius dicebat, non ſe eo profecturum, niſi pariter dare aut accipere auderet: quod qui ad talia ſpectator tantum ſimplex vt ſit, accedit, aut animo aut audaciã delinquatur. Duellionibus tamen viſum fuit, *c* ne ſecundanei ſe miſcerent deciſioni fortunarum ſuarum.

a Duella equeſtria non ſunt tam commoda nec animoſa, vt pedeſtria; & ſæpe euenit, vt equus victoriam paret minus valido & timidiori.

b SENEC. lib. 1. epiſt. 7.

c Iniuſtum & turpe eſt in protectionem honoris tui, aliam virtutem aut fortitudinem, quam tuam ipſius, impendere. MONTAGNES.

Die aſſignato vterq; ſe in loco deſtinato ſtitit. Morgius trãſito Rhodano, perſcrutatus eſt locũ, an inſidię laterẽt, aut comitatus eſſet maior, quã conuentus fuerat. Secundanei viſitarunt arma vtriuſq; duellionis, veſtimentaq; eorum & vtrumq; paſſim excuſſerunt, ſi forte carmina aut incantamenta ſecum haberent.

Buiſſius admodum vrgebat Philippinum, vt progrederetur, eique dicebat, velle ſe eos aut in noctem mittere, aut craſtino mane partem ſuam reducere, etiamſi præter lætitiam & viriditatem nihil haberet conſpiciendi hoſtem ſuum. Sed in eiuſmodi occaſionibus oportet, vt Secundanei valere ac æſtimari faciant animos ſuorum amicorum, quo debilitent & ſtupefaciant, quantum poſſunt animos inimicorũ. Eadem ſtratagemata, quę permiſſa ſunt in prœlijs generalibus, comprobantur etiam in pugnis priuatis: inter quæ, ad perterrendum inimicum, primarium eſt, vt animoſitas eius diffametur. Quare Buiſſius in itinere Philippino commemorabat tot ſpecimina audaciæ & roboris in Crequio, vt ſatis eſſe viderentur ad eum conturbandum & percellẽdum. Inſuper quũ è longinquo Crequium in prato conſpexiſſet, ſubito exclamauit: Noſter eſt, noſter eſt. Philippinus tamen nihil moueri viſus eſt, oculos immotos & cor impauidum geſtans, ad eumque conuerſus dixit: Quare tam male de me ſuſpicaris? Non non, reſpondit Buiſſius; ſcio te eſſe

Difficultates, quas Philippinus in conditionibus reperiebat eum amplius duas vel tres horas retardarunt.

animi

1599.

animi ingentis & generosi: sed rem habiturus es cum furiosissimo totius Galliæ gladio, vnde ego certum mihi interitum tuum spondeo.

Omnino Buissius nihil obli:us est eorum, quæ hac in re officium amici, quod latius patet quàm iuris regula, præstare possent. Scio ego, & perpauci sunt, qui id me melius sciant, Buissium, si Crequius interfectus fuisset, aut Philippinum & Attignacum occisurum fuisse, aut ipsorum manibus casurum. Belerius ipsius frater cognoscens eius animum, & audaciam, in ripa Rhodani morabatur, præstolans duelli euentum, deliberato animo traiiciendi cum equo, & consequendi partem aut gloriæ aut periculi. Qui vtriusque animum cognitum perspectumque habuit, dicet, alterum amici sui nimis fuisse, alterum fratris amantem. Philippinus in locum ingressus, ex iudicii sui puritate & claritudine statim animaduertit hostis sui stationem & meliorem conditionem, quippe qui Solem à tergo haberet. itaque exclamauit: Domine Buissi, partire Solem. Et volens ipse partitionem facere, irruit in Crequium tanta cum impetuositate, vt spectatores dubitarent de exitu duelli, eum videntes semper inter petitiones Philippi frustratas. Primus iste furor hoc tantum effecit, vt Crequius extra pratum, Philippinus extra halitum pelleretur. Crequius resolutus non cum ira suadet, ferire, sed cum occasio, passus est impetuositatē istam ꝑterire, & notata occasione gladio corpus eius tam rigidè confodit, vt cadentem terræ affigeret. Iacenti dixit, vt gratiam vitæ à se peteret: verum nec ipse eo in statu erat vt se ad hanc petitionem humiliare posset, neque in Crequii potestate erat eius gratiam facere, quod ictus esset lethalis, & omnes ab se stantes clamarent, vt eum iterata plaga absolueret, frustrà pro vitâ supplicante Attignaco. Crequius, interfecto Philippino & relicto regressus est trans Rhodanum cum duodecim Nobilibus, qui ex constituto obuiam procurrerant.

Resolutio Buissii & Belerii fratrum.

Duellum inter Philippinum & Crequium 2. Iunii 1599.

Crequius prior in locũ ingressus hosti suo Solem in facie reliquit.

Dux pœnituit mandati Philippino dati, & fortè religione ductus ex Confessoris sui consilio, vt reuocaret mandatum, in cuius exsecutione periculum versaretur duarum vitarum & perditio duarum animarum, ablegauit cursorem, qui duellum interdiceret. sed is venit nimis tardò, & duabus demum horis post factum. Crequius Deo gratias egit pro victoria aduersus hostem suum impetrata, nec passus est sibi ab amicis consuetas gratulationes fieri, eosque rogauit ne eius facerent mentionem, quamuis gloria fuerit ingens inimicum suum in terra hostili vicisse. Philippinus domum reportatus fuit. Monachi Petrocastellani denegarunt ei sepulturam iuxta canones & sanctiones politiæ Ecclesiasticæ, quæ tenent eos in hoc

1599.

Quinctil. Declã. 274

ſtatu mortuos pro deſperatis & ſui ipſorum homicidis. Nec enim ſatis putauit Eccleſia eas pœnas conſtituere, quas poſſit aliquis excipere in vita: multos magis tangit ſepultura, & ad cogitationem poſt ſe futurorum pleriq; grauius mouentur.

IX. Sed † nec Eccleſiæ interdictum, nec Regis edictum, nec priuatio ſepulturæ, nec metus perditionis bonorum, potuerunt inhibere extremam hanc inſaniam & brutalem duelli furorẽ, quibus in media pace multi præſtantes ex equeſtri ordine abſumuntur, quos in bello mors non aggredi auderet. Et quidem propter querellas malè fundatas, quæ nec Dei honorẽ, nec Regis officium, nec defenſionẽ patriæ ſpectant, ſed tantummodo Zelotypiã aliquam propter amicam, aut ſermonẽ benè intellectũ malè vero interpretatũ, aut denique exprobrationẽ vitii valde ordinarii: quemadmodũ natura hominũ comparata eſt, vt magis offendatur imperfectionib. naturalib. quã aliis defectibus; & iniuriæ *a* natiuitatis atq; originis p̄ cæteris ſe pſentent in lingua maledici, ſtatim animã & corpus peſſumdare ſatagit. Quotienſcumq; Rex conatus eſt impedire crudelẽ & ſanguinariã hanc licentiam, ſemper compertũ fuit, interdicto magis accẽdi quã inhiberi duella: & ego ſanè perſuaſiſſimus ſum, permiſſionẽ duelli, vtcumq; iniuſtã, vtiliorem eſſe prohibitione. Permiſſio hebetat ſtimulũ, quem ꝓhibitio acuit. *b* Princeps Melſitanus dum conaretur licentiam duellandi in exercitu Regio conſtringere ac tollere, neceſſitatem impoſuit. Audiui ex Cancellario, qui nunc ſigilla Regia cuſtodit, ſi Rex libertatẽ permitteret, fore vt nõ amplius de duellis audiretur. Non enim amplius facere gratias cogeretur, & relinqueret punitionem iuſtitiæ.

a Vide Plutarch. initio libri de Inſtitut. liberorum.

b Princeps Melſitanus Capitaneus generalis in Pedemõtio, coëgit querulos & mendaciorum temerarios inſimulatores, congredi ac pugnare cum aduerſariis in ponte intra quatuor lanceas, ſub periculo decidendi in aquam ſi retrocederẽt.

Cancellarius Belleurius.

X. Quemadmodum † inimici Regis impedierunt Romæ, quo minus ad recuperationẽ Marchionatus Salutiarũ peruenire poſſet, iiſdem artificiis etiam apud Heluetios laborant vt res Regis turbarẽt. Iam diu olim cognita fuit Regis Hiſpaniꝗ inuidia erga Galliꝗ Regnũ ꝓpter fœdus generale, quod cum tredecim Heluetiorum pagis habet, dum è longinquo quæreret partem fœderis ad ſe pertrahere. Noſtri Reges ſemper obſtiterunt, nec vmquam potuit eo pertingere vt Rex Hiſpaniæ, ſed tantum vt Archidux Auſtriæ propter *c* fœdus hereditarium pro ſtatu domus Auſtriacæ. Itaq; quum ſub regno Caroli IX. Regis, Rex Hiſpanicus peteret ad fœdus admitti, Belleurius Legatus Galliæ, animaduertens, Heluetios Catholicos fermè eſſe perſuaſos vt nouam amicitiam præferrent veteri, illis repræſentauit ingentia auxilia quæ à Regno Galliæ habuerint, pro affirmanda illorũ libertate; econtra quomodo domus Auſtriaca cun-

c primum fœdus cũ Heluetiis factum an. 1367. confirmatum 1401. & renouatum 1554.

1599.

ctas vires suas cōgregarit ad eandē exstinguendā: meminsse deberēt, nō nimis esse confidendū fœderi domus tam offensæ, *a* in qua etiā num sanguinent vulnera cædis trium Principū ab eis interfectorū. Non ignorare se, Regem Hispaniæ, vt ex domo Austriaca descendētem, nō habere in animo hereditaria fœdera cum eis tenere; & propterea magnitudinē eius & prosperitatem illis debere esse meritò suspectā, quia vt extimescenda non sunt incrementa potentiæ eorum, de quibus optimè meriti sumus, ita metuenda econtrà sunt inimicorum. Hæ remonstrationes tam viuaciter penetrarunt in eorum persuasionem, vt tum temporis Legatus Hispanicus re infecta discedere coactus fuerit. Verum post motus vltimi belli ciuilis in Gallia, Rex adeo occupatus fuit rebus in Regno gerendis, vt impossibile fuerit cogitationes in res externas distrahere. Proprii subiecti tantum ei negotii dederunt, vt non potuerit respondere spebus fœderatorum. Quæ opportuna fuit occasio Regi Hispaniæ ad rem suam in Heluetia constituendam, & ad ludum vincendū, quum nullum haberet oppositorem. Et, quemadmodū amicitia ob pecuniam facta, cum eadem absumpta consumitur, ita quū coronati Gallici non præsentarentur in Heluetia, Hispanus seminauit tantum ducatonū per minores Pagos, vt suffocarent omnes priores sementes florū Lilii Gallici, adeo vt ipsa Gallia videret Heluetios contra Heluetios, & Pagos contra Pagos; illos reddentes debitum Regi & fœderatos, hos armatos aduersum eius seruitia vt stipēdiatos Regis Hispaniæ. Quū viderent pensiones suas nō repræsentari, Capitaneos & Coronellos suos nihil accipere eorū, quę debebantur, quinq; minores Pagi strictius arctiusq; sese cum Rege Hispaniæ obligarunt; & Coronellus *a* Phister, qui in magna apud eos auctoritate erat, eos induxit, vt oculos suos cōiicere cœperint in solem ab Indiis orientē, persuasitq; obliuisci veterum amicorū, contra *b* regulam patriæ ipsius, q̄ dicit, vinum vetus, veterē monetam & amicos veteres esse supra omniū rerum, q̄ in orbe sunt, pretiū. Pagi maiores & potentiores tamē semper firmi perstiterunt in amicitia Regis: & quemadmodū Sol nō intermittit radios sui luminis ex trauerso nubium & nebularū proiicere, ita & illi nō desiuerunt monstrare vel in spissiſſimis tenebris vltimarum turbarū, & quū antiqua fidelitas nō amplius resplenderet viuas illas flammas affectionis, quā habuerunt erga bonum huius Regni

Prudentia Bruslardi apparuit in turbulento isto tēpore, vt boni naucleri pbantur in vehementiſſimis tempestatib. Namq; cōseruauit seruitiū Regis præter omnem exspectationē, in medio voluentium turbarū, & quum Rex pro sceptro lanceam, pro Regia tento-

Tres Principes Austriaci ab Heluetiis interfecti: Leopoldus Dux, Albertus Imperator, vterq; Austrius, & Carolus Burgundus.

Minores Pagi Catholici fœderati cum Hispano.

a Coronellus Pfifer, Scultetus Lucernensis, maximæ existimationis apud minores Pagos, primus eos in fœdus Hispanicum induxit.

a Heluetii bella gesserunt cum Leopoldo Duce Austriæ in pugna Sēpacensi interfecto: cum Alberto Imp. iuxta Rhenum cæso: cum Maximiliano Imp. quo cum octies congressi sunt in octo prœliis, & octo diuersis locis. STVMPF.

Caspar Phister (leg. Pfifer) Lucernas.

b Alte Freund / alter wein vnd alt Gelt / führen den preyß in aller welt.

Silerius Legatus apud Heluetios.

rium,

1599. rium, pro fide ſpem & ius legitimum Regalitatis haberet. Verè dici poteſt, præſtitiſſe maximum Galliæ officium in hac Legatione, & obſtupuerunt vel prudentiſſimi, quomodo potuerit conſeruare affectiones horum populorum, qui tum ſuſtentarentur tantum ſolis prudentiæ eius verbis; & quomodo potuerit continuare tam longi temporis ſpem in ipſiſſima communi deſperatione rerum Gallicarum. Non minus ea in re præclare meritus eſt de Gallia, quàm *c* Varro quondã de vrbe Roma, à qua gratiarum actiones publicitus accepit, quod de Republica non deſperaſſet, quum poſt cladem Cannenſem omnia erant deſperata. Verum cum Heluetii viderent totam Galliam redactam in Regis poteſtatem ac obedientiam, patientiam cõuerterunt in querimoniam, & palàm minari cœperunt, niſi promiſſa efficerentur, quibus contenti fuerint, quamdiu vidiſſent in Regis poteſtate non eſſe ea exſequi, venturos ſe vltro & vi petituros eſſe. Durante obſidio *a* Ambianenſi, quidam Capitaneus ex minoribus Pagis, qui vſurus occaſione temporis & extremi ſtatus rerum Regis, ſuis propoſuit conſilium valde audax, ad ſolutionem extorquendam. Regnum erat adhuc plenum infidelitate, Rex peſſimè habitus ab vna parte ſubiectorum, vires Hiſpanorum valde potentes, & Hiſpania iam admodum progreſſa in Galliam, adeo vt ſi voluiſſent exſequi, quod propoſuerant, noſter Cæſar non tam facile eos repuliſſet, vt quondam ille Iulius. Fecit itaque, quod potuit, vt argentum pro illis componendis conficeret, & Curia Parlamenti comprobauit quædam Edicta, quibus ærarium erat deſtinatum pro eorum ſolutione, velut edictum de reunione officiorum ad domanium Regni, de marca coriorum, & de gubernatione opificum. Capitaneis & Coronellis ad exſecutionem ſeſe præparantibus, Legatus ſuſtinebat populum verbis quàm blandiſſimis & ſpe maxima, qua nihil eſt efficacius ad rumpendam impatientiam impetuoſam, & ſubleuandam hominum laſſitudinem. Communicauit eis conſilium Regis ſuper reſtabilitione ſtatus Regni, & ſoluendo ipſorum debito.

c LIVIVS lib. 22.

a an. 1597.

Cæſar li. 2. de Bell. Gall.

Edicta cõprobata de prouentib. ad ſolutionem Heluetiorum deſtinatis.

Morfontaine.

Nihilo tamen minus Rex illis pecuniam miſit; ſed quum non eſſet tanta, quantam exſpectauerant, & maxima pars pertineret ad eos, qui vltimis bellis Regi meruerant, magis auxit cæterorum inquietudinem & querellas, in tantum vt ſub initium huius anni Morfontanius Legatus Regis munere Legationis ſe abdicarit, & in Galliam *a* regreſſus ſit. Qui cogitabant fructum aliquem ex eius diſceſſu capere, vndique ſparſerunt, eum fuiſſe neceſſitate & vi uetiis factorum intercederet.

Pecunia Heluetiis miſſa 19. Iun. ſub conductu Gubernatoris Lugdunenſis anno 1598 promiſſo.

a vt pro præſtatione promiſſorum Hel-

coactum; verum ipsemet de se & suæ sponte de discessu deliberare cœpit, arbitratus eum fore in vsum & commoditatē Regis, offerens se vltro ad hoc iter & ad satisfaciendum illorum postulatis: animo tamen euitandi & auertendi magnam Legationem, in quam eum Rex destinare volebat, & in qua non potuisset tam commodè agere quàm in ipsis locis. Et Heluetii statim reditum eius vrserunt, post quem non diu mortuus est, & sepultus Soloduri splendidè ac magnificè, cum Epitaphio, quod ei confeceram. 1599.

Matrimoniū Ducissæ Bellefortensis cum Rege.

Dum in Gallia de matrimonio auditur, quod tamen in sola opinione & spe consistebat, & de quo prouidentia diuina longè aliter disposuit, Hispania sese parat ad immensa gaudia pro consumatione duorum matrimoniorum, quæ hactenus per difficultatem transfretandi retardata fuerunt.

XI.

Etiam summè † maximi in orbe coguntur sæpe tempus tempori dare, eiq; committere desideriorū suorum complementū. Eorum potentia, vtcūq; maxima & absoluta, nihil potest efficere, nisi tempus sese illorū voluntatibus accomodet, eamq; ꝓmoueat aut retardet iuxta comoditatem destinationū cuiusq;. Nam si potuisset fieri, Regina Hispaniæ non tam diu morata fuisset in Italia: desideriū videndi Regem Philippū III. ei conciñasset alas, quibus vno remigio Ferraria Vailladolitū ꝑuolasset. Verū coacta fuit Mediolani subsistere, donec vernū tēpus comoditatem soluēdi attulisset, & nauigandi. Genuā peruenit initio mensis Martii, ibiq; nauem cōscendit, appulitq; feliciter Tholoni inde apud castrū Ifziū cū quadraginta galeris.

Regina Hispaniæ discessit Mediolano mense Februario, Parmam versus, & inde Genuam.

Rex mandauerat, vt Massiliæ reciperetur quam honorificentissimè, vt par cōueniens erat & magnitudini eius q recipiebat, & eius q̄ recipiebatur. Dux Guisię obuiā ꝓcessit, vt ingressum in vrbē offerret, verū illa recusauit. Archidux Albertus visitauit ecclesiā S. Victoris, & cū eo Dux Aumallius, & primarii Curię Principes, excepto Andrea Doria. Hispani obstupescebant, ꝙ illis liceret tam liberè Massiliam ingredi, & ꝙ à Gallis tam humaniter tractarentur, ne minimo quidem bellicæ aduersitatis indicio dato. Soluit ea ex castro Ifzio, tempore sereno & malaco, ꝙ tamen cōtinuo secuta fuit tempestas valida, q̄ iactauisset eam in Sympleiadū tesqua, quæ Rhodanus facit in mari, vbi exoneratur, nisi prudentia Doriæ & in nauigando ꝓuidentia in tempore ꝓuidisset. qui cognoscens locum & periculū, & dubitans de inconstantia temporis noluit vlterius ꝓcedere, inconsultis nautis; quorum tamen consiliū vel certissimum erat incertū. In hac argumentorū deliberatione, nauclerus quidam monuit, vt cauerent sibi ne longius ꝓcederent: nam minus duab. horis ventum contra-

Dux Guisius Reginam in castro Ifzio salutatum processit. quæ illum die, quo venerat, apud se retinuit propter maris tempestuositatem.

Prouidentia seruat à periculo.

1599

Κρείττων ἡ πρόνοια τῆς μεταμελείας: *Melior est prouidentia quã pœnitentia.* DION. HALIC. lib. 11.

rium fore,qui eos rectà proiecturus esset in ipsum periculum, quod euitare conarentur. cuius verbis Doria fidem adhibuit, etiam contra quorundam opinionem, & aëris apparentiam; nec exspectare voluit, vt aquarum vi ac violentia cogeretur periculosam resolutionem subire. Ideo se in securitatem subduxit. Tempestas exorta est citius quàm nauclerus prædixerat. Iam Massiliæ clamabatur, cunctos periisse: nec opinio vana fuisset, ni Doria credidisset id, quod vel prudentissimi credere non poterant. Periculo præterito, Regina persequitur nauigationem vsq; Barsilionem. Inde ad Regem misit Principis Auraniæ filium, à quo de tota itineris ratione certior redderetur. Eodem tempore Marchio Denianus ad eam veniens retulit de desiderio Regis, qui impatientia videndi eam motus in continenti Monuedram procurrit. Pompa ingressus eius in vrbem Valenciam adeo magna erat, & tot singularitatibus curiosis coru scans, vt earum narratione mihi supersedendum sit, ne historiam Hispanicam scribere in Gallica videar.

Nihil est discredendum cum opiniositate.

Archidux perducta Barsilionẽ Regina p equos cursores Valenciã contendit, ad videndum Regem & Infantem, & inde Madritiam ad salutandã matrẽ Imperatricẽ.

Matrimonium, quod per procuratorem in benedictione Papæ tractatum fuerat, & in præsentia tantum sponsæ, confirmatum & ratificatum fuit Valenciæ per vtrumq;, & sponsum & sponsam, in benedictione Nuntii Papalis. Quo facto Rex & Regina perrexerunt Vailladolitum, vbi Rex collocauit Curiam suam ad exemplum Caroli V. Imperatoris, aui sui; & non Madritiæ, quæ post obitum Philippi II. Regis ferè in desertũ redigi cœpit. Rex † Hispaniæ post consummatas nuptias totum se paci constituendæ addixit, & Regni negotia Consilio suo committens, separauit se ab omnium Hispaniæ Principum conspectu, ne vel videat vel videatur, præterquam à Marchione Deniæ, quem Lermæ Ducem constituit. Postq̃ sceptrum tenere in manib cœpit, euertit opiniones hominũ de se cõceptas, monstrauitq; plus se vigoris habere, q̃ pleriq; existimauerint. Quod deest eius ætati, superest Consilio, cui cõmisit totius Regni negotia. *Aut Principẽ prudentẽ esse oportet, aut vti consilio prudentũ*, ait Imperator. Nõ rectè fecisse pleriq; videbatur, quod se totũ Marchioni Deniæ, quẽ Lermæ Ducẽ cõstituerat, dediderit. Principes Hispaniæ, nõ sufferentes tam inæqualem distributionẽ fauorũ Regis in vnum hominẽ, & indignantes communem hunc solem duobus tantum oculis allucere, & largifluum fontem aquas spargere ad vnum modo reficiendũ, formarunt ingentes querelas, & eo magis quod vxor eius euecta fuit in primarium apud Reginam dignitatis gradum, ad quem primariæ tantum & summæ in Hispania familiæ adspirant: & impossibile est, vt tam magnam & subitam prosperitatem nõ aggre-

XII. Populus Madritianus repræsentauit libellum supplicem Regi Hispaniæ, p Curia in vrbem suam reducenda, & sede Maiestatis suæ reponenda vbi patris erat.

Basil. Imp in Exhort

diatur

diatur inuidia. Exinde † natæ sunt querimoniæ, murmurationes, & licentiæ, quibus linguæ & pennæ elegantioris ingenii otium amant fallere. Eæ querellæ omnib. modis, quibuscũq; querulantes potuerunt, publicè propositæ sunt. Per statuas repræsentarunt initio Regni & auspicii Regis; & in ingressu eius Madritiam, locata fuit statua Iouis globum orbis humero gestantis, & medietatem eius in Philippi humerum deponentis, cum subscriptione, 1599

Diuisum Imperium cum Ioue Cæsar habet.

Sub Iouis statua legebantur hæc verba à manu incognita: *Hic est Dux Lermæ.* Etiã Pasquilli ꝓponebantur. Rex Hispaniæ orauit Papam, vt sibi cõcederet decimam bonorũ Ecclesiasticorum, p̃ter consuetudinarium vectigal, ꝙ Regibus ex bonis illis penditur. Metus, ne Papa cõsentire nollet, fecit vt in portis Palatii Vailladolitani scriberetur: *Papa inclemens, Rex innocens, Dux insolens.* Circumferebantur & literæ confictæ & sine nomine tamq̃ sine subiecto, nec aliud quid præter inscriptionem continentes. Rex quum aliquando à deambulatione rediret, reperit in mensa sua epistolã signatam cum hac supscriptione: *Philippo huius nominis Tertio Regi Hispaniæ, nunc in seruitio Ducis de Lerma exsistenti.* Cursor, qui pertulit, nõ fuisset sine responso dimissus, si voluisset exspectare. Rex prudens, nec ignarus *a* nihil esse ꝙ citius faciat euanescere eiusmodi rumores q̃ cõtemptus, necꝙ magis exsuscitet & vegetet q̃ sensus & indignatio, inspecta epistola risit. & ad Ducẽ Lermæ cõuersus dixit: Vide q̃d de nobis dicatur. Nec silebatur in theatris & scenis publicis. Acta Vailladoliti tragœdia: in qua interloquebãtur Rex, Coñestabilis Castiliæ, Dux Lermę, & populus. Argumentũ erat, querimoniæ de iniuriis Lermæ Ducis. Catastrophe, mors Ducis membratim à furibũdo populo discerpti. Introducebãtur & stulti, q̃ circa Reges ideo esse consueuerunt, vt veritatem dicant, & in ruborẽ dent prudentes eam dicere nõ audentes. Quidã pyrricharius saltator transiens inter Regem & Ducẽ Lermę, impulit in hunc ita duriter, vt eũ titubare fecerit, ac dixerit: Bene te pedib. teneas; nam si semel cecideris, numquam resurges. Rex, audito hoc sermone, & sibi dictũ putans, subiecit statim: Cademus ergo vterq;. Principes, qui ad pyrricharii factum ridebant, confusi obstupuerũt ad Regis responsionẽ. Vniuersa Hispania admirabatur eius fortunã; & felicissimi iudicabant, sub eodem planeta nascendũ esse ei, qui ad similem felicitatẽ peruenire debeat. Sed ne beatissimorum quidem vllus facile potest dicere quamdiu talis est futurus: & tandem magni & immensi Principum fauores damnosi fiunt ipsis, qui fauentur. Falsum est, quod quidam dixit, appropinquandũ ad Reges esse vt ad ignẽ, non nimis longè, ne frigus cõtrahatur, nec nimis ꝓpe, ne

Es ell' Marque de Denia.

a Carmina Bibaculi & Catulli referta cõtumeliis Cæsarũ leguntur. sed ipse D. Iulius, ipse D. Augustus & tulere ista & reliquere, haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia. Nam que spreta exolescunt, si irascare, adgnita videntur. COR. TACIT.

1599. comburat: ignis eſt eiuſcemodi fauor, qui vtcumq; luceat comburit. Aulici aduolant & ſe incendunt, vt papiliones. Verum hic prudens eſt, qui vtitur tamquã fonte, & tantum bibit quantũ neceſſe eſt ad ſitim præteritam, præſentem & futuram exſtinguendã: at prudentior, qui non imbibit huiuſmodi fauores, more canum Nili aquam prætereundo & currendo lambentium, ne ab inuidiæ & zelotypiæ crocodilis deuorentur.

XIV. Archidux,† poſtquam Reginam Regis coniugem in Hiſpaniam perduxit ac ſtitit, recepit ipſe Infantem coniugem ſuam, vt eam perduceret in Belgium, & cum ea acciperet poſſeſſionem prouinciarum, ſibi à Rege in dotem datarum. Petita venia à Rege, Regina & Imperatrice matre, rediit per mare, quo vſus eſt adeo ſecundo ac proſpero, vt intra octodecim dies Barſilione Genuam appulerit: inde Papiam conceſſerunt, vbi Ducem Parmenſem obuiam habuerunt: inde Mediolanum, quo Papa ad eos ſalutandos miſit Cardinalem Dietrichſtanium, qui ſanctitatis ſuæ nomine Archiduci gladium, & roſam auream Infanti obtulit, munus ordinarium Paparum ad commonendos eos, qui recipiunt, vt cogitent, quemadmodum nihil citius tranſit & flacceſcit quàm roſa, nec quidquam durabilius nec incorruptibilius eſt auro, ita poſt vitam hanc tranſeuntem, caducam & mortalem perueniri ad immortalem ſine morte & corruptione. Mediolano digreſſi Rhætos verſus iter inſtituerunt per montem S. Gothardi: tranſierunt Vriam & Lucernam, vbi à Republica donati ſunt boue ſaginato craſſiſſimo quatuor feris tracto. Animus quidem Archiduci & Infanti erat tranſire per Comitatum Burgundiæ & Veſontionem, ſed negotia Belgica eos coëgerunt Baſileam petere, Alſatiam & Lotharingiam, vbi Dux eos recepit & tractauit ſplendidiſſimè. Gubernator Metenſis nomine Regis eos in vrbem inuitabat, & declinantes cum equitum turma eos comitatus eſt vſque ad confinia Lucemburgenſium. Sub finem menſis Auguſti, Ordines Brabantiæ miſerunt Deputatos Niuellum, vbi illis vota & ſeruitia ſua offerrent. Hallæ aliquandiu pauſauerunt, vbi Cardinalis Auſtriacus ad eos venit, vt rationes Gubernationis ſuæ redderet. Inde Bruxellas ingreſſi magnificentius & ſumptuoſius recepti fuerunt, quàm olim ipſe Rex Philippus. Sed omnia tamen, quæ facta ſunt in cunctis Belgii ciuitatibus, nugæ videntur, ſi cum iis pompis comparentur, quæ ingredientibus Antuerpiã exhibitæ fuerunt, vbi renũtiati ſunt ſacri Imperii Marchiones.

Inde digreſſi viſitarunt cæteras omnes Belgii ciuitates, quarum quæque cæteris ſplendidior haberi voluit & ſumptuoſior.

Papæ quotannis Dominica quarta Quadrageſimæ roſam benedicunt, quam deinde Principiſſæ alicui dono mittunt.

Dux Lotharingiæ excepit Archiduces Nancæi tanta magnificentia & ſumptuoſitate, vt ipſi Hiſpani admirarentur.

Andreas Cardinalis Auſtriacus, Archiducis Ferdinandi filius, fuit Belgii Gubernator in abſentia Archiducis Alberti.

ſior. Conſumpſerunt in ea viſitatione quod reliquum erat anni 1599.
& tres integros menſes anni ſequentis. Et quia nulla prouincia eſt in Europa, vbi negotiationes & mercaturæ plus exerceantur, in omnibus ſubiectis vrbibus confirmarunt immunitates mercatorū, prohibueruntque ne merces nouis impoſitionibus onerarentur, non ignarus, propter auaritiam Ducis Albani, qui mercibus decimam impoſuit, ad defectionem omnes prouincias cōmotas fuiſſe. conducibilius erat libertates adaugere: & Princeps, qui ſtudet ſubditos habere opulentos, non poteſt eſſe pauper, ſi illi ſunt diuites. Belgium, vt vt in magnis motibus & turbis fuerint, tamen honorem & laudem commerciorum præ cæteris omnibus totius orbis prouincijs conſtanter retinuerunt: ita incredibili cura & annituntur vt conſeruent; & cuſtodiunt mercatoribus omnibus ac ſingulis ſecuritatem & libertatem inuiolabiliter. Omnes merces ibi gratæ habentur: eo peruehuntur opera manufacta ex omnibus orbis partibus, omne genus monetarum ibi valorem obtinet, inueneruntque libras groſſas, quas appellant, vt in ijs accommodare poſſint omnes extraneos nummos ad pretium monetæ patriæ. nullum opificium ſub Sole eſt, quod apud eos non exerceatur: nullus bonus operarius aut artifex eſt, qui nō priuilegijs eorum attrahatur, & commoretur in omni libertate, adeo vt forte non immerito hæc prouincia dici poſſit Europæ Perua, ſi tot menſes in pace viueret, quot annos in bello triuit. Sperabatur vt Iſabella, filia eius Principiſſæ, quam Europa appellabat Reginam pacis, fieret Columba, quæ apportaret ramum oliuæ in ſignum, quod magna illa ſanguinis diluuia præterierint, ſed extemplo declarauit, non poſſe ſe conſentire in pacem & libertatem conſcientiarum. In alijs rebus omnibus recognoſcebatur eſſe Principiſſa generoſa, plena pietatis & clementiæ; admirata in lumine virtutum non minus quam in ſplendore & fulgore honorum, quibus afficiebatur. Semper ei miniſtratur ſplendentibus facibus, & geniculantibus miniſtris. æquum eſt, vt ſeruitia, quæ Regibus impenduntur, diſtinguantur ab aliorum. Fax accenſa ſignum fuit præſentiæ Regis *a* apud Perſas. Quę conſuetudo cum alijs quibuſdam pompis poſtea etiam ad Romanos tranſijt, quamuis vnus tantum ex omnibus Hiſtoricis *b* eius rei mentionem fecerit, vbi nimirum deſcribit honores, quos Commodus Imp. ſorori ſuæ exhibuit, eam in ſede Imperiali collocans & facem ante eam portari mandans. Idem ſcribit, eundem Martiam concubinam vt Principiſſam tractauiſſe, excepta face, quam noluerit ei præferri: & Pertinacem Imp. in Senatum euntem

Immunitas mercatorum.

Nullus Princeps pauper eſt, qui ſubiectos habet diuites.

Iſabella Valeſia, mater Iſabellæ Auſtriacæ appellata Regina pacis.

a Xenophon.

b Herodianus.

1599.

recuſaſſe honores Imperatoribus exhiberi ſolitos, præterquam facem quæ ſibi præferretur.

Relinquamus Archiduces in bellicis conſilijs, & redeamus in Galliam, vt videamus quomodo Rex in ea pacem plantet. Qui omnes cogitationes ſuas eo conuertit, vt profectum ſubditorum ſuorum quæreret, ad eos replendos commoditatibus, quibus per bella fuerant exinaniti. Ea propter † cōſiderans, maximam populi partem morari otioſam & inutilem, eo quod non inſtrueretur in artibus & opificijs omnium maxime neceſſarijs ad commercia, quia opera manufacta, quæ fieri debebant in regno per Gallos, apportabantur & vendebantur per extraneos, principaliter panni ſerici, aurei & argentei, puri vel mixti, ſub pœna confiſcationis, vt hac ratione Galli ſeſe darent omni mercimoniorum generi quorum apportatio erat interdicta.

XV.

Quemadmodum Turonenſes mercatores enixe ſollicitabant & vrgebant hoc interdictum, ita è contrario Lugdunenſes apud Regem per non contemnendas demonſtrationes agebant vt impediretur. Illi dicebant, ſi non amplius permitteretur inuectio mercium manufactarum, fore vt manufactura in ipſo regno operaretur: qua bene ordinata & ſtabilita, productum iri commoditates ſufficientes ad alendum quinque millia hominum Gallorum, *a* & aurum atq; argentum, quod in ſpecie extra regnum exportetur cumulatim, manſurum eſſe in regno. Hi vero demonſtrabant, hoc interdictum in cauſa fore vt Regi ad minimum medietas vectigalis Lugdunenſis periret, vt nundinæ ruituræ ſint, & eis ruentibus ipſa ciuitas Lugdunum pariter ruitura, quippe quæ *b* ædificata & fundata ſit pro negotijs & commercijs Europæ, nec vmquam florentior exſtiterit, quam poſtquam ab exteris frequentari cœpit, per quos aliquando tam pecunioſa reddita fuerit, vt ibi Reges noſtri magnos ſuccurſſus in rerū ſuarū neceſſitate inuenerint, & ſæpe debuerint ſex vel ſeptē milliones auri tā incolis quam mercatoribus nationum extranearum. Præterea Reipubl. ſtatui intereſſe vt hæc vrbs conſeruetur, quum ſit munimen ac propugnaculū à parte Regni debiliſſima & hoſtium inſidijs apertiſſima. Deniq; plurimos extraneos, qui pace conſtituta volebant in vrbe Lugdunenſi trapezam & negotiationem inſtituere, retractos eſſe propter famā, qua dicebatur manufacturas extraneas interdictum iri: & ſi vrbs à mercatoribus relinquatur inhabitata, metuendum eſſe, ne occaſio detur minorum artificum voluntati tempore pacis inſolenti, & in turbis impatienti, ſemper deſiderandi aliquas nouitates, quippe

a Exiſtimabatur pecuniam, quæ ex manufacturis ſericis & alijs, quæ extra Regnū exportantur, cōficitur, in anno ad ſeptem milliones coronatorū & quod ex currit colligi: ſed contrarium probatum fuit per regiſtra Doanæ Lugdunenſis.

b Qui dubitat an vrbs Lugdunenſis exornata & ditata fuerit per commercia extraneorum, is recordetur quod ante principalia Vrbis loca non fuerint habitata, & carnariū fuiſſe extremū pontis, & in altera parte nullas plateas aut domos fuiſſe.

† Ex modis ditandi Galliam & remittendi in priorem felicitatē, vnus habitus & hic fuit, ne mercibus manufactis in regnum aduectio permitteretur, neue lanæ, cannabis, plumarum & chartarum purarum euectio concederetur.

Hæ rationes ſumptę ſunt ex Diſcurſu B. Thomæ Secretarij Ciuitatis Lugdunēſis, quem hac ſuper re edidit.

quibus nullum maius cordolium sit quam præsens interdictum. 1599.

Rex non obstantibus his demonstrationibus voluit vt Edictum publicaretur, & Ducissa Bellefortis multum in ea re prestitit. Rex defunctus idem tentabat, & audiui ex primarijs eius Consiliarijs, ipsi hoc valde rationabile visum fuisse: sed euentus tandem docuit, non fuisse tempus eiusmodi interdictis vtendi, & antequam inuectio panni serici exotici impediatur, necessum esse vt prius sit vnde in ipso regno conficiatur. Quare hoc Edictum fuit reuocatum in ingressu *a* Reginæ in vrbem Lugdunensem.

a in cuius gratiam Rex reuocationem concessit.

SVMMARIVM

TERTIÆ NARRATIONIS.

I *Notabilis impostura cuiusdam virginis quæ se esse Dæmoniacã simulabat.*
II *Capuccinus Monachus Mediolanensis Regem monuit de quodam attentatore in eius personam ac vitam.*
III *Requisitio iurium & debitorum ad Regem pertinentium in Langedoccia.*
IV *Impositio solidi in libram.*
V *Querela mercatorum propter erectionem noui vectigalis in vrbe Delphinatus Viennæ.*
VI *Commoratio Regis apud Blæsas, & querimoniæ ibi ad eum delatæ à Rege Hispaniæ & Archiduce.*
VII *Mors Philippi Huraldi Cancellarij Galliæ.*
VIII *Pomponius Belleurius Galliæ Cancellarius.*
IX *Reformatio & nouum regimen Cancellariæ.*
X *Marchionissa Bellinsulana se reddit monialem in monasterio Feuillantino.*
XI *Commissarij missi per prouincias Regni ad exsequendũ Edictũ Nannetense.*

TERTIA NARRATIO.

IAM mille anni sunt, ex quo Diabolus vigilat sine cessatione vt mundum decipiat, nec vllam vmquam occasionem prætermisit. Fraudes eius satis perspectæ sunt, sed difficile est cognoscere deceptores. *Quidam sine noxa decipiunt, quomodo præstigiatorum acetabula & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat*: At vbi deceptio periculum animarum concernit, & contemptum Religionis, & in conscientijs simplicium germinari facit semina impietatis, nemo potest esse nimiũ prudens aut perspicax ad detegendas eiusmodi fallacias. Contigit hoc tempore tragœdia insignis, de qua in Consilio Regis, in suggestu Concionatorum, & Curia Parlamenti actum fuit. SENEC. epist. 45.

Virgo quędã Romorantina, nomine Martha Brosseria, quum nõ minus curiose quã otiose legisset ac relegisset Discursũ, de Diabolo Laudunensi, adeo imaginationẽ in ea, quæ legebat, impressit, infixitq; animo tã profõde eã historiã, vt ab eo tẽpore, ceu quondã

Gallus

1599.

Gallus Vibius Orator Romanus insignis stultus factus est per imaginationē, dum nimium studet apte exprimere gestus & habitus stultorum pro oratione in foro.

Gallus Vibius deuenit stultus ob nimiam sapientiam considerando essentiam & imitando motus stultitiæ, ita & ipsa apparuerit habere easdem Dæmoniacorum lancinationes & raptus, quamuis nihil difficilius quam se Diabolum agere & simulare. Iacobus Brosserius pater eius, homo alioqui tumultuosus, factiosus, & rerum nouarum cupidus, quum notasset sibi in filia motus tam furiosos, cum tanta stupiditate & terrore vt in commiserationem & stuporem vel resolutissimos daret, & in metum imbecillos, finxit credere se id quod voluit populo persuadere, qui vndique accurrebat ad nouum Dæmonem videndum. Passim euulgauit, filiam suam à maligno spiritu possideri, eamque adduxit ad *a* Theologos Aurelianenses, qui nonnihil ita esse crediderunt: & videns proposito suo fidem adhiberi, circumduxit eam per celeberrima loca, in deuotione per omnes diœceses, etiam ad Diuam Virginem Ardillerianam, Andegauensem, & Clerianam. Et quoniam dicebat, vt maiorem fidem faceret, loqui se linguas incognitas, & doctis tantum intellegibiles, quidam ex virgine quæsiuit, *b* quomodo Dæmon intrauerit in eius corpus, respondit, vt glorificetur Deus. Quæ responsio statim auctoritatem huic ludo dedit, receptaque fuit cum admiratione eorum qui non intelligebant, nec intentionem quæstionis, nec astum istius deceptricis. Vnde passim dicebatur, eam Græce loqui & intelligere, & quemadmodum in eiusmodi occasione fieri solet, vt fama semper in maius augeatur additamentis falsis, ita ferebatur loqui Hebraice, Arabice & Chaldaice, adeo vt impossibile fuerit populo opinionem hanc eximere, Martham vere possessam à Diabolo esse. Superabat tantum, vt talis esse per iudicium Ecclesiæ declararetur.

a Martha dicebat, Theologos Aurelianenses sibi dixisse, habere se Dæmonē in ventre.

b Cleria à quodam interrogata in hisce terminis, πῶς ἦλθες εἰς τὸ σῶμα; *Quomodo intrauisti in hoc corpus?* illa respondit Gallice, quare intrauerit. Quærebatur *quomodo*: illa respondit, *quare*.

Mironus Episcopus Andegauensis.

Ea de causa Andegauum perducta fuit. Episcopus, homo grauis & doctus, & qui bene sciebat eiusmodi rebus occurrentibus agendum esse vt opinio non minus constanter reijciatur quam recipiatur, & homines ita affectos esse vt rebus nouis & admirationem aliquam afferentibus facilime fidem adhibeant, noluit exorcismum inconsiderate suscipere, nisi prius cognouisset ex qua legione & sub quo vexillo Diabolus iste versaretur. Id propter ipsam virginem in loco hospitari fecit, vbi semper actiones eius obseruari possent, in quarum examine persuasus erat se rei veritatem exploraturum, & inde eam mendacij ac imposturæ conuicturum. Insuper certū modum viuendi & nutriendi ei præscripsit & constituit. Potus erat aqua benedicta, quam pro aqua communi bibebat, propterea quod ei propinaretur in vasculo com-

muni: &

muni: & quum ei aqua communis in vasculo lustrali exhibebatur, non secus furere cœpit quam Bacchæ olim quum insaniebant maxime. Episcopus mandauit vt ei afferrentur reliquiæ de vera Cruce, quarum loco Marthæ præsentata fuit clauis honeste inuoluta panno serico: confestim illa dæmonicari cœpit & rabire, quia intellexerat Diabolo Crucem in horrore esse, & Dæmones, quos Imperator Iulianus per incantationem euocauerat, aufugisse quum signum Crucis ante se fecisset. Episcopus Eleemosynario suo mandauit, vt sibi afferret magnum suum exorcismorum librum. Oblatus est Virgilius, qui aperto, & primis *a* primi libri verbis recitatis, Martha se prostrauit & deiecit, existimans profana hæc verba esse omnium terribilissima in exorcismo. 1599.

Gregorius Nazianzen in Oratione contra Iulianum.

a *Arma virumque cano.*

Qua fraude detecta Episcopus se contentauit, quod Diabolum *b* deceperit, qui voluit decipere mundum remisitq; sub minis grauissimæ pœnæ, si in diœcesim suam reueniret. Ducta fuit Aurelianum, vbi duobus subtilissimis modis probata fuit. Primum oblatus illi fuit Despauterius compactus ad consuetudinem antiquam. Martha existimans id esse flagellum Diabolorum infremuit visis tantum duobus operimenti asserculis, & duabus clausuris ex corio. Aperto libro, iussa est in eo legere. Fortefortuna incidit in versus *c* rudium & inconditorum verborum syllabarumque asperarum & scabrosarũ sine vlla significatione: quas putauit esse violentissimas coniurationes exorcismi, & vix dimidiatim pronuntians retro versa, & circumacta in terram decidit. Deinde quia mali Dęmones gaudere libaminibus & nidore dicuntur, quibus eorum *d* corpusculum pinguescat, incensum ei præsentatum est compositum ex pharmacis & herbis adeo putentibus, vt simulatq; vapor ad nares istius miserabilis assidentis & ligatę in sella, vbi pedibus ludebat, perlatus fuit, exclamauerit fumo pressa & extremo pudore; Rogo vos Domini, ego suffocor, ille abijt. Vnde Officialis Aurelianensis recognouit imposturam, & interdixit Ecclesiasticis suæ diœceseos sub pœna suspensionis, ne eam exorcisarent.

b *Imposturam fecit & passus est.* D. Gallieni apud Trebellium Pollionem.

c *Nexo, nexui, nexũ, vult Texo texui, indeque textũ.*

d *Viuit enim id vaporibus, & roboratur nidoribus.* Prophyr. de Abstinentia.

Quum iam quindecim menses per Regnum discurrisset, ducta & circumducta de parochia in parochiam veluti vrsus, & iam melius certa esset in fraudibus & imposturis suis, in imitandisque saltibus & motibus Dæmoniacorum, Iacobus Brosserius pater iudicans eam satis scire, & tempus esse vt in magno illo Galliæ theatro ostentetur, eam Parisios perduxit, & in Ecclesijs circumduxit vt emendicaret eleemosynas. Populus confestim aduersus Exorcistas murmurari & clamare cœpit, impium esse vt creatura Dei à

1599. De his qui loquuntur in ventre vide Scaliger. Exercitat. 256.

Diabolo relinquatur tam tyrannice tractari. In primis statim saltibus, quos Martha fecit, *a* dicebat se torqueri à tribus Diabolis, qui audirentur in ventre suo fremere; & ex murmure illo hypochondriacis & filiabus pallidis ordinario contingente, speciē quandam Diabolicismi præbuit. Episcopus Parisiensis exoratus & obtestatus vt ad exorcismū procederet cōgregauit sapientissimos Theologos & Medicos Vniuersitatis Parisiensis, vt eorum consiliū exquireret. Congregatio facta fuit in conclaui Abbatiæ S. Genoueuæ, in quo Martha aduenit incessu æque rupto ac fronte, adeoque se honeste ostentauit, vt præsentes magis mouerentur ad commiserationem talis eius conditionis, quam voluntatem puniendæ tantæ eius imposturæ. Interrogabatur *b* Latine, Græce & Anglice, sed Dæmon eius non satis sciens erat ad singula respondendi.

a Dicebat se tres habere Diabolos: vnum vetulum crudelem, nomine Beelzebub, alterum iucundum, quē appellabat Ascalon Bouffon ex inferno, tertium Marmitton ex inferno.

b Latine à Marescoto, & Græce à Mario.

Episcopus cupidus, vt exitus huius actionis verteretur in gloriā Dei, qui pater est veritatis, & confusionē Diaboli, qui auctor est mendacij, mandauit vt in Capellā quandā duceretur, quia dixerat se non esse in loco vbi respondere debeat. Ibi omnes assistentes ad preces, Martha in genua se cōtulit. In prima adiuratione Presbyteri exorcizātis, retro in terram versa est, cōmouens latera vt equus, qui cucurrit, torquens oculos & exserens linguam. Cum in os eius insererentur reliquiæ de veræ Crucis particulis, non moueri quidem visa est & pertulit. Cum vero præsentaretur pileus cuiusdam Doctoris, dixit torqueri se nimis crudeliter, eumque reiecit, quasi sufferre nequiret. Episcopus rogauit Medicos vt sententias suas sibi explicarent. Qui vnanimi consensu in eam opinionem conspirarunt, meram esse simulationem. Fuerunt tamen alij quidam, qui existimarent omnia Dæmoniacorum indicia, de quibus in Euangelio, in Martha conuenire, & eiusmodi motus non dependētes à causis naturalibus & materialibus referri debere ad spirituales & supernaturales: ea re in contrarium consenserunt, Deumque testati sunt se in hoc negotio ex conscientia pura & non ficta credere, hanc virginem esse Dæmoniacam, & Diabolum in ea habitare.

Marescotus nomine omnium Collegarum respondit tribus verbis: *Nihil à Dæmone, Multa ficta, à morbo Pauca.*

Exorcismi in duas adhuc dies continuabātur, sed nullus Medicorum comparuit. Quum perciperet sermonem aliquem mysteriosum de Verbo carne facto, aut de reuerētia sancti Sacramēti, ita subsilijt petauristarū instar, vt in quatuor aut quinq; motibus in dorso iacentē ab altari vsq; ad fores capellæ retrotraxerit. Quidam Capuccinus, qui legerat *a* S. Ambrosij responsum ad Arrianos; *Hoc nemo vmquam fingere potuit, vt simularet se esse Dæmoniacum*, excandescēs

a Serm. 9. de Inuent. Corpo. S. Protasij & Geruasij, contra Arianos, qui

1599.

propter incredulitatem Medicorum, cum indignatione quadam dixit: Si quis adest inter nos incredulus, & eam velit in loco retinere, à Diabolo ablatum iri. Marescotus nihil metuens talem Diabolum, ne ab eo auferatur, respōdit audere se eam præhēdere, & submittens genu suum Marthę genibus, & manum eiusdem collo mādauit vt quiesceret, nec se moueret. Hac violentia eam immobilem reddidit, coegitque dicere, Dęmonem suum iam abijsse. Idem Capuccinus, qui noluit tam astute procedere, amauitq; magis fallere per simplicitatem quam per contradictionem, quæsiuit ex Martha, quid præterita nocte fecerit. Respondit; Tu orasti Deum. Non magna fuit opus reuelatione dicere, Capuccinum orauisse Deum. Interim preces continuabantur, nec illa magis moueri potuit. Marescotus simulabat se abire: quod ipsa credens & simul persuasa neminem alterum esse, qui ludum suum conturbaret, redijt ad priores furores, qui extemplo cessauerunt, simulatque manum iniecit Marescotus, protestatus cum Collegis suis nihil esse *a* præter naturam nec contra naturæ leges. Qui multa sciunt, non facile quidquā admirantur; qui nihil sciunt, admirātur omnia. Nonnulli imperiti iudicio suo per semitas obliquas aberrantes, contrarium affirmabant. Verum qui maxime iudicio valebant, satis animaduertere potuerunt Martham non posse tam caute imposturam suam moderari, vt non oculi, frons, supercilia, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mētis est, detegerent nihil in ea Dęmoniaci esse. Episcopos rogauit & alios Medicos, præter eos qui eam viderant & iudicauerant die præcedente, vt quid sibi videretur, indicarent. In illis vnus repertus, qui diceret, eam habere Diabolum in corpore, propterea quod linguam exsereret & duraret aciculam compunctionem. Alius vero dicebat, notare se multa simulationis signa, & *b* tres menses exspectandum esse, vt certi quid statui possit. Plerique tamen in ea sententia perstiterunt, cunctas Marthæ actiones esse fictas & simulatas, eo magis quod motus vel violentissimi & rapidissimi fierent tamen sine alteratione pulsus, respirationis aut coloris.

Curia Parlamenti videns omnem populum ad Martham vidēdam accurrere, & metuens, ne superstitio, *a* quæ initiū præbuit & ortū impietati, diuideret opiniones & affectus ad concitandam aliquam periculosam seditionem, mandauit vt Martha in manus Præfecti Criminum traderetur. Ecclesiastici dicebant Dæmoniacos non subesse iurisdictioni temporali, sed ad Ecclesiam pertinere vt cognoscat, nec in *b* astrorum influentia, sed

dicebant de quodam cæco Dæmoniaco, qui ad sepulchrū dictorum sanctorū sanatus fuerat, eum simulasse, sese esse possessum, vt argentum lucraretur.

a Medici communi consensu exclamarunt, μηδὲν παρὰ φύσιν.

Cic. orat. in Pison.

b Hoc dictum est ex Fernelio qui in lib. 2. *de Abditis rer. causis*, scribit se numquā cognoscere potuisse dæmonomaniā ęgroti, nisi demum tertio post mense.

a. ἡ δὲ δεισιδαιμονία τῇ ἀθεότητι παρέσχε ἀρχήν.

b Astrologi putant ab

Arrestum Curiæ 24. Maij 1599.

1599. in inſpiratione Verbi æterni eſſe virtutem eos eijciendi, vbi eos tales eſſe perſpectum eſt. Nec Concionatores non pro ſuggeſtu loquebantur. Mittitur ipſa in carcerem. Supplicatur Regi, qui mandauit vt Parlamenti ſententiæ obſecundaretur. Inde per Arreſtum auditorij magni & tholi quæſitorij iniunctum fuit Præfecto togæ curtæ vt Martham & ſorores eius cum patre Iacobo Boſſerio in ciuitatem Romorantinam reduceret, cum prohibitione ne vagetur aut egrediatur ex vrbe ſine ordinatione Iudicis loci. Ita Diabolus fuit condemnatus per arreſtum.

eius, qui natus eſt Marte in nona domo exſiſtēte, ſola præſentia Dæmoniacos ſanari.

II. Alius Diabolus vere ſe† immiſit in animam miſerabilis cuiuſdam, eumque induxit in exſecrabilem attentationem contra perſonam & vitam Regis. Capuccinus quidam Mediolanenſis monuit per litteras adeo accurate, vt quem deſcripſerat, *a* Pariſijs reperiretur & compræhenderetur. Rex gratias egit tam pio Monacho per litteras expreſſas, & per Legatum, qui Romæ morabatur, teſtatus eſt ſe memorem fore tanti officij, vt totus eius Ordo intelligat, quantum illi vni debeat. Eiuſmodi monitiones, quibus Regis vita ſaluatur, non poſſunt recompenſari in terra, quemadmodum etiam ſolus Deus eſt qui remunerari poſſit bona conſilia, quæ ſuccedunt in ſalutem totius Reipublicæ.

P. Honorius.

a menſe Maio, *1599*

Deus noluit vt tantus & tā neceſſarius terræ Princeps tā cito ad cœlos rediret, antequam populum remiſiſſet in quietem, quemadmodum & diuturnę eius pœnę & calamitates merentur. Et ſane vnica hæc Regis cura fuit, qui eo animo Fontembellandi conceſſit, vt cum Principibus domeſticis, & Conſiliarijs ſuis conſultarent, quo modo quaue ratione in ordinem ſuum omnia reſtituerentur. Deliberatum fuit, populum non poſſe plena pace frui, neque ab oneribus liberari, quamdiu Regnum debitis eſt grauatum: & id, quod impendi deberet ad ſuſtentationem ſtatus Regij, non ſufficere ad ſoluendum vſuras & penſiones, quæ ad duas auri milliones veniebant; ſalaria Officiariorum, quæ ad octodecim millia coronatorum aſcendebant, & plurium aliorum Officiorum, quorum ſalaria non ad minorem pecuniæ ſummam pertingebant. Hæc extrema neceſſitas fecit vt inueſtigarentur complurima iura & debita ad Regnum attinentia, quæ obligata aut abalienata fuerant dum poſtremæ turbæ ſufferre cogerent, quæ emendari nequibant.

Omnes ſolutiones annuæ conſtabāt Regi ſupra ſex milliones auri.

Sufferendum eſt, quod emendari nequit.

III. Hęc magis † in Langedoccia, quā alibi, inquirebantur. Rex eo miſit Mæſſium à Conſilijs ſecretis, & Refugiū Parlamenti Pariſienſis Aſſeſſorem. Et quamuis difficile ſit à multitudine incompoſita

& factio-

Appianus.

& factiosa rationem exigere, tamen adeo feliciter rem cum ea gesserunt, vt vnanimo consensu Regi concesserint ducenta millia coronatorum, quorum summam in quatuor annis persoluerent; præterea vectigalis augmentationem vsque ad duos coronatos, quorum summa per annum non minus septuaginta millibus coronatorum conficiebat supra ordinariam taxam, quæ in Regium fiscum inferebatur. Hac ratione subsidium ab hac parte constitutum reuirescauit fiscum centum quinquaginta millibus coronatorum in anno. Verùm adauctus posteà ferè alteris tantis fuit per impositionem solidi in libram, vnicum remedium ad succurrendum rebus Regni, cuius fundamentum est necessitas, quæ facit esse iustum, quicquid in bonum publicum vergit, & quæ reddidit tolerabiles tam ingentes & violentas exactiones Romanorum, qui decimas fructuum & agrorum per colonias, quintas viridariorum & hortorum, & certum pretium ac distinctum pro vnoquoque capite iumentorum & animalium, exegerunt, nec exemerunt aut exceperunt vllum hominem à contributione, in tantum vt ipsi etiam Senatores cogerentur sex asses soluere pro vnaquaque tegula ædium suarum: nihil siuerunt sine tributo transire per flumina, pontes, portus & portas vrbium; denique *a* in rebus etiam putidissimis gustum & odorem inuenerunt, modo vectigales essent. 1599.

Appianus, Herodian.

a vt Vespasianus, qui tributum in vrinas imposuit, quod in Oriente durauit vsq; ad Anastasium Imp.

Gallia admodum felix & beata fuit, antequam rebellio incolarum, & ambitio extraneorum adegit Reges recurrere ad rigorem & asperitatem horum remediorum. Non exigebatur sub Regis nomine quidquam præter vectigalia & tributa quædam, quæ nos pedagia, barragia & trauersa vocamus, & alia quædam præcipua Regia non magni momenti. *b* Bella Anglica introduxerũt (ita appellant) subsidia talliarum, (ita appellant) talloni, soldi quinquaginta mille hominum, & æquiualentiarum. Aucta posteà in eum numerum tributa fuere, vt nomina ipsa vix inueniantur, quibus exprimi debeant. Hæ sunt inuentiones, quas necessitas Principis reddit legitimas, & contra quas obedientia non permittit vt murmuretur. Nulla natio sub Sole est, quæ non habeat querimonias & oppressiones. Iam diu olim fuit, quum populus se de onerum auctione conqueritur, & Charon, qui ab initio contentus erat vno obolo, posteà duos exigere cœpit, donec tandem ad tres obolos tributum perduxisset.

b Quæ Regnum sub Iohanne I. & Carolo VI. ita exhauserunt argento, vt coacti fuerint pecuniã ex corio signare, in cuius medio tãtum clauis argentea erat.

Vide Aristophanẽ in Ranis.

a Papa Clemens VII. vt se redimeret ex carcere,

Quotienscumq; Principes aut Respublicæ argento eguerunt, semper existimauerunt nihil esse nimium, vbi nihil est satis. *a* Ipsi Papæ in extrema necessitate vendiderunt galeros Cardinalitios, miserunt tributum super omnia, quibus vita humana habet opus, & co-

1599. vendi fecit tres galeros Cardinalitios. PAVL. IOVIVS *in vita Pomp. Columm.* Sixtus V. imposuit subsidium generale Romæ in omnes res, etiam in curtisanarum libidines.

IV. b *Mi asciugo inanzi che il Sole si venda.*

egerunt *b* Pasquinum siue (vt loquuntur) Pasquillum siccare camisiam suam in Sole, antequã tributum in Solis lumen imponeretur. Quamobrem Rex inter plurima consilia, quæ in Conuentu Rothomagensi proposita fuerunt, elegit impositionem solidi in libram, arbitratus nihil esse iustius & æqualius, nec quo minus populus opprimatur, quàm si exigatur ius introitus moderatum de omnibus mercibus, quæ in ciuitates, suburbia, oppida & pagos maiores importantur, per trium annorum curricula. Quæ impositio non ita noua fuit, vt non iam anteà practicata fuerit sub regnis Caroli VI. & Caroli VII. inter cuius Edicta vnum exstat de impositione duodecimi denarii in libram. Commissarii Regis ad stabiliendas exactiones ablegati non sine oppositione recepti fuerunt, nec in exsecutione quieti à querelis & murmuribus solitis in eiusmodi nouitatibus. Nullum oppidulum fuit, quod non conquereretur de superexactione nimia, ostentaretq; se plus supportare non posse. Hoc corpus ita debilitatum fuit per tam longum morbum, vt nihil sit, quantumcumque leue appareat, quod non opprimat, quemadmodum è contrario abundantia commoditatum reddit omnes res faciles in vigore suarum virium: etiam violentiæ bellicæ, inordinatio temporis, impedimenta commerciorum concinnant omnem exactionem impossibilem, omne onus insupportabile. Et qui contulerit præsentem Regni statum cum eo, qui olim fuit, quum Philippus Longus exegit *a* quinquagesimam redituum & prouentuum ab omnibus subiectis, & Ludouicus XI. totondit *b* pratum suum, quotiescumque allubuerat, posset dicere pro Rege, quod respondit olim Antigonus cuidam obiicienti, Alexandrum non ita tractasse subditos Macedonas; Verum est, sed *c* Alexander messem totius Asiæ defalcauit, ego tantum spicas post eum colligo.

Quod incepit mense Martio 1597.

Impotentia informat querelas contra tributa.

a & quidẽ sine limitatione tẽporis.

b Regnum enim prato comparabat, quod secari posset quotiescunq; libuerit.

c Ἀλέξανδρος ἐθέριξε τὴν Ἀσίαν, ἐγὼ δὲ καλαμῶμαι. PLVT. V.

Verum non in hac tantum impositione querelæ publicæ vertebantur: cætera subsidia multo frequentiores grauaminum expostulationes excitarunt & maiori ratione comitatas. Commercium est quintum quasi Regni elementum, quod vix cessare incipit, quin populus non extemplo sentiat. Nihil adeo alterauit quàm augmentatio subsidiorum & vectigalium; nihil adeo diffamauit quàm auaritia eorum, qui telonio præfecti sunt & exactioni; & nulli adeo ruinam persensere & incommoditatem, quàm mercatores Lugdunenses, qui conquerebantur principaliter de nouo vectigali, quam Doanam vocant, Viennæ instituto, quo impediebantur omnes merces ab Oriente aduenientes. Quæ quidem querelæ tam communes fuerunt & tot vicibus apud Gu-

berna-

bernatorem Lugdunensem repetitæ, vt vinci se passus sit atq; Legatum miserit ad Conuentum duodecim Delphinatus Ciuitatum, vt eos precaretur super tollenda noua ea doana, quæ in causa esset cur mercatores relicto Lugduno aliouorsum contenderent metu incidendi in sinum hunc sirtuosum. Deputatus ille in Conuentu Ordinum Prouinciæ, qui Gratianopolim indictus erat, causam mercatorum tam dexterè egit, vt Discursus eius quàm curiosissimè inquireretur, quem & mihi bonum factu visum est huic narrationi interserere, quia refertus est multis elegantissimis considerationibus politicis, 1599. mense Maio, 1599.

Si res, dicebat, vniuersaliter commodæ sunt meliores & perfectiores iis, quæ particulatim tantum quibusdam commodæ sunt, bonum pacis tanto melius & perfectius æstimari debet, quod commune & dispersum inter omnes est, animamque Galliæ nostræ reddidit, & corpus eius quodammodo renouauit. Verumtamen hoc bonum necdum ita effusum est in corpus vniuersum, vt non ad huc membra compareant satis oppressa, quæ durante spasmo & conuulsione generali, non senserunt malum tam vehementer quam nunc. Namque licet Prouinciæ exoneratæ sint militibus, & vnusquisque in vrbibus & agris reperiat politiam & securitatem desiderabilem, tamen quum libertas commerciorum nondum sit restituta, & negotiationi minus faueatur in ipsa pace, quàm in iniquissimo & licentiosissimo bello, bonum illud imperfectum, ne dicam inutile, permanet. Quamobrem Ciuitas Lugdunensis, videns se priuatam fructu huius pacis per continuata impedimenta libertatis commerciorum, non potuit quin ad hunc vestrum Conuentum mitteret, & vos Ordines obtestaretur per communia & inseparabilia vtriusque Prouinciæ commoda, vti secum perfectionem pacis quærere velletis. Demonstrauit vobis antehac incrementum mali, & vos satis excessum cognoscitis. Neque ego adsum, quàm vt vobiscum de remediis agam. Malum, de quo loquor, est vectigal institutum in Rhodani ripa, & Viennæ in transitu terrestri. Causa eius ab initio bonum publicum fuit. id posteà degenerauit in commodum particulare: effectus eius ruina negotiorum; remedium, vt à Rege obtineatur abolitio. Milites tēpore belli mercatores expoliant, teloniarii & publicani tempore pacis.

Vectigal illud concessum fuit ciuitati Viennensi, quum in obedientiā Regis reduceretur, & propter considerationes eo iustio- Doana Viennensis constituta

in capitulatione habita, cum vrbs redderetur Regi 24. April 1598.

1599. res, quod Regis seruitium attinerent, quod præcedit alias omnes, & propter communem quietem vtriusque prouinciæ. Et quamuis Lugdunũ iam tum præuideret periculosam eius institutionis consequentiam, ruinas & incommoditates exactionis, cõsentire tamen eo facilius voluit, quod crederet annos, quibus duratio eius limitata fuerat, insensibiliter transituros, citiusque finem eius quam occasionem querendi apparituram. Præterea quum voluntas Principis pro suprema lege sit, non potuit malum autumari, quod tam magno Regi placuisset, cuius validitas excedit admirationem, ipsa admiratio superior est omni laudatione, quippe qui extraxit Galliam ex vinculis Tyrannorum, vt Perseus Andromedam, & impendit in heroicis suis actionibus bona subiectorum quo eos confirmaret in sua possessione, quemadmodum Scipio aperiens thesauros publicos in causa fuit vt clauderentur.

At vero quemadmodum res ab initio apparentes esse dulces ac faciles, successu temporis redduntur asperæ & intolerabiles, ita hoc vectigal ab vno extremo ad alterum progrediens, factus est scopulus, ad quem nullus impingit quin naufragium patiatur. Natiuitas eius & incrementum ad instar Crocodili fuit, & paucos intra dies sese formidabile reddidit per aquam nauigantibus & ruinosum mercatoribus per terram iter agentibus. Terminus annorum eius præteriit, ipsum perpetuatur, & iam habet velut antiquũ Domanium, suos publicanos & ordinarios portitores, nec quidquam retinet de causa primæ suæ institutionis, quam prætextum & apparentiam.

Crocodilus prouenit ex ouo, quod magnitudine simile anserino, & simul ac calor Solis inflammat sabulum Niliacum, excluditur, crescitque ad septemdecim aut octodecim vlnas.

Crocodilus crescit quamdiu viuit. Scaliger tamẽ contrariũ tenet.

Portitores tam immites & seueri sunt in exigendo nõ id quod ordinatum est, sed sæpenumero quidquid sibi placitum fuerit, & quia generis humani natura ita comparata est, vt *a* ament omnes quæ prosunt, oderint quæ lædunt, idcirco mercatores vitare studuerunt hunc transitum ceu quendam scopulum, & de eo loquebantur, vt de resti astragula, qua strangularentur mercatores. Retinentur enim integras septimanas, antequam de solutione decernant, nec cessant nisi prius visitauerint fundum fascium mercialium & ipsarum crumenarum, in tantum vt quod æuo minus corrupto & auaro, quàm hoc nostrum sit, dabatur tanquam *b* xenium, non tanquam debitum in recognitionẽ protectionis publicæ & securi transitus, nunc detur per extorsiones & repetundas pœna dignissimas.

a φιλοῦμεν γε πάντες τὰ ὠφελοῦντα, καὶ μισοῦμεν τὰ βλάπτοντα. DIONYS. HALICARN. lib 3.

b *Xenia sunt ista, nõ debita. A paucis accipit, qui nimium quærit.* D. THEODORICI apud Cassiodorum.

Hoc pacto ciuitas Lugdunensis se spoliatam videt commoditatibus commerciorum, in quorum conseruatione Delphinatui non minus interest, vt res ipsa docet, quum hæ duæ prouinciæ sint duo veluti vicini, vno tantum riuo separati, qui medium plateæ se-

cat.

1599.

cat. Et hoc commercium est principale sustentaculum huius Vrbis, vnde tanquam ex scaturigine, quam diuturna pax fors est vt reddere possit inexhaustam, promanant vtiliter sine numero & sine computatione ad omnes alias nationes, sed quàm abundantissimè ad vicinas. Quare, qui situm eius considerauerunt, veluti in vmbilico Europæ positum, & quod *c* intra septem miliaria Gallica Oceanus & mare mediterraneum ei communicare possint omnes mercium species, quæ haberi possunt ex omni orbe habitabili, quas deinceps distribueret in cæteras prouincias, non sine ratione eam appellauerunt horreum & officinam Europæ; sed & Strabo dicit, *d* eam in medio Galliæ sitam esse instar arcis.

c Omnes merces ex duob. maribus Lugdunum, medio septem miliariorum, peruehi possunt, quæ computari debnt Marcignio Nonarum supra Ligerim sito vsq; Bellouisum supra Saonā.

d ἀκρόπολις ἐν μέσῳ τῆς χώρας ἐστιν ὥσπερ ἀκρόπολις. Strabo l. 4.

Verum postquam transitus Rhodani diffamari cœpit, & *e* mercatores elegerunt tentare omnia alia, quàm pati tantam iniustitiam, satis cognouit, ex celeberrima & florentissima, quæ nunc sit, propediem fore desertam, si libertas commerciorum non restituatur. Iam enim cunctæ merces, quæ ab Oriente Marsiliam appellebant, & inde Lugdunum, iter illud mutauerunt, & quærunt nunc vias alias longiores quidem, sed tutiores, veluti per Comitatum Auenionensem, Sabaudiam, Bressam, Geneuam, & Comitatum Burgundiæ, in Germaniam: & ex altera parte per Langedocciam, Viuaretum, Forestum, Auerniam, Maringos, vbi Elauero flumini impositæ in Ligerim exonerentur, in eoque postea Aurelianum, & vlterius, transuehantur.

e Merito illa mercatores cuncti refugiunt, quæ sibi dispendia esse cognoscunt. Auara manus portum claudit, & cum digitos attrahit, nauium simul vela concludit. D. THEODORICI apud Cassiodor.

Atq; ita dum rumpitur, sicuti reipsa fit, ordinarius cursus negotiorum Orientalium, inciduntur simul venæ, quibus sanguis sufficitur ad nutriendum corpus, quod eis paucas tempestates videbit pellem suam extentam & exsiccatam super ossibus suis, & calamitates suas accipere tantum incrementum, vt præter mærorem, quod non amplius esse possit oculus Galliæ, quemadmodum olim Atheniensium ciuitas Græciæ, nihil ei reliqui fiet præter memoriam pristinæ suæ felicitatis.

Rhodanus & Saona sunt duæ venæ, quibus sanguis apportatur ad nutriendā Lugdunū.

Quapropter vos vehementer etiam atq; etiam obtestatur, vt preces vestras atq; actiones cum suis coniungere velitis, Regemque simul supplicare, vt spinam hanc ex pede Leonis extrahere, & hanc maculam ex oculo Delphinatus eluere dignetur. Magnam spem concepit fore vt obtineatur per sapientes deliberationes huius Conuentus, in quo præsentes sunt personæ, quæ scient considerare momentum huius nostræ requisitionis, & non ignorant, vt ædificia publica ex materiamine præstantiori & alio ordine, quàm

1599. priuata solent, exstruuntur; eodem modo & actiones publicas vel le alia consilia, quàm ea sint, quæ in rebus priuatorum requiruntur.

Nolite cogitare, Ordines Amplissimi, Lugdunũ esse tam malè informatum in obediendi scientia, quæ est omnium optima & beatissima possessio subditorum, vt velit obsistere Regis intentioni, aut diminuere eius tributa. Minimè eam latet, in Republica, cui Principes non imperantes iniquè, sed iustè, reddunt subditos sibi facilè obsequentes ac beneuolos, eiusmodi machinationes esse criminales. Onera, quæ populo imponuntur, quantumuis grauia & insupportabilia, sancta appellantur, & semper iusta reputantur, & in Republica sunt instar velorum in naui, non vt grauent & opprimant, sed vt regant ac in tuto deuehant. Tributa sunt nerui, quibus Respublica sustinetur; cauendum est ne Imperium dissoluatur, si tributa diminuantur. Atqui hoc, quod nos petimus, nullum præiudicium infert fisco Regio, qui ex hoc vectigali nihil accipit. Priuati quidam tantummodo perdituri sunt, sed apprehensuri, non præualendum esse in incommoditatibus publicis. Hi, quorum interest, homines sunt tam æqui bonique, vt non impedire velle videantur, quin minus commodum cedat maiori. Hi domini sunt tales, vt nunquam cogitauerint considerationem suam particularem præferre publicæ vtilitati, qui Regis in consilium ingrediuntur, vt prisci illi in templa Deorum, & cuius interesse sunt ceu riui, qui nec eandem originem nec cursum eundem tenent, & tamen se reddunt tandem in magnum illud mare vtilitatis publicæ, vbi perdunt nomina sua, & eundem gustum eundemque saporem cum vniuerso mari sortiuntur. Illi ipsi, qui habent ibi modum reperiendi maximè legitimas assignationes pro recompensatione suorum seruitiorum, non modo excusabunt sed laudabunt etiam hancce nostram prosecutionem, per quam instruentur de abusibus, qui sub titulo Regiorum mandatorum committuntur, & videbunt nostra bona voluntate factum fuisse, vt fuerimus nos in hanc seruitutem immergi, vnde nullus patet exitus, quia violentum est præiudicium sufferre res, quæ stabiliuntur & pedem figunt magis tolerantia quàm ratione, & *a* posteritas Principum suorũ commodorum semper tenax fuit.

Xenophon in procemio libri.

Dissoluitur imperiũ, si fructus, quibus Respublica sustinetur, diminuantur. TACIT. Annal. 13.

a POLYDOR. lib. 11. Hist. Angl.

Bonitas & iustitia Regis nos iubet bene sperare de hac nostra prosecutione, & credere, quod quemadmodum plenus est pietatis & clementiæ, qui est verus character supremæ huius cœlestis potentiæ, quam super nos in terris obtinuit, ita non permissurus sit vt

duæ

duæ istæ prouinciæ priuentur fructibus, quos sibi pollicentur, nec sentiant perfectum bonum pacis, pro qua acquirenda magis contribuerunt quàm vllæ aliæ de bonis & prouentibus suis, nec minima fuerunt instrumenta ad statum Regni restaurandum. Discursus iste, vtcumque verbis ratione & veritate nitentibus inflatus, non tamen potuit apud Delphinates efficere, vt *b* querellas Lugdunensium adoptarent, sed tantum vt supplicarent Regem pro moderandis vectigalium rebus. Cuius negotia non permiserunt solatium illud donare, quod iustitia & clementia Maiestatis eius desiderabat. 1599.

Doana Viennensis non aboletur.

b Nemo hominum reperitur, qui velit adoptare dolores & querelas alterius.

Sed huiusmodi querelæ non in vno tantum Regni angulo audiebantur, omnis aër vndique similibus clamoribus pulsatus resonabat. Vnusquisque malum suum putat esse grauissimum, & in eius pensatione vicini sui malum leue esse, creditque nullam miseriam esse suæ æqualem. Qui iustiores querendi causas habent, omnium patientissimè sufferunt, sibique persuadent in prosperitate publica aliquando tandem priuatæ locum fore, & Regem, qui redegit in ordinem, quod grauabat maximè, operam quoque daturum, vt populus sentiat mutatum malum in bonum, & bonum in melius. *c* Oppilabit Regni sui lien, vt cæteris etiam partibus corporis sanitatem restituat. Quod tam cito fieri nequit. Languores nostri sunt morbi, qui per Solem consanescere non per Lunam volunt. Exspectatio est longa, & patientia molesta, sed perfectio boni facit obliuisci omnium malorum, quæ propter illud consequendum oblata fuerunt. Ingens commodum non potest nimis tardè venire. Cursus & motus *a* Planetæ omnium benignissimi, benefactoris & fautoris omnium, est admodum lentus & grauis. Debitum subiectorum est sufferre, obedire, seruire, non autem queri, murmurari, & seditiones concitare: nullum grauamen, nullaue oppressio eos auertere debet ab integra affectione & immutabili fidelitate, quam debent; proponentes sibi semper, Principem nihil facere, nisi per iustitiam necessariam, & necessitatem iustam; Regisque animo nullas profundiores cogitationes hærere, quàm vt populum suum soletur, sed id fieri non posse nisi per regulas prudentiæ & iustitiæ, vt ne de illo dici possit, quod de Aureliano Imperatore: *Bonus Medicus, sed mala ratione curans.*

c Fiscus Reip. lien, quod eo crescente artus reliq tabescunt. D. IVLIANI apud Sex. Aurel. Victorem.

a Iouis sc.

Qualem opinionē subiectus habere debet de actionib. sui Principis.

Flauius Vopiscus in Aureliano.

VI.

Interim † dum Commissarii laborant per prouincias pro exsequendis Regiis Edictis tam Pacis bonum quàm supplementum necessitatū fiscalium attinentibus, Rex torridos æstatis calores Blœsis consumpsit. Ibi Rex Hispaniæ per Legatum exposuit, iustissimas

1599. ſibi eſſe querendi cauſas de Gallis, atq; adeo de Lanouio vel Nouii Domino, qui contra pacta Tractatus Veruiniani Comiti Mauritio & Ordinibus Belgii operam ſuam militarem aduerſus ſe addixerint: & niſi fides publica conſeruet reciprocas obligationes, pacem multo iniurioſiorem futuram quàm ipſum bellum, quum fictorum *c* amicorum fraudes & facta hoſtilia, nec diligenter cauere, nec actu repellere facile ſit. Rex declarans intentionem obſeruandi ſincere & bona fide, quæ per Tractatum conuenta ſunt, mandauit Lanouio & cunctis ſuis ſubditis vt in Regnum redirent, ſub pœna confiſcationis bonorum & corporis, intra ſex ſeptimanas; *a* interdixit inſuper omnibus aliis ſub eadem pœna, ne ad Ordines militatum proficiſcerentur.

c Dictum Tullii Regis apud Halicarnaſſeum.

a Edicto facto à Bois Mallesherbes, menſe Iunio 1599.

Archiduces miſerunt in Galliam Auraniæ Principem, qui Regem nomine ſuo viſitaret, ſignificaretque aduentum in Belgium. Eum Rex prima ſtatim vice venatum perduxit, & octo aut decem ipſas horas currere per ſiluas coëgit. Statim eius rei ſatias ſubuenit, petiitque veniam redeundi ad Archiduces, qui anxius erat de bello ſibi à Germanis Principibus indicto propter prædationes & depopulationes Hiſpanorum in Ducatu Cliuenſi commiſſas. Andreas Cardinalis Auſtriacus, abdicata Belgii Gubernatione & in manus Archiducis Alberti & Infantis reſignata, quippe quam precario tantum vſq; ad eorum aduentum adminiſtrauerat, iter per Galliam *b* inſtituit, vt Regem viſitaret. Is Lugdunum tranſiit: vbi Gubernator ad eum ſalutandum in hoſpitium iuſſu Regis, quamuis noluerit agnoſci, acceſſit.

b ſed incognitus, vt reciperet ſe in Epiſcopatum ſuum Conſtantienſem, & inde Tyrolē.

Iam tempus erat, quo annus conceſſus arbitrationi de Marchionatu Salutiarum, exſpirauerat vna pariter *c* cum trium menſium prolongatione: Rex nihil tamen tentare voluit, ſed miniſtris tantum ſuis mandauit, vt parati eſſent, ſi fortè vellet propius ad Ducem Sabaudiæ accedere. Rumor interim ſparſus de claſſe per Hiſpaniarum Regem Portugalliæ instructa iter illius retardauit. Nam Rex promiſerat Angliæ Reginæ non recedere, priuſquam videret, quorſum ea tenſura ſit. Sed ea claſſis è longinquo tantum magna viſa, nec bene cognita propter longiſſimam diſtantiam, vt & celſorum montium apparentia iuga non rectè percipi poſſunt è longinquo, redacta fuit ad quinq; naues cæſas & pulſas per Ordines Belgii iuxta Dumkircham.

c Prolongatio commiſſi exſpirauit ſub finem menſis Auguſti, 1599

Hæc cauſa fuit cur Rex tamdiu Blœſis reſederit: quo ibi commorante miniſtri eius interim vigilabant intra & extra Regnum in commodum & ſalutem eius. Solon labora-

bat in Areopago, Cato in Senatu, Pericles in Politia, & in compluribus ac diuersis actionibus vnica tantum voluntas fuit, vnicus scopus, reddere nimirum Rempublicam florentem, quemadmodum prius erat, & Maiestatem Regis reuerendam, veluti sacram & sanctam. Sapientes Consiliarij, & boni viri columnæ sunt populum sustinentes, sine quibus ædificium illud populicum laberetur ac rueret. 1599. PHILO.

VII. Mors nobis ex eorũ † numero abripuit præclarissimum Regni ministrum & Officiarium, Philippum Huraltum, Cancellarium Galliæ & Comitem Chiuerniæ. Is ab initio Superintendens fuit Aulæ Henrici III. Regis, quum adhuc Andium Dux & Rex Poloniæ esset, & ab eo factus sigilli custos, viuo Cardinali Birago, & post eius obitum Cancellarius, & ab eo ipso remissus domum in Ordinum Regni Conuentu Blœsano, quum sigilla commendarentur Monthelono Aduocato Curiæ Parlamenti. In hac mutatione specimen dedit Officiarios Principis esse in manu eius. *Isti adsimiles sunt abacorum calculis qui & secundum voluntatem calculatoris modo obolum æreum, modo talentum valent: ita Aulici ad nutum Principis modo beati, modo miseri fiunt*, modo in altum efferuntur, modo iterum deprimuntur. Quidam ex antecessoribus eius multo acerbius specimen dedit, quum se captum videret & coactum recusare iudices vniuersos Curiæ Parlamenti, & duos iudices accipere ex singulis Regni Parlamentis.

Quum Renatus Biragus Cancellarius Galliæ in collegium Cardinalium cooptaretur, Chiuerniæ Comiti custodia sigillorum commendata fuit.

POLYB. lib. 5.

Guiellelmus Poyetus Cancellarius Galliæ accusatus criminis læsæ Maiestatis.

Et quamuis non constaret, quamobrem Rex eum ab Aula recedere domum iusserit, tamen simulatque auditus est gratia excidisse, omnes amici in prosperitate, & officiosi in fauoribus ab eo recesserunt. Perstitit aliquandiu in Aula, *a* ad instar veteris nauis, quæ in portu hærens ad nullam rem vtilis est. Reuocatus tandem ad officium, inseruiuit Regi animositer in turbulentissimo rerum statu & tempestuosissimo. Postea varijs modis agitatus fuit. Felicitas eius quibusdam displicebat, alijs proficiebat. b *Nusquam gentium reperitur, qui possit penitus approbari.* Nihilominus tamen firmiter perstitit in officij sui dignitate, exserens constantiam & moderationem suam aduersus omnes conatus inimicorum. Querelæ aduersus eum in Conuentu Rothomagensi institutæ adeo ingentes & vehemẽtes erant, vt parum abfuerit, quin ei custos sigilli attribueretur, aut galerus Cardinalitius pro eo à Papa exigeretur. Nemini c secundo inuidebat, & impediebat bene primum, sciens nihil posse auferri aut diminui ex tam celsis dignitatibus nisi cum ignominia. Qui stant, exemplo antecessorum suorum sibi caueant ab his

a *Vetus aulicus, vetus nauis.* Lips. ex Plut. in Themist.

b Dictum Postumi II. apud Trebell. Pollionẽ.

c Connestabilis & Cancellarius Galliæ numquã fuerunt exauthorati propter crimen, quin perdiderint vitã.

 scopulis

1599. ſcopulis, quos magis euitabunt fixis anchoris quam ſolutis. Felicitas eorum non æſtimatur, niſi quamdiu conſtat & durat. etiam hoc priuilegium habent, vt honorem non perdant niſi cum vita, nec officium deponant niſi cum capite. Nullus prætextus, nulla excuſatio eſt, quæ non dimiſſionem eorum ignominioſam reddat, præter mortem naturalē, aut ſi noluerint conſentire in rem iniuſtam, quemadmodum fecit Cancellarius Burgundiæ, qui maluit ſigillum amittere, quam iniuſtum mandatum *d* Ducis exſequi. Non minor infamia eſt Cācellario, ſi domum ab Aula dimittatur, quam olim fuit ſeruo, ſi rus relegaretur. Quid profuit miſero Apuleio metamorphoſato, quod totum diem portauerit imaginem Magnæ Deæ, & participauerit lætitiæ publicæ in deambulando, dum noctu ablegaretur in viliſſimam & abiectiſſimam hoſpitij partem? Aduerſitates fortunæ ſuæ ac inuidiæ fecerunt vt cum animo ſuo cogitare cœperit de reſtituenda Cancellaria in priſtinum ſplendorem, & tollendis abuſibus, quos auaritia & licentia introduxerunt. Ea re vetera Cancellariæ Regimina renouauit, eaque publicari fecit maiore cum ſolemnitate quam obſeruationis exactione. In ijs ordonabatur, ne Secretarij ſignarent quaſcumque litteras in Cancellaria ante annum ætatis decimum octauum, neque alias litteras quam ab ipſis factas aut à collegis ſuis, & ſcriptas à Clericis eorum, neque litteras rerum immobilium, quarum ſumma excedit centum coronatos. Vt mitterent ad magnum Audientiarium vno die ante ſigilli tentionem omnes litteras ab eis ſigillatas, vt ab eo diſtinguerentur, & communes ſepararentur ab eis, quæ ad Iuſtitiam, vt Fiſcum concernunt. Ne partes in ſigilli conclaue intro mitterentur durante ſigillationis tempore, neque eis litteræ concederentur antequam *b* reuiſio & collatio eſſet facta. Ne taxa litterarum eſſet arbitraria, ſed conformis antiquis ſcripturis ſecundum Chartæ longitudinem ſine abbreuiaturis. Mors obſtitit, quo minus videre potuerit, quem fructum obſeruatio horum Regiminum afferre poſſet.

d Philippi II. qui conſtantiam eius videns ac laudans reuocauit mandatū ſuum. Aſinus aureus Apuleij.

Regimen Cancellariæ publicatum Edicto Regis in Cancellaria, 9. Febru. 1599.

b Reuiſio, collatio & audientia litterarum in Cancellaria factarū, fit in domo Cancellarij, aut magni Audientiarij, ibique releguntur omnes litteræ, vt earū qualitas & diſpoſitio cognoſceretur.

VIII. Ei ſucceſſit † Pomponius Belleurius, qui reſtituit ſigilla, ſacra inſtrumenta iuſtitiæ ſupremæ, in honorem. Omnes Practici corrumpentes, corruptibiles & corrupti, qui incommodo Reipublicę gratiam amicorum ſibi conciliabant, amandati fuerunt. Non amplius ibi reperiebatur fauor alius quam qui eſt Iuſtitiæ; facilitas alia, quam quæ eſt rationis; expeditio alia, quam quæ fit publice & per ordinem. Nihil ſigillatur extraordinarie, niſi id fiat expreſſo Regis mandato, & in cauſſa quæ ſeruitium eius concernit, nec di-

lationem

1599.

lationem pati potest ad vsque diem sigillationis. Et hoc fit in conspectu omnium Cancellariæ Officiariorum. Nihil ibi ordinatum est, quod non exactissime examinatum & consideratum fuerit, & de sententia eorum, qui Libellis præsunt, Magistrorum præsentium iustum esse pronuntiatum. Impossibile est, vt abusus sese misceant bonis ordinationibus, nisi id fiat per eorum neglegentiam, qui curare debent, vt obseruentur. *Omnia honesta & vtilia videntur tantisper dum vsus eorum rectus est: quæ per eos, qui illis præsunt, deprauata eadem turpia habentur & inutilia. Eius autem rei caussa est natura, quæ cum omnibus bonis fatales pestes sobolescere voluit.* Satis constantiæ, integritatis, experientiæ & virtutis (quamuis raræ in hoc sæculo qualitates) nemo habere potest in gubernando tanto officio, sub quo leges sunt veluti in tutela, & in quo principaliter laborandum est vt satisfiat non vulgo, sed conscientiæ; non cupiditati, sed debito; neque curandum vllos alios applausus, quia *b* multis placuisse, sapientibus est Displicuisse. Sicut officium hoc conseruationis legum & supremæ administrationis Iustitiarum Regni non potest satis digne exerceri, ita bonæ etiam leges non possunt satis diu durare, quamuis tot annorum curricula conficerēt, quot facere leges suas *c* Solon optauit. Si vota locum haberent in rebus mortalibus, vouenda illis earumque curatoribus immortalitas esset, quia mutatio ministrorum semper inducit aliquam alterationem, *d* quæ vtcumque parua existat & parui momenti, suffodit pedetentim fundamenta, quibus Respublica sustinetur, quemadmodum paruæ expensæ, si in dies continuentur, tandem res familiares pessumdant.

DIONYS. HALICA. li. 6. Antiq. Rom.

Cancellarius est custos & tutor legum Regni nomine Regis.

b Τὸ γὰρ πολλοῖς ἀρέσκειν τοῖς σοφοῖς ἐστὶν ἀπαρέσκειν. IAMBLICHVS.

c Solon post legū suarum publicationē, Athenienses sacramento cōstrinxit ad earum obseruationē in centum annos. PLVT.

d In legibus nihil vel minimum mutandum esse: vide Platon. lib. 5. de Republica.

Sed industria, constantia & probitas Cancellario conciliarunt omnes laudes, quibus nostro sæculo homo virtuosus & qui non nisi secum ipse comparari possit, alter vllus commendari atque ornari potuerit. Est quidem ita; vt recte de aliquo iudicari possit, opus est totam vitam eius & actiones multum & curiose peruestigare. Seruiuit integræ Regum nostrorum continuatæ progeniei, nec in paruis quidem rebus quippe qui semper magna & honorifica negotia intra & extra Regnum gesserit, sub quorum Honore gradiens intrauit in templum Virtutis. Inde est quod Rex ei hoc testimonium veritatis sæpe perhibere solitus sit, habere se eum pro viro omnium Gallorum optimo : & ea opinione persuasus eius consilia respectare vehementer amabat, & sententias eius præ cæterorum omnium ministrorum probare. Creditum fructus est fidelitatis bene diligenterque explo-

ratæ

1599.

ratę probitatis probatiſſimæ, & vitæ iuſtiſſimæ. Vel ſomnia homi-
num tantis meritis ornatorum habita pro veris ſunt, vt Homerus
de Neſtore ſcribit. Antequam ei R x ſigillorum cuſtodiam com-
mitteret, clara voce dixit, dignum eſſe qui promoueretur ad o-
mnes dignitatis gradus togæ eius conuenientes, tamquam *a* Capi-
taneus, qui ſuis meritis cōſcendit ad altiſſimum gradum, ad quem
Virtutis perfectio poteſt pertingere, & eleuare hominem milita-
rem. Et ſtatim poſtquam ei annuntiatum de morte Cancellarij fuit,
mandauit Villeregio, vt eum vocaret litteris Regijs; quibus arceſ-
ſitus ipſi Regi perſonaliter iuramentum præſtitit, *b* genibus flexis
ſuper ſcamnum quadratum holoſerico tectum. Maieſtas Regia
noluit eum obligare, quam vt pergeret præſtare ſe in fide erga ſe &
Regnum, quemadmodum hactenus ſeſe præſtitit. Neque ad hanc
primariam dignitatem ſeſe extulit in aliorum præiudicium: nullus
enim præcedebat eum in ordine aut officiorum ſerie & exſpecta-
tione non magis quam meritorum & experientiæ, quippe qui ſu-
ſtinuerit principalia negotia totius Regni, & perfecerit extra Re-
gnum feliciter grauiſſimas & ſumme neceſſarias pro Rege Lega-
tiones. Ideo mihi videtur ampliſſimus, quod ſua virtute in altio-
rem locum peruenerit, non aſcenderit per alterius incommodum
& calamitatem, quum hæc naturæ lex ſit, vt qui moriuntur, viuen-
tibus loca ſua derelinquant. Hic diſcurſus verus eſt, non adulato-
rius, neque alio reſpiciens, quam ad reſpectum, quem Hiſtoria ha-
bere debeat de memoria hominum proborum, qui adeo rari ho-
die viuunt, vt videatur ſemen eorum in Cœlis permanſiſſe. Illi au-
tem, qui omnia calumniari ſolent, & vel ipſum Ariſtidem, ſi reui-
uiſceret, repræhenſuri forēt, non conducibile eſſe perſonæ, quam-
uis conducibile ſit omnibus. Verum eſt, magnas & commendabi-
les qualitates parum eſſe communes hoc ſæculo, ſed plerique pro-
bant eas vtiliores eſſe Reipublicæ, quam priuatorum commodis.

Prima † Ordinatio, quam dedit rebus inordinatis, fuit, vt ni- IX.
hil ſigillaretur præterquam in præſentia Magiſtrorum qui Libel-
lis præſunt, & per vices officio funguntur, reducens hoc pacto an-
tiquam ordinationem, quam iniuria temporum & malitia homi-
num ruperat. Altera, vt nullus in ordinem Magiſtrorum Libello-
rum ſupplicum, qui decem integros annos Conſiliarius in Parla-
mentis ſupremis fuerit, aut viginti annos in inferioribus. Quod
repagulum ſatis arctum & robuſtum eſt contra tam inutilem mul-
titudinem, quæ magis per incrementum ambitionis quam nego-
tiorum, prouenit vſque ad viginti & ſex capita, quum initio non

a Primum Regi ſeruire cœpit in Seneſchalatu & Sede Præſidiali Lugdunenſi, vbi Locūtenens generalis fuit.

b Duo tantum Officiarij in Gallia iuramētum præſtant geniculantes ſuper ſcamnum holoſerico tectum, Conneſtabilis & Cācellarius.

CIC. orat. pro Roſcio Amerino.

Henricus III. Rex ordonauit, vt Cancellarius aut ſigillorum cuſtos ter in hebdomada ſigillaret, præſentibus & aſſiſtentibus Libellorum Magiſtris, qui tum vice ſua fungerentur.

1599.

plus quam ſex fuerint. Cum hoc Officium imponitur homini merenti ac idoneo, non minus honorabile eſt eius conditioni vtcumque maximæ & excellentiſſimæ, quam neceſſarium Regi. Inſtitutio eius admodum vetus eſt, & ſunt Magiſtri illi velut aſſeſſores & Conſiliarij Cancellario attributi. Olim commorabantur in Comitatu Regis, vt audirent querelas partium, & eorum libellos ſupplices in diathyro reciperent: vnde etiam Iudices Pacis appellabantur, quomodo Conſtantinopoli, vbi Agathias ſcribit ſe in diathyro Palatij Imperialis à mane vſque ad veſperum commorari ſolitum, vt ad libellos ſupplices reſponderet. Nemo poteſt ſatis curæ & vigilantiæ ob regendam & ſeruandam dignitatem huius Officij in primo ſuo ſplendore, ad quam non promoueri debent viri iuuenes, qui continuo ex ſcholis ad Conſilium Regis tranſeant, & antequam ſciant quid ſit Diathyrum, ornentur officio, cuius reſpectu ſedeant in omnibus Galliæ Parlamentis iuxta Præſides, & præſideant omnibus Conſiliarijs & Præſidentibus in omnibus Sedibus, Præfecturis & Seneſchallatibus. Ne longum faciam, iſte Cancellarius conſeruauit religioſe & conſtanter iura Regni, nec permiſit vt iuriſdictiones ſupremæ minuerentur per euocationes, & rexit res omnes in iuſtitia & æquitate: ſermones eius minime compoſiti ad gratiam, ſed ad id quod optimum eſt, non ad id quod iucundiſſimum aut gratiſſimum.

Agathias Magiſter libellorũ ſupplicum ſub Iuſtiniano Imp.

Verum flectamus paullulum habenas noſtri Diſcurſus in alium campum diuerſum, & qui reddat hanc narrationem velut pratum floridum æque gratum propter varietatem quam propter induſtriam pictoris. Mors Cancellarij Chiuerniæ Comitis non tam perculit Aulam quam mutatio vitæ, quam inſtituit Marchioniſſa Bellinſulana, modica pompa & comitatu ſe ex Brittannia recipiens in Monaſterium Fuillantinum apud Tholoſam. Generoſa reſolutio fœminæ deſcendentis ex tam illuſtri Longouillana familia, quæ inter primarias Galliæ ponitur, & ſupremum imperium in Comitatum Nouocaſtellanum vel (vt Germani appellant) Neoburgenſem apud Heluetios habet, & varia affinitate familiam Borboniam attingit. Quum poſt mortem Marchionis Bellinſulani mariti, qui filius fuit Mareſchalli Retiani, ſe ſenſit in libertate relictam triſtis viduitatis, ſatis oſtentauit ſe non amplius viuere pro hominibus, nec pro pompis huius mundi, nec pro vanitate Aulæ. Ex eo enim tempore amor diuinus tantopere animum eius percepit, vt prorſus abiecerit omnes mundanas cogitationes, omnem mundi curam, omnes de

Ludouicus Princeps Condi, filius Caroli Borbonij, duxit primo Leonoram Comitiſſam Ruſſi, & deinde Frãciſcam Longouillæ Duciſſam, matrem Comitis Sueſſionenſis, & Ludouici & Beniaminis.

1599. mundo ſermones, omnem in mundo moram. Ab omnibus ſe mundanis affectibus exſuit, præter ſolum deſiderium videndi filium ſuum eleuatum æque in virtute quam pietate, in bonis moribus quam bonis litteris. Satis recognoſcebat, perdifficile eſſe in mundo verſari & non eſſe de mundo; impoſſibile eſſe eodem oculo & tempore eodem cœlum & terram reſpicere; iniuſtum eſſe mundo meliores vitæ annos donare, ceu vini florem, & reliquum tempus, *b* hoc eſt minorem & deteriorem partem, Deo veluti fæcem. Hominem non eſſe factum propter mundum, in quo natus eſt non vt viuat, ſed vt immoriatur rebus mortuis, & viuat viuaciter & immortaliter Deo. Eos, quos minime pœnitet in mundo verſatum fuiſſe, in tempore tamen cogitare de receſſu decet: & quamuis eiusmodi reſolutiones videantur ſtultæ, tamen ex puriſſima ſapientia proficiſcuntur, quæ non it quâ populus, ſed vt ſidera contrarium mundo iter intendunt, ita hæc aduerſus opinionem omnium vadit.

b Non tantum minimum in imo, ſed peſſimum remanet SEN. lib. 1. epiſt. 1.

Quo igitur propoſitum ſuum exſequatur, animoſe omnes radices, quibus ad terram retrahebatur, & impediebatur ad cœlum euolare, diſrupit, tranſiit quaſi ſuper ventres potentiarum huius Mundi, Diaboli & Carnis, tres inimicos, contra quos nulla certior victoria eſt, quam ſeipſum vincere. Tranſcurrit per eadem impedimenta, per quæ olim Domina Paula, quum commutare inſtituiſſet Romanam ſedem cum Bethlehemitana, & relinquere roſas Aulæ vt colligeret ſpinas Crucis. Difficultates magnæ obiectabantur in domo, maiores in itinere, maximæ in appulſu.

SEN. in cap. *Non cad. iniur.*

Comitem forte in via fuit nacta Epiſcopum Bayonnenſem, qui tamen eam non cognouit, credoditque, quod ipſe de ſe ſpargi voluit, eam proceſſuum quorundam cauſa ad Parlamentum Tholoſanum proficiſci. Verum altero aut tertio poſt die vbi illam cognouit, tractare cœpit, vt Principiſſam tractare par eſt. Qua re illa perculſa erubuit, vt ſolent quibus caſu laruæ decidunt, perpetuoque ſeſe excuſauit, nec aliam haberi voluit quam ſimplicem ex Nobilitate fœminam, quæ pro perſequendo proceſſu ad Parlamentum Tholoſanum tendat. Nihil metuit diſſimulare ad fallendum mundum, qui eam conatus fuiſſet in fallacijs ſuis retinere, *a* nec credidit malum eſſe mendacium, cum ſe iuuaret, nec læderet audientes. Recognouit in ea non modo id quod erat, ſed etiam quod fieri volebat, & mutationem quam meditabatur. Ideo ſcripſit ſtatim ad Præſidem Tholoſanum, vt Fuillan-

a Καλὸν ψεῦδος ὅταν ὠφελῶν τοὺς λέγοντας μηδὲν καταβλάπτῃ τοὺς ἀκούοντας: *Bonum mendacium cum iuuat mentientes, nec lædit audientes.* CHARICLES ex Stob.

De S. Gregorio primus Præſes Tholoſanus.

tinis interdiceret, ne eam reciperent. At ipsa ita bene sibi prouiderat, & ijs, quæ interuenire possent, prospexit, vt superarit omnes machinationes, quæ ad eam impediendam parabantur. Fratres & affines eam secuti sunt, vt reducerent versus Ægyptum. Sed nihil impetrare potuerunt, quin obstupefacti de tam difficili resolutione in austeritatibus & seueritatibus incredibilibus. Apparebat tam constans & tam contenta in mutatione vitæ, vt nauclerus, qui tempestatem euasit, & agricola, qui feliciter messem fecit, contentior esse non possit. Ea de caussa ipsos rogauit, vt non amplius de se vellent esse solliciti, quia nihil beata vita desideret, nihil requirat, nullo egeat, sed seipsa contenta sit. Vide nunc sis, quam nihil difficile sit animis Deum amantibus, quia amor omnia potest. Qui amor fecit, vt primus ille Martyrum receperit, tamquam vniones & smaragdos, saxa quibus lapidatus fuit: & alter quidam æstimauerit rosas, carbones quibus tostus fuit: & virguncula blandita sit bestijs furiosis ad se deuorandam immissis.

1599.

ARIST. libr. 10. Ethic.

S. Stephanus.

S. Laurentius.

XI.

Verum † vt tandem ad res publicas reueniamus; quia supra diximus, Commissarios passim in Regni prouincijs super exsecutione Edicti Pacificatorij laborare, videamus nunc cuiusmodi effecta commissionum fuerint. Difficultatem repererunt in locis, vbi Episcopi & Pastores Ecclesiæ Catholicæ nec templum nec refugium habebant. Missa tamen restituta fuit in locis, vnde per quindecim & viginti annos expulsa fuerat: Prædicatio ordinata tantum in locis per Edictum accordatis. Passim homines asperos & contrarios offenderunt, impetuosos & difficiles ad compescendum, qui clamant semper secum iniuste agi, cum ipsi numquam iuste agant inuectores iniquarum querelarum, vbi iustæ querimoniæ deficiunt, instar crabronum, qui nec ceram nec mel conficiunt, & maiores tamen clamores, quam ipsæ apes, edunt. Huiusmodi homines semper in populo metuendi sunt. Nam quocumque tandem Zelo teneantur, quocumque conscientiæ & religionis tremore occupentur, nihil magis amant quam discordias nec quiescere possunt nisi in turbis. Non excusandum nec ferendum est, vbi eorum sermones, licet admodum pietate circumuestiti, aut actiones fictione Zeli aspersæ, possunt seditionem inferre. In Ciuitate Nicomedia olim Edictum contra Christianos publicatum fuit, de destruendis templis, comburendis sacris Scripturis, exauthorandis ijs, qui nomen Iesu Christi confiterentur, ac remouendis ab officijs

1599. publicis. Quidam Christianus actus ardore magis furioso quam iusto ob honorem religionis ausus est abripere & discerpere Edictum: qui propterea in ipso facto depræhensus statim condemnatus mortis & supplicio affectus fuit. Nemo tum exstitit, qui non exclamarit, iustam esse sententiam, iustum Iudicem, iustam exsecutionem, & condemnationem dignam seueriori iustitia. Commissarij vtramque partem ad concordiam simul & pietatem exhortabantur, & vt semper tenerent desideria sua in vinculis obedientiæ, & non in sentibus rebellionis; conuiuerent vt fratres, & obliuiscerentur factiosorum nominum, Papistarum & Huguenotorum, quæ discordia constituit inter primas species iniuriarum, & quæ non minus funesta Galliæ exstiterunt, quam Guelphorum & Gibellinorum Italiæ. Monuerunt Prædicatores & Prædicantes, cauerent sibi ab orationibus ac sermonibus torrentium instar seditiosis, quemadmodum aliquando fuerunt. Qui verbum Dei coram populo interpretari solent, possunt tantundem mali facere fauendo seditiosis, quantum boni annuntiando pacem & legitime administrando suum ministerium. De quibus iure dici posset illud, quod olim de Origine Alexandrino: *Vbi bene, nemo melius; vbi male, nemo peius.* Qui animum obtinent calentem vera charitate, & non ficta sed sancta pietate, omnium hominum vtilissimi sunt: qui vero abutuntur, sunt ipsis rabiosis lupis deteriores. Et si Plato blasphemum ac sacrilegum ducit, applicare mathematica ad vsum profanum, quanto profaniores æstimari debent, qui impendunt sacram Scripturam ad destruendam pacem & concordiam, in qua semper ordo aliquis reperitur & disciplina Religionis. Graues & melius cordati homines non temere cæspitant aut fallunt in hoc debiti sui officio, sed iuuenes, qui adhuc sunt infumati & nigri à puluere scholastico, conantur formare in debilibus animis opinionem scientiæ magis quam sapientiæ, & diuertunt sæpe à proposito sermone, vt in consilia Principum inquirant ac Magistratuum. Non est mirandum, si *a* Musicus loquatur de differentijs tonorum, Logicus de subtilitate argumentorum, Mathematicus faciat demonstrationes, Orator impendat artificium persuadendi: sed odiosa valde res est, si is, qui non debet ex domo sua egredi quam ad populum pacificandum, neque ex Conuentu quam instruendos deuiantes, se misceat ad ordinanda secreta Principum, & ex cathedra facere sellam agyrtæ circumforanei, & de voce sua tu-

Vide Nicephor. & Eusebium lib 7. cap. 5.

a *Qui in rebus singulis exercitati sunt, ij vere de operibus iudicant, & qua quibus congruant intelligunt.* ARISTOT. libr. 10. Ethic.

bam seditiosam. Germaniæ pessimè expediuerunt seditiosæ prædicationes Martini Lutheri, nec vrbs Florentina non experta est malas regulas Reip. quas ei Hieronymus Sauonarola voluit præscribere, & Tigurini pœnituerunt quod militaribus Zvvinglii exhortationibus crediderint. Oportet Ministrum esse contentum simplici & iusta expositione doctrinæ, nec aberrandum ei est à proposito textu nisi in vitiorum censuram & correctionem morum. Scriptura sancta tam diues est grandium & profundorum discursuum, vt qui ab ea diuertunt ad fabulas & nugas, quo debiles animos detineant, videantur mihi similes esse iis, qui cum non possint habere bonos discursus, quibus conuiuas suos detineant, histriones & ludiones arcessunt. 1599.

Commissarii præterea Magistratus & Primarios Iustitiæ Præsides monuerunt, ne temerè dissimularent in ortu turbarum seditiosarum, neque exspectarent donec primæ scintillæ inuenirent fidem simplicium dispositam ad tale incendium. Seditiones videntur similes esse primis aquæ cursibus, qui magnas inundationes præcedunt, quos nemo potest sentire, & tamen causantur grandes ruinas, si non sistantur. Talis potestatem habet incipiendi turbas, & dandi motum machinæ, quam sistere posteà nequit, vbi semel mota fuerit. Qui igne immmisso syluam incenderit, non potest euentum reliquum arbitratu suo moderari, sed ignis quocumque eum impetus tulit, pabulum quærit, & in ipsum incendii auctorem ruit: ita bellum vbi semel aliquod hominũ culpa exarsit, in ipsos seditiosos expetitur. Quod si quisque rebus suis studeret, operamque daret, vt statum, ad quem vocatus est, vtilibus & fructuosis actionibus illustraret, maligni illi Dæmones, qui amant tenebras & confusiones; fraudulenti impostores, qui sub pallio simulato occultant consilia sanguinaria & tumultuosa, nunquam exaudirentur. Interim dum curiositas abducit quosdam ad res, quæ sunt supra illorum captum & cognitionem; aliis autem persuadet, vt terminos moderationis & debiti transiliant, facilè ingenia titillantia patiuntur se ad mutationem & nouitates induci. Vtinam in eiusmodi occasionibus, & clamoribus stimulatorum discordiæ, fieret quod olim fecisse memorantur piscatores Iassenses in Caria, qui tantisper citharœdum auscultauerunt, dum per otium licebat, sed simulatq; campana forum piscatorium indiceretur, cuncti eo derelicto recesserunt. Deserendi sunt tales agyrtæ, & ad res cuiq; suas abeundum, relicta Magistratui rerum publicarum cura.

POLYB. lib. 11.

Spartam, quam nactus es, orna.

Ita exsecutum fuit Edictum in toto Regno, & ingenia etiam

1599.

ferocissima sese recognoscere cœperunt manusq; extendere ad concordiam & mutuam conuersationem, suffocata rerum præteritarum memoria. Quod *b* enim factum est, infectum reddere ne Dii quidem possunt. Si autem ad inquisitionem priuatarum inimicitiarum rediretur, statim ad discordias publicas res recideret, quia ex pace & concordia familiarum constat pax totius Reipublicæ. Æquũ est credere eos, qui peccauerunt, potius id fecisse contagione quadam quàm malitia, & ex motu alterius quàm mala inclinatione. Deus voluit vt hoc Regnum ita concuteretur, quo firmius nunc stabiliatur. Quare Iosephus etiam maluit coniurationem fratrum ad se perdendum initam referre ad dispositionem æternæ prouidentiæ, quàm ad malignam & innaturalem affectionem. Pompeium alii per errorem, alii per timorem sequebantur, nulli scelus aliquod committere cogitabant. Oportet sibi imaginari, omnes istos motus ciuiles, morbos quosdam esse epidemicos & syderales: & sapienter cogitare de futuro per considerationes præteritas, vt imposterum habeamus oculos clariores & apertiores ad distinguendum caussas à prætextibus, & discooperiendũ malum, quod occultatum latuit sub falsa apparentia boni, tenentes semper pro regula infallibili, nullam esse iustam occasionem capiendi arma contra Principẽ, aut turbandi quietem patriæ. Nos nobisipsis antehac ita abusi sumus, vt laruam pro vultu acceperimus, calumniam pro innocentia, opinionem pro veritate, & sub falsis istis impressionibus reliquimus pacem certam vt dubiam pacem sumeremus, & fidem adhibuimus Empiricis illis in Republica, qui desiderantes prolongare nostros languores, & viuificare nostros morbos, obtruserunt nobis pro tali principio verissimo, per bellum ciuile dissipari Rempublicã & perdi Religionem, hanc propositionem, Galliam viuere in pace non posse cum duabus religionibus: quæ propositio & eis mortem contulit, qui sustinuerunt, & ruinam cæteris, qui crediderunt. Reconciliamini ergo de præteritis, bene prouidete in futurum, & erepti ex naufragio contra propriam spem commanete in portu huius concordiæ, in quem nos Rex perduxit post tantas tempestates & turbines. Ibi erimus in tuto. Mare non potest nocere nauibus bene ancoratis. Ancoræ autem in hac naue sunt obedientia, quæ in tutum constituent nauem aduersus furorem ventorum & procellarum. Obedientia namque est, quæ dat vitam & motum omnibus membris huius corporis, neque signum aliud certius est viuentis Reipublicæ & valentis quàm obedientia. Est oculus corporis, qui

b Τὸ γεγενημένον, οὐδὲ θεοῖς δυνατόν ἐστι ποιεῖν ἀγένητον. PLVT. de Consolat. ad Apol.

Alij errorẽ, alij timorẽ: qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam: qui grauissimè, temeritatẽ: nemo hactenus scelus vocauit. CIC., pro A. Ligario.

Res Galliçę in eum statũ deuenerunt, vt aut bellũ perpetuũ habendũ sit, aut suffferendũ duas religiones.

viuere vltimus incipit, & moritur primus: debebat esse cor, quod viuere primum incipit, & moritur vltimum. 1599.

SVMMARIVM
QVARTÆ NARRATIONIS.

I. *Demonstratio Curiæ Parlamenti ad Regem.*
II. *Negotiatio Romæ tractata, ad declarandam nullitatem matrimonii inter Regem & Margaritam Valesiam.*
III. *Tractatio de matrimonio inter Regem & Principissam Florentinam.*
IV. *Historia Florentina, & de origine Domus Medicææ.*
V. *Cosmus Medices primus auctor magnitudinis suæ familiæ.*
VI. *Petrus Medices filius magni Cosmi, caput stemmatis, quod in Regina matre defecit.*
VII. *Grandes & eminentes qualitates Laurentii Medices.*
VIII. *Alexander Medices primus Dux Florentiæ.*
IX. *Cosmus Medices primus Magnus Dux Florentiæ,*
X. *Franciscus Medices, filius Cosmi, pater Principissæ Mariæ Reginæ Gallorũ.*

QVARTA NARRATIO.

SOLIVS Iouis propriũ est auribus carere, quia omnia scit de seipso. Cæteri Dii non sunt præditi tanta scientiæ potestate. Mars nesciebat, quum illi inter se murmurarent de eius ac Veneris amoribus. Et si scientia cognoscendi omnia posset in alium cadere, quàm magnum illum Apollinem, *a* qui scit omnia vsq; ad numerum arenæ marinæ, certè competeret in magnum hoc Deorum mortalium Consistorium, Parlamentum Galliæ, quod semper & in omni tempore sciuit id, quod non est ignorandum propter bonum Reipublicæ, & de exemplis præteritis feliciter præuidit futura. Longam demonstrationem Regi fecit de necessitate & vtilitate matrimonii, vnde ipse filium, Gallia Delphinum, tota Christianitas fulcrum habere posset, eique in mentem reuocarunt id, quod semper in memoria & in corde suo circumtulit, bono Principi Salutem suam inuisam esse, si non sit cum Reipubl. Salute coniuncta; qui nihil pro se patiatur optari, nisi expediat optantibus.

a Οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν, καὶ μέτρα θαλάσσης. Vide Casaubonũ in Animaduers. ad Athen. l. 19.

Gueslæus Procurator Generalis Regis secutus Parlamenti vocẽ repræsentauit Maiestati eius quãtas gratias debeat Diuinæ gratiæ, &

facta

1599. facta comparatione fortunæ eius cum Alexandri Magni fortuna, detexit morbos publicos Regni, & ostendit fructum ac benedictionem matrimonii eius solum remedium futurum. Hic certè prudentiæ suæ oculos longissimè in tenebras rerum futurarum coniecit, & tamquam alter *a* Strabo Lynceus vidit consilia hostium etiam distantissimè absentium.

Insuper dixit, quamuis per *b* legem Regni, legem sacram & immutabilem, legem originariam & Regni fundamentalem, successio pertineat ad proximũ Regis agnatum, tamen Galliam nunc esse nimis plenam animis, qui in Halcyoniis pacis explorant sollicitè occasionem tempestatum, in media tranquillitate aspirant ad turbas, & liberati à periculo armorum retinent animam & voluntatem armatam, vt aliquando moueant nouas contentiones contra legem & ordinationem Regni.

Et quamuis eius Maiestas per prudentiam comitatam singulari bonitate & affectione caritatiua erga quietem suorũ subiectorum, declarauerit ad successionem eum, ad quem Regnum & Corona de iure spectant; tamen Gallos obseruasse semper, quotienscumque Corona de vno familiæ stemmate in aliud transiliuit, neq; filius successit patri, agitatam fuisse Galliam nouis factionibus.

Ad tollendum igitur iustos istos metus & apprehensiones publicarum calamitatum, opus esse ne Corona mutet hoc stemma, vbi enim non est mutatio, ibi non esse turbationem: & infantes succedentes in Regnum paternum facere, vt persona, quæ regnauit, videatur magis *c* reiuuenescere quam mutata esse, dum facies patris obseruatur in filio.

Splendorem Solis valde gratum fuisse, mare tranquillum, & terram coopertam tapetio eius viridi admodum acceptam & voluptabilem visui: sed nihil esse tam pulchrum, nihil tam delectabile visu, quam lumen infantium recens natorum in familia hactenus tanto bono destituta ac frustrata. Et quum stemma Regale tot annos sine fructu fuerit, & Gallos non audire potuerint tam dulce Delphini nomen, desiderari diem vt purissimum & clarissimum Solem pacis nec quemquam esse qui non summè *a* adminiculum hoc regno Augusti. Vt autem ad tantum bonum perueniri possit, incipiendum esse à dissolutione matrimonii, inter eius Maiestatem & Reginam Ducissam Valesiam, non minus facile factu quàm olim fuerit inter Carolum Magnum & Hildegardem & Theodoram filiam & sororem Desiderii Longobardorum Regis propter indis-

a Vide Ælianum, Plinium, & Valeriũ.

b Non in Gallia tantum, sed in omnibus totius Orbis Regnis, per legem diuinã, in Regnis hereditariis proximus agnatus Monarchę, & eius primogenitus succedit. Quod ipsum obseruatur etiam in Indiis. Rex Peruæ, cũ haberet ducentos liberos, voluit tamen vt Gacca primogenitus sibi succederet sine diuisione, in totam monarchiam.

c Hinc ꝓuerbiũ illud Gallicanũ, *Regem numquam mori*. BODIN. lib. 6. cap. 5.

a Quod Tacitus appellat, *Munimenta Imperij*, Suetonius, *Subsidia aulæ*; Seneca, *Adminicula Augusti*.

positio-

1599.

positionem & sterilitatem: quàm intet *b* Ludouicum VII. & Alienoram Ducissam Viennensem propter quasdam inconuenientias relatas ab Historicis palliatas prætextu cognationis in quarto gradu: quàm inter Carolum IV. & Blancham filiam Othelini Burgundiæ Comitis propter eundem cognationis prætextum, quæ ne causam forte publicaret *c* in perpetuum carcerem coniecta fuit: quàm inter Ludouicum XII. denique & Iohannam Ludouici XI. Gallorum Regis filiam propter violentiam coactam & consensus defectum.

b qui posteà duxit Constantiam filiã Alphonsi Regis Hispaniç, quç Philippũ Augustum peperit.

c in Monasteriũ Maubissonense intrusa: Carolus autem duxit Mariã Lucenburgensem Henrici VII. Imperatoris filiam.

Nec valde laboriosum fore inquirere ac inuenire causas legitimas huius diuortii. Nam præter defectum sobolis, in qua consistit secundus finis matrimonii & *a* conseruatio Reipublicæ, non impeditum iri si fingatur inconueniens gradus consanguinitatis, quũ notorium sit omnibus, Regem ac Reginam esse in tertio detrimento, quo semper comitatum fuit matrimonium post eius sollemnizationem, quæ tamen numquam probata fuerit per bullam Papalem, propterea quod formæ necessariæ & essentiales non interuenerint.

a Clotharius fuit separatus à Radegunde propter sterilitatẽ: Aribertus ab Ingoberga: Dagobertus à Comertrude: Ludouicus Balbus ab Ansgarde propter eandem causam.

Post demonstratas necessitates & vtilitates huius separationis, supplicauit Regem vt sibi secundas nuptias eligere vellet è familia Principali & suprema, & quæ aliàs honorata fuerit in eadem fortuna; & considerare, quod tam magnum Regnum relucens vndique Principibus & plurimis Nobilissimis atque antiquissimis familiis non posset faciliter submitti gubernationi eorum, qui ex vtroque latere non essent de sanguine Regio aut supremo, sed ex vno Principum, ex altero simplicium Nobilium; & si vnquam natalium sint considerandæ differentiæ, tum præcipuè esse, quando inde prouenturi debent nasci vt aliis imperent.

ἔστι γὰρ τὰς ἐν τοῖς γένεσι διαφορὰς σκεπτέον. PLVTAR. de Educat. lib.

Non posse dari heredes sanguine nimium illustres tanto Regno; qui sanguis sit non æqualis paterno, debere tamen quantum eius fieri posset proximè accedere. Nam quum animi naturaliter elati sint, difficulter ferre iugum eorum, quos putant à splendore patrum degenerasse, quorum imperio subiici assueuerint.

Hæc † erant principalia puncta demonstrationis, quam primarius & principalis Procuratorum Generalium Regis fecit. Demonstratio profecto æqualiter librata & verissimè, dignaq; ministro qui hero suo fidelis est, qui se non patitur cogi ad adulationes, nec vinci per affectiones: digna insuper auribus Regis, qui suffert sibi veritatem exponi, *a* nec vult vt nimia reuerẽtia sibi rapiat aut obfuscet cognitionem. Regina iam præsentauerat Papæ libellum supplicem, II.

a El demasiado amor y respecto

1599.

viene à parar de contino en dagno del mismo Principe, y de los mismos, vassallos del, porque como hombres se suelẽ algunos subir tã alto, que se pierden à si mismos de vista, y descognoscẽ quãto mas à sus inferiores. Dellos, porque se hallã esclauos, y maniatados de sus proprias manos. ANT. PEREZ

petens & persequens declarationem nullitatis matrimonii tanquã contracti in gradu prohibito, & ad quod ipsa numquam consenserit, sed Rex Carolus frater & Regina mater sibi extorserit voluntatem consensus, quem ex ore non ex corde coacta expresserit.

Cardinalis Ossatus & Sillerius Legatus Regis, quibus mandatum persequendi processum datum fuerat, dixerunt ad Papam, Regem Dominum suum semper æstimasse fauores sanctæ Sedis ea reuerentia & affectione, quæ in Principe Christiano & primo filio Ecclesiæ requiri possit: sed quod spectet ad nullitatem matrimonii cum Regina Marguerita, non plus eum fauoris desiderare, quam iustitia ipsa velit, nec minus quam quod accordari possit etiam minimo suorum subiectorum in defectibus tam manifestis.

Auditis quamuis rationibus nihil tamen Papa sine magna & profunda deliberatione facere voluit. Ideo deputauit aliquot Cardinales, qui ei consilium suum exponerent, ad quos etiam Rex posteà rescripsit. Omnis difficultas in eo vertebatur, quod non videretur esse rationabile, vt Papa Clemens VIII. dissolueret matrimonium & declararet nullum, quod Papa Gregorius XIII. approbauerit, & cuius auctoritate absoluta omne impedimentum & vitium sublatum fuerit. Sed ad ea responsum fuit, neminem nescire, matrimonium hoc contractum & consummatum mense Augusto anni MDLXXII. fuisse. Vitium apparere in consanguinitate tertii gradus, quod vitium eius conditionis est, vt non permittat contrahi matrimonium, & disrumpat iam contracta. Regem, quum non fuerit tunc sub iurisdictione Papali, & Religio, in qua eductus fuit, eum docuerit, minimum esse debere in Ecclesia qui velit esse primus, non recurrisse ad Papam pro dispensatione. Regem Carolum & Reginam matrem, qui in Principissæ huius matrimonio magis considerauerint sua consilia quàm eius consensionem, nec cogitasse quidem vt Romam mitterent. Ipsam adeo, quæ ad hoc matrimoniũ nec voluntatem nec affectionem attulerit, nolle vt credatur desiderasse se hanc coniunctionem, vt requireret abolitionem impedimentorum, ad quæ ne cogitauerit quidem: & quemadmodum nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitauerit, ita impossibile est præsumere consensum, qui numquam in mentem venerit. Papam, qui propter diuersitatem religionis non approbauerit hoc matrimonium, & qui rogauerit Regem Carolum elocandi Sororem suam Sebastiano Portugalliæ Regi, conniuere tum voluisse: ita vt tale matrimonium tum contra-

20. Augusti, 1572.

TVBERO lib. 7. D. de sub. leg.

Papa ea de causa Cardinalẽ Alexandrinũ in Galliam misit.

ctum

ctum non potuerit esse legitima coniunctio, nec tempore id emendatum vitium fuisse. Sed post sanguinolentum illud S. Bartholomæi festum, Regem Carolum & Reginam matrem, postquàm id effecissent quod moliebantur, cogitasse multa in Reginam Margaritam conferre, si à Papa Gregorio XIII. confirmationem matrimonii impetrarent, allegantes pro omni ratione, expedire bono publico vt hoc matrimonium continuaretur. At quis fuit, qui peteret hanc dispensationem? Princeps iuuenis, qui nihil trutinauit apud se, quàm memoriam infortunii, in quo persona eius implicata fuerat, & omnium fidelissimi ministri intricati sub saluoconductu matrimonii. Principissa item iuuenis, cuius nomen fingere & supponere tam facile fuit ad prosequutionem illam faciendam, quàm fuit impossibile eius habere consensum ad perfectionem matrimonii, quippè quæ posteà apertè declarauerit de prætensa illa dispensatione intellexisse. 1599.

Rescripta Paparum dispensatoria semper hanc habēt clausulam adiectam: *Si preces veritate nitantur*: quibus requiritur exacta cognitio & perfecta discussio rerum preteritarum & præsentium.

Et quemadmodum causa dispensationis non erat cognita Papæ, ita etiam instantia, quam vna pars facit, non fuit secuta. Non fuit rescriptum ex proprio motu & potestate absoluta Papæ, vt non deberet censeri per formas ordinarias ad cognitionem causarum in eo expressarum indagandam. Conferenda erat veritas cum expressione facti: & si appareret, hoc matrimonium esse nullum non modo propter defectum consensus, sed etiam propter impedimentum consanguinitatis, necessarium videri, vt res ad nouam ceremoniam deueniat, & stipulentur de nouo promissa matrimonii, quæ non potuerint obligare coniunctos, quum voluntates eorum fuerint tam alienæ ab ea obligatione.

Et quamuis verum sit, quod diu multumque cum Rege commorata fuerit, tamen constat eam moram & cohabitationem semper inuitam & coactam fuisse, & eundem metum, qui initio matrimonii fuerit, durasse tamdiu, dum ad Reges fratres, Regina mater, & tempus non considerarentur, durante eo metu.

Deficiente consensu fieri non potuit, quin grauissimum vitium committeretur, quod ipso facto rem annullat. Libera & expressa declaratio voluntatum est forma, quæ dat esse & essentiam matrimonio. Hæc est lapis angularis in hoc ædificio; hæc, clauis Secretarii: & in tantum necessaria, vt nec tota Ecclesia possit matrimonium facere legitimum, vbi illa deficit.

1599. Magnus ille Legislator, Verbum ipsius Dei, *a* Perfectissimus, vt appellatur à Trismegisto, noluit quidquam ordinare contra hanc antiquam matrimonii institutionem. Et si quæ differentia est nuptiarum veteris & noui Testamenti, Legis & Euangelii, ea consistit in sola gratia. nam vna est causa, altera non est.

a Τοῦ παντελείου πρωτογόνου, καὶ τελείου, καὶ γονίμου γνησίου υἱός: *Perfectissimi primogenitus, perfectus fecundus, legitimus filius.* MERC. TRISMEG.

Sed oportet vt talis consensus cum libertate habeat reuerentiam & respectum, quibus distinguitur ab aliis conuentionibus prophanis, in quibus nomen Dei non inuocatur. Gentiles, Iudæi, Christiani semper habuerunt quasdam ceremonias, ad faciendam talem distinctionem. Primi illi habebant aquam, ignem, annulum, velum, faces, Hymenæi & Thalassionis acclamationes. Plato ait: *Profanum nefariumque censebimus, quasi fœtum ciuitati ferat, qui non sacrificiorum siue precationum fiat inauguratione, quas Sacerdotes singulis in nuptiis peragent sacrificiis institutis, vota etiam concipiente vniuersa ciuitate, vti ex bonis meliores, ex vtilibus vtiliores nascantur.*

de Republ. Lib. 5.

Quid deinde secundi fecerint, satis ostendit Historia Rachelis & Tobiæ. Et quod ad tertios, semper Ecclesia vsa est benedictionibus solemnibus & publicis. Ita vt hodie post abolitionem matrimoniorum clandestinorum & præsumptiuorum iure ac merito dici possit, quod, quamuis in Christianitate multæ sint Religionis differentiæ, nullum tamen matrimonium legitimum censeatur, nisi quod per consensum publicè factum fuerit.

Hoc nō fuit diuortium, sed declaratio nullitatis matrimonii. Quare is, qui scripsit, Regē vigesimo septimo post anno, quam matrimoniū cum Regina Margarita habuerat, fuisse ab ea separatū, loquitur impropriè, nullū enim inter eos vnquā matrimonium fuit.

Per rescriptum Papæ, Cardinalis Ioiūsa, Episcopus Modenensis Papæ Nuntius in Gallia, & Archiepiscopus Arelatensis Iudices delegati fuerunt ad procedendum iuxta rationes repræsentatas in nullitate matrimonii. Omnibus rebus prudenter ac iustè examinatis, tandem pronuntiarunt matrimonium esse nullum, remittentes vtramq; partem in eum statum, in quo erant antequam matrimonium celebraretur.

Margarita illa vnica superest ex familia Valesia, superuixit Regem Henricum II. patrem, Reginam Catharinam Medicæam matrem, tres Reges Franciæ & Ducem Brabantiæ ac Alenzonii fratres, Isabellam Reginam Hispaniæ & Claudiam Ducissam Lotharingiæ sorores. Sed si quæ vnquam ex summis Principibus mundi probauit, magnas prosperitates esse instar torrentium violentarum, & ingentem fortunam esse instar hederæ, quæ muros, quibus sustinetur, ruit, certè ipsa est.

Quemadmodum† vno polorum se subtrahente alter continuo sese monstrat, ita hoc matrimonium vix fuit irritum factum, quum de alio tractari cœpit, in cuius benedictione sibi Galli promittebant III.

incre-

incrementum & continuationem benedictionum cœlestium. 1599.
Magnus Dux Florentiæ diligentissime asseruabat Mariam Medicæam neptem suam, ad augmentandum honorem suæ familiæ cum aliqua præcelsa affinitate. Eo tempore supremæ in Europa familiæ nullas habebant filias nubiles, aut quibus non adesset aliqua inæqualitas ætatis & religionis. Quæ sane satis magnæ & momentosæ considerationes sunt, quas Princeps non debet temere insuper habere & negligere.

Inæqualitas Religionis.

Natales parum felices in coniunctionibus inæqualibus auferunt nobis omnem dubitandi rationem in dicti superioris veritate. *a* Sed differentia est extrema in eo, quod vnire debet animos & corda. Est perpetua tempestas, est longum iter sine diuersione, vita sine quiete, pœnitentia sine remedio. Vno verbo, ibi Deus abest. Qui ex nominibus Hebraicis viri & vxoris sustulerit duas literas, conficiet ex eis magnum Dei nomen; & quæ manebunt, concinnabunt nomen ignis, cineris & afflictionis. *b* Tolle spiritum Dei à matrimonio, quod restat, non est nisi tædium & maledictio. Id magis recognoscitur in matrimonijs Principum quam priuatorum hominum. Rex Scotiæ in Dono Basilico, quod filio, pro instructione dedit, eum exhortatur, ne vxorem accipiat à sua religione alienam. Concilium habitum in *c* Trullo palatio Imperatorum Constantinopolitanorum exsecratur eiusmodi coniunctiones, quum æquum non sit vt lupus oui coniungatur.

a Diuersitas religionis diuisæ diuidit concordiam matrimonij, quod est vel pessimum malum, vel optimum bonum in vita, prout Deo placet dare vel auferre benedictionẽ.

b Vide Rabbi Benezram in Prouerb. Salom. ca. 2. vers. 17.

c Can. 17. vbi ait, nõ esse sociandum τὸν λύκον τῷ προβάτῳ.

Rex elegit sibi vxorem ex familia, de qua dici potest, pietatem ei esse hereditariam, quemadmodum olim dicebatur, Pisonum familiæ propriam fuisse moderationem, Læliorum sapientiam, religionem Metellorum. Sed ordinata à diuina Prouidentia vt produceret Galliæ quartum Regem, sicuti tres iam ex se progenuit.

Spartanorum hoc de Athenis dictũ est.

Videtur sapientia illa æterna, quæ concinnat matrimonia Principum in cœlo, & benedicit in terra, noluisse eam Principissam conciliare Imperatori, vt reseruaret bono & in bonum maioris Imperij; noluisse etiam vt Gallia quæreret alibi modos perpetuandi Coronam in posteritatem Regiam, quam Florentiæ, quæ est hodie oculus Italiæ, vt Athenæ olim fuerũt Græciæ; quamue in familia Medicæa, quæ iam cum primis Italiæ pariare potest. Historia originis eius adæque † memorabilis est, quam prudentia in fortuna eius admirabilis. Debuit misceri cum Gallica, quia iam duabus vicibus Galli recurrerãt ad flores huius familiæ, vt inde reflореret ac renasceretur planta Regalis & quia interest, vt Princi-

Petita ab Imperatore & reseruata Regi. IV.

1599.

pes nostri sciant illorum arborem cognationis tā maternæ quam paternæ, referam. Sed ad hanc *a* Historiam cognoscendam nosse oportet res Florentinorum, & repetere secunda fundamenta sub Carolo Magno, postquam Ostrogothi eam destruxerant, & recordari generosam illam virtutem & virtuosam generositatem *b* Eberhardi Medices, qui iam tum cœpit ostentare spem familiæ & posteritatis suæ, quum Mugelem gigantem, qui totam regionem prædationibus & latrocinijs infestabat, obtruncauit. Ciuitas dependebat ab Imperio, & gubernabatur per Consules & Senatum, quemadmodum hodieque vrbes Imperiales gubernantur, nec tamen subiectæ sunt Imperatori.

a Hæc est opinio Iohan. Vellani lib. I. Hist. Flor. cōtra Guicciardinū.

b Eberhardus Medices Eques Francus in exercitu Caroli I. Imp. quū is anno 801. in Italiam contra Desiderium Regem Longobardorum contenderet.

Genealogia domus Mediceæ.

Postquam famosa factio Guelphorum & Gibellinorum diuisit Italiam & ex magna parte principes Europæ & seditiones ordinariæ populi *a* quo nihil ad iracundiam propensius, in cupiditatibus vehementius, in voluptatibus mollius, in doloribus abiectius, in irascentia asperius, constituissent ciuitatem in eum statum, vt se non posset amplius continere intra libertatem & seruitutem, neque manere neutralis propter machinationes ingentes vicinorum, ne hilum tamen animaduertere potuit ruinam & quietis & libertatis suæ: nam quamuis vnitissima, semper tamen diuisa in duas factiones fuit.

Et quemadmodum paruâ scintillulâ potest magnum parari incendium, & paruo foramine pessumdari magna nauis, & paruo dissidio excitari ingens tumultus, homicidium vnius Patritij ex familia Bundelmontiorum, *b* interfecti ab Amideis irritatis eo, quod ille reliquisset virginem suæ familiæ, cui fidem matrimonij dederat, & duxisset aliam, fuit prima occasio, per quam ciuiles furores intrarunt in Rempublicam. Namque hæ duæ factiones, quo se facilius vindicarent in vltionem alterutrius, & inimicitias priuatas sub prætextu belli publici, incensi inter Guelphos & Gibellinos, exercerent, sumpserunt diuersas partes. Budelmontij Papam & Guelphos sequebantur, Amidei Imperatorem & Gibellinos.

a MAX. TYRIVS serm. 41.

b Florentiæ in die Paschatis intra veterem pontem S. Stephani.

Hominum animi in plus habendi cupiditatem & iniustitiam prolabentes bellis & tumultibus omnia miscent, atque hinc interitus multaque gentiū interneciones eueniunt, innumeraque alia calamitates oriuntur. AGATH. lib. I.

Respublica necdum experta erat immensas cupiditates, quæ cumulant Respublicas felicissimas ruinis & tumultibus. Nondum senserat violentas conuulsiones, quibus debilitantur & retrahuntur Reipublicæ nerui. Nouitates nondum valde alterauerant temperamentum humorum eius: nam vetus ordo gubernationis adhuc subsistebat: & in hoc ordine pacis & securitatis Reipublicæ, qui erat sub auctoritate Consulum & senato-

rum

1599.

rum ordinatorum in sex vrbis regionibus ad inuigilandum rebus publicis, etiam Domus Medicæ suo loco & tempore gubernabat.

Sed postquam Imperator Fridericus in Italiam cum ingenti Gibellinorum exercitu venit, eius partes secuti pleno saltu in imperium totius vrbis irruerunt, vt se superiores facerent, & Guelphos omnibus viribus & auctoritate spoliarent.

At numquam solet esse naufragium tam ingens, incendium ita violentum, morbus sic vniuersalis, vt non semper seruentur aliquot tabulæ, aliquot columnæ, aliquot corpora: eodem modo corruptio in hac vrbe non fuit tam generalis, quin plures familiæ, & inter cæteras Medicæa, procul ab ea contagione, vigore plenæ remanserint, ad releuandum calorem naturalem, purgandum prauos humores, complendum corpus bono sanguine.

a Μὴ τὸ κακὸν κακῷ ἰᾶ. D. filiæ Pisandri apud HERODOT.

Noluerunt malum a medicari malo, nec resuscitare ruinas publicas per priuatas, sed omnia fecerunt, quæ potuere, ad compescendam licentiam malorum, & sustinendam auctoritatem hominum bonorum.

Sed vt est * natura factionis non rehabendi quietem nisi in ipsis turbis, Gibellini moniti Conradum conscripsisse ingentem exercitum, quo succederet in machinationes Manfredi, & iura patris, & compesceret Italiæ Guelphos, prompte manus partiti sumpserunt occasionem oblatam, & mouerunt vt in inimicos suos irruerent.

* Factionis natura monstrosa, quippe quæ ipsis turbis quietem & tranquillitatem, adeoque ipsam felicitatem ponderat & metitur. Ignis enim naturam imitatur, qui non, nisi suum ipsius pabulum absumendo, fouetur, nutriturque.

Omnium ignauissimi Arati, & frigidissimi ardere cœperunt in arma & vires.'

Motus eorum instar tubæ erat, & Guelphis conclamatio ad arma, qui metuentes ne præuenirentur, vocarunt Carolum Andegauensem ad vrbem, & tantum metum Gibellinis iniecerunt, vt coegerint eos relinquere vrbem, nec exspectare a Martinellæ sonum, ne peius quid scilicet contingeret.

a Florentini habebant campanam Martinellam vocatam, quam in bellum profecturi integrum mensem pulsari fecerunt ante profectionē, vt hostem admonerent, & ei tempus apparandi darent, adeo erant virtuosi. MACHIAV. in Hist. Floren.

1599.

Papa Clemens IV. constituit Carolum Andegauensem, Vicarium Imperij in Tuscania. Nicolaus III. familia Vrsinorum natus, metuens ne Italia pœniteret quod adeo promouerint magnitudinem Conradi Principis extranei, ei fortunam suam turbare institit, effecitque vt abdicaret gubernationem Florentiæ & resignaret Cardinali Latino Episcopo Hostiensi, qui remisit & reconciliauit, Guelphos & Gibellinos pariter in vnam eandemque conspirationem propter pacem vrbis.

Gibellini, qui multas causas minime contemnendas habebant diffidendi huic reconciliationi inimicorum, & metuerent periclitari aquas veteribus inimicitijs stagnantes, petierunt obsides electos ex principalibus familijs Guelphorum, in assecurationem obseruandæ *b* tractationis, in qua concessum erat ius constituendi principales Magistratus in vrbe. Qui neutrales perstiterant inter istas diuisiones, & prudentiam suam cedere iusserunt ei quod superare nequiuerant, cernentes res Friderici II. in malo statu, laborare cœperūt ad reuniendos suos ciues, reuocatunt absentes, sopiuerunt diffidentias, & suffocauerunt omnia semina veterum inimicitiarum. Qua concordia inita ceperunt & demoliti sunt Volaterras, coegeruntque Pistoiam, Aretium & Senas ad fœdus secum percutiendum. Sed hæc malacia non durauit supra decem annos; & fuit tantum præsagium tam grandis tempestatis, quæ se paullo post eleuauit. Nam vbi Gibellini intellexissent, Manfredum esse Neapoleos potitum, & arma contra Guelphos sumpsisse, eum vocatum in vrbem suam receperunt tamquam Protectorem; qui deinde se eius Dominum edixit, Gubernatoremque in ea suum Comitem Iordanum constituit, qui inde Neapolim pro seruitio Domini sui profecturus, Florentiæ Vicarium sibi reliquit Guidonem Comitem Nouelli.

b per quā conuentum erat, vt XIV. Gubernatores vrbi ordinarentur, septem ex Guelphis, & septem ex Gibellinis, & singulis annis ad voluntatem Papæ eligerentur.

Manfredus bastardus Friderici II. Imp. eiecit magistratus Florentinos, & sustulit omnes marcas libertatis.

Papa Vrbanus IV. videns potentiam, qua sibi Gibellini præualuerint per Florentiæ conquisitionem, nihil promptius & expeditius reperit, quam vt appellaret Carolum Andegauensem victoriose à prœlio Beneuentano redeuntem. Felicitas huius victoriæ animum reddidit Guelphis Florentinis, quo sumpto & Gibellinos & eorum Comitem ex vrbe expulerunt. Populus contentus se videre in sua libertate restitutum, & eos, qui volebant eam opprimere, eiectos, conuocarunt omnes ciues ex vna & altera parte, reuniuerunt vrbem in vnum eundemque consensum conseruādi sese liberos, & nec Papæ nec Imperatori in præiudicium libertatis suæ adhærere. Verum semper hoc malum adfuit,

quod

Velleius lib. 1.

quod ij, qui primaria Reipublicę munia gubernabant, publica ruina maluerint, quam sui proteri, & idem passuri minus conspici. 1599.

Martinus V. Papa 1281.

Martinus Turonensis, amator magnitudinis regni Gallorum conscendens sedem Romanam auxit Carolum Andegauensem auctoritate, quam prædecessor Papa eidem in Tuscania abstulerat. Violenta occasio nouarum persecutionum in Gibellinos, qui à muneribus publicis abdicati, & Magistratus ex numero duodecim ad tres redacti, postea ad sex, deinde ad nouem, tandem iterum ad duodecim sub nomine Priorum, quorum imperium duos tantummodo menses duraret. Sed quemadmodum difficilius est temperare felicitati, qua nos non putemus diu vsuros, plus inordinationis in hoc regimento repertum est quam fructus inde sperari potuisset. Gibellini durantibus procellis & fluctibus tantæ tempestatis cedebant Guelphis, non ex motu affectionis, sed pro conditione temporis. Nam isti habebant ventum in puppi, & omnis Italia tremebat sub eorum factionibus. Carolus Andegauensis erat firmissima factionis Guelphicæ columna, postquam in prælio Conradinum superasset, eumque Neapoli decollari fecisset, & cum eo domum Sueuiæ Ducum exstinxisset, quæ Imperium per annos circiter centum & quindecim tenuit, & Regnum Neapolitanum septuaginta annos. Sed post vesperas Sicilienses quum Arragones se regnorum Neapolitani & Siciliæ dominos fecissent, vrbs Florentina aperire oculos cœpit, & se retrahere à fatalibus dissensionibus, ob quas dicterium & fabula vicinis facta erat, & quæ tandem eam prædæ inimicorum exposuissent. Interea nascitur fatalis illa diuisio Alborum & Nigrorum. Quæ videbatur esse torrens quidam impetuosus, qui aufert peræque pulchras & fructuosas plantas, quam truncos & spinas. namque ea veniam dedit hominibus inutilibus, & vexauit necessarios. reddidit immo sese odiose memorabilem posteritati per cædes ingentis ciuium multitudinis, & per incendium mille & septingentarum ædium, quo Florentia ita debilitata & infirmata fuit, vt quum non amplius haberet, quo se verteret, ad Carolum Valesium confugerit, qui ex febri interuallari fecit vt fieret continua, & non potens quidquam efficere, recepit se in Siciliam, & inde in Galliam.

Tacitus.

Priores libertatis.

in die Paschatis 1282.

Conradin⁹ Dux Sueuiæ, Manfredi nepos, decapitatus Neapoli iussu Caroli Andegauensis, 26. Octobr. 1268.

Carolus Valesius, frater Regis Galliæ, vocatus in Italiam per Regem Neapolitanum, vt iret in Siciliam, transiit Florentiam.

Imperator Henricus VII. ingressus Italiam studuit Gibellinos & animo & viribus fractos recolligere, obsedit Florentiam, & Guelphos depressit. Florentini recurrerunt ad protectionem Regis Neapolitani, à quo pro Gubernatore acceperunt Comitem

1599. Hadriæ; quem ipſi expulerunt, quia non reperirent quidquam ita dulce neque leue, quod non premeret ſuam libertatem. Tamquam ij, qui febre laborantes dum lectum mutare ſolent, paroxyſmos interim mutare negligunt; ita hi neſcientes quid ſibi prodeſſe quiret, vocarunt Landum Dagobium, & poſt eum, Guidonem Bontifoli Comitem. Quum ſuccubuiſſent in prœlio contra Caſtruccium Lucenſium Capitaneum, rurſum ad alia remedia cõfugerunt, & miſſis Legatis auxilia petierunt à Carolo Calabriæ Duce, qui primo ad eos miſit Ducem Athenarum, deinde ipſemet perſonaliter acceſſit. Ab altera parte exules Florentini vocarunt Ludouicum Bauarum Imperatorem, dum Athenarum Dux conatur auctoritatem ſuam ſtabilire, in tantum potens in vrbe vt præter Principis nomen nihil ei defuerit, ſub quo tamen omnes eius conatus gerebantur: nulla ei lex præter ſuam voluntatem erat, nulla voluntas præter ambitionem, qua ille laborat triumphare contra leges & libertatem Reipublicæ. Deus, qui diſtribuit Principatus, diſponit corda populorum ad obedientiam; ſed Tyranni, qui vi ad obedientiam cogunt, numquam ſunt tuti in ſua auctoritate. Facit ad punitionem populorum, vt Reges ac Principes ſolent cum accipitribus & niſis: quos inter delicias nutriunt, & deinde in purgamentorum loca congeſtitia abijciunt. Dux Athenarum putans ſe culmen ſupremum ſpei ſuæ conſcendiſſe, & tenere ſe, à quo tenebatur, & quod ea in re fortius erat quam ipſe, quia, vt Plato ait, *b* fortius eſt quod habet, quam quod habetur, quia res quæ tenetur cedit tenenti, voluit experiri an eam poſſet tenere, ſed experimentum offendit ſatis difficile. Nam Medices eum ſubito coegerunt ſe continere in terminis ſuæ protectionis & amicitiæ, non Domini aut vſurpatoris, eum deſpoliantes violenta auctoritate, quam cogitabat obtinere in vrbem. Interim tamen dum Ciuitas non poteſt ſufferre vnum tyrannum, pati cogitur decem. Reſpublica erat extreme deformata, & viri probi ſibi perſuadebant aliquam reformationem, quando Syluester Alexandri filius Medices promotus fuit ad Gonfalonnerij dignitatem, quæ comparari poſſet cum Dictatura Romana. ſed modus reformandæ Reipublicæ pendebat ab auctoritate tot iudiciorum, & ſubiecto tam vago & inconſtanti, quale populi eſſe, & vulgi, cuius tam mutabile eſt ingenium & perplexum, vt quid conſtanter velit aut nolit; non facile intelligi poſſit.

Ingreſſus vrbem menſe Iulio 1326.

b κρεῖττον ὁ ἔχων τοῦ ἐχομένου. PLATO in conuiuio.

Thucyd. lib. 8. LI-VI. lib. 3. dec. 1.

Demoſth. Olynth. 1.

Syluester ſatis intellexit, ſæculum ſuum non eſſe capax habenæ tam curtæ & hoc modo gubernatæ, licentiam nimis ac-

1599.

creuisse, periculosum esse mouere res præteritas, & tamen ne relinqueret malum sine remedio aliquo, ostendit se non desiderare Præfecturam suam aliter reddere memorabilem, quam per generalem reformationem inordinationum præteritarum.

Seditiosi, quorum pessimus quisque acerrime rectorem patitur, metuentes ne in actiones suas inquisitio institueretur, complicibus eorum punitis, concitarunt populum ad rebellionem, amantes potius inordinationem sequi quam inchoare, quemadmodum per se homines promptiores sunt vt videant quam moueant seditionem. Auribus turbulentorum ingerunt, potentiores machinari noua consilia in ruinam ciuium. Ad quos clamores, sicuti mancipia qui deserunt remos ad indicium datum, ita opifices cuncti in arma ruerunt, Palatium occuparunt, ignes in domos immiserunt, & instituerunt in vrbe regimen & gubernationem Cyclopicam. Quidam lanæ Carminator, homo seditiosissimus, accepto Gonfalonnerij magistratus insigni cum quatuor mechanicis artificibus supremam vrbis potestatem iudicio plebis vilissimæ commisit, in tantum vt calces viderentur capiti imperare. Adiuti fuerunt ab aliquibus, qui sese viros bonos simularunt magis per prudentiam & ambitionem, quam per inclinationem & conscientiam, *b* & ij se omnium insolentissimos & immoderatissimos præbuerunt. Quæ deplorabilis confusio, vnde omnes Reipublicæ pulchritudines exstinctæ fuerant, durauit ab anno MCCCLXXVIII. vsq; ad annum MCCCLXXXI. quo nobiles familiæ indignantes se à plebe abiectissima vexari, resuscitarunt virtutem suam, vt se restituerent in pristinum splendorem, & Rempublicam in veterem politiam, & tum apparere cœpit Domus Medicæa, quæ iam existimabatur esse tota fortunæ, *c* cui omnia hominum expensa & accepta ferenda sunt, fauoribus niti. Sed quemadmodum Piratæ aggrediuntur semper naues plenas diuitiarum, ita inuidi habuere hanc familiam pro exemplario & scopo suæ malitiæ. Arbores fructus dant illis, à quibus commouentur & quassantur, ita hæc familia, quamuis ingratissime habita, tamen nullam occasionem intermisit bene de Republica merendi. Vierius Medices tranquillauit eam diuisionem, auctoritatem Senatui restituit, & populo libertatem. Machiauellus post omnes, qui de Republica Florentina scripserunt dicit, eum in tanta reputatione fuisse, vt si tantum ambitionis ad Rempublicam, quantum probitatis, attulisset, sine omni difficul-

SALVST.

Aristoteles in fine Ethic. appellat vitam Cyclopicam, cum quisque iuxta fantasiam suam viuit.

b *Difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulauere.* SALVST.

c *Fortuna omnia expẽsa, omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium sola vtramque paginam facit.* Plin. lib. 2. ca. 7.

1599. tate potuisse supremæ in vrbe potentiæ potiri, & fallere libertatem patriæ: *a* quum nemo sit qui tutius fallere possit, quam is, de quo publica est opinio quod fallere nolit.

a Nessuno piu facilmente inganna gli altri che chi è solito, & ha fama di mai non gli ingannare. GVICCIARD. lib. 6.

Anno 1423. Agitabatur tum interius per diuisiones ciuium, & extra per vim & arma Vicecomitis Mediolanensis, qui eam obsidione cinxerat. Iohannes Medices satis industriæ habuit ad fortificandam patriam ex omni occasione. Bellum extraneum constitit intra modicum tempus tres milliones & sexcentos ducatos ærario publico, priuatis ciuibus in totum depauperatis. Non recusauit subuenire necessitatibus publicis de suis proprijs bonis ac diuitijs: & præferens iustitiam communem suo proprio interesse, senatusconsulto edici voluit, vt communis contributio sumptuum bellicorum fieret, in quam potentes æque atque minores ciues quisque pro rata sua cogerentur. Vnde appellatus est Deus tutelaris patriæ, & ex eo tempore populus nullius mandatum præterquam ipsius approbare voluit. Sicut autem beneuolentiam populi sibi conciliauerat, ita è contrario inuidiam potentium conflauit, primum monstrum quod se præsentat viro probo, qui cœpit ostendere virtutem suam bene de Republica merendo, à quo tamen citius contemnendo quam contra pugnando se quis liberare posset. Iohannes Medices incessit tam caute super punctis & spinis inuidorum, vt numquam in negotijs publicis conscientiam aut honorem suum vulnerauerit. Et quamuis difficile sit tenere vultum suum tam intentum in suos passus, vbi circumcirca tot obiecta oggeruntur ad deuertendum, nihilominus tamen quum vidit omnem auctoritatem Senatus deuenire in manus suas, & amicos consulere vt eam in potestatem suam redigeret, noluit eis obtemperare, protestatus se nullam aliam auctoritatem in Republica desiderare, quam quæ sibi legibus offerretur. Reiecit omnes honores, qui sibi videbantur supra qualitatem & conditionem ciuis esse, & qui possent fortunæ suæ inuidiam, & patriæ turbas creare. Neque etiam imperia in populos viribus acquirunt, quæ non rapienda sunt sed merenda.

Discant, qui regna capiunt, nō raptum ire imperia, sed mereri. VOPISC. in Tacito.

V. Cosmus † filius continuauit regulas parentis; & se præbuit vt ipse rectorem & directorem omnium negotiorum. Moribus erat popularibus, & animo Principali: diuitijs tantum vtebatur ad triumphandum virtutibus suis, & acquirendos amicos, *b* quorum nulli hominum satis esse dicere solebat. Vestiebatur vt ciuis, & viuebat vt Rex, cuius domus erat pauperum refugium, ara afflictorum, templum iustitiæ, & receptio omnium elegantissimo-

b Amicorum neque nobis, neq; cuiquam hominum satis fuit. SALVST.

rum totius Italiæ ingeniorum. Cosmus erat totus in Florentia, & sine eo Florentia erat nihil. 1599. Et quamuis desiderium ac voluntas esse debeat boni ciuis, vt numquam velit plus se posse, quàm vniuersam Rempublicam, tamen eius potentiæ nihil par erat in vrbe. Potentes eius æmuli, propter existimationem & auctoritatem, qua valebat apud populum, cœperunt vigilare & explorare eius actiones, & sicut cantharides inuidiæ semper incumbũt pulcherrimis floribus virtutes, persuaserunt populo eum moliri contra libertatẽ Reip. & conari se dominũ ciuitatis reddere: liberalitatẽ & pietatem eius opercula esse ambitionis, cupiditas inuadendi superioritatem & dandi legem illis, à quib. recipitur, est tam violenta, vt nihil sit ꝙ magis penetret animũ, aut lubricius fiat q̃ tyrannis, cuius potentes fermè sunt deperditi amatores: & quamprimũ animaduertitur priuatum quendã alas suas supra nidum velle extendere, necessarium ducitur anteriora eius in dorsum conuertere. Semper periculosum est Reipubl. pacatæ dissimulare incrementa fortunæ & auctoritatis personarum priuatarum. Hic fauor popularis similis esse videtur riuis, qui fluunt leniter vt de paruis scaturiginibus venientes; quod si crescere sinantur, parui riuuli adaugentur & succrescunt in tantum, vt amplius vadari aut sisti nequeant. Verum difficile est deturbare quem Deus vult extollere, & excidere radicem arboris quæ perpetuo rursum pullulat.

Τυραννὶς χρῆμα σφαλερόν. Herodot.

Gratia, magnificentia, publica beneuolentia Cosmi erat suspecta potentibus, qui occurrere eius auctoritati deliberabant. Ita *a* nullo modo fieri potest, vt pauci multis, atque auidi imperii æqualitatis studiosis bene velint. Bernardus Gadagnius tunc Gonfalonnerius in mensem Septembrem & Octobrem Anni 1433. constitutus, eos in Palatium vocatos compingi iussit in carcerem. Sententiæ certissimæ nõnullis videbantur, vt interficerentur. Nam *b* in eiusmodi occasionibus si periculum Reipubl. vertitur, oportet aut radicitus exstirpare aut in tuto confirmare. Qui clementiores erant, consuluerunt vt ad tempus aliquantum in exsilium eiicerentur: & fertur Cosmus in Bernardo Gadagnio reperisse, quod *c* Cæsar nequiuit in Bruto habere, vt nimirum promissis ac liberalitatib. corruptus se dimiserit, & vt Venetias abiret concesserit. Quod exilium æquè constanter ac Metellus sustinuit, æquè faciliter vt Rutilius, nec minorem opinionem de se absente habuit, quàm Alcibiades, qui in exilio suo dicere solebat, meliorem se esse omnibus iis, à quibus relegatus fuerat. Nihil reliquit Florentiæ, quod ad eum propriè spectabat. Nam merita eius passim eum comitata sunt, passim propria virtus eum secuta est, & reddidit ostracismũ suum æquè

a DEM. de Rhodiorum libertate.

b BODIN. lib. 4.

c PLVT.

Cosmus relegatus Venetias 3. Octobr. 1433.

1599. gloriosum fortunæ suæ, quàm Nicias olim & *d* Alcibiades. Gaudebat post tantum procellarum tempus, quibus in vndis marinis iactaretur, aliquando mori in portu. Nam hæc absentia ei in manus præbuit grandes modos ostentandi præstantes qualitates ingenii & fortunæ suæ. Respublica Veneta eum recepit, vt Lacedæmones olim receperũt Alcibiadem relegatũ, rogauitq; sæpè in Cõsilio graues & sapientes eius sentẽtias. Potentissimi quiq; in Italia obtulerũt ei auxilia & assistentiã contra ingratitudinẽ patriæ, q̃ non potuit diu pati eclipsin huius Solis, nec cessauit donec elapso anni spatio reuocaretur, & in pristinos honores restitueretur. Patria ei reuerso de cõmuni omniũ sententia contulit titulum *a* Patris patriæ, ꝗ & tumulo eius incisus fuit, & à tota Italia *b* Magni cognomẽto honestari cœpit.

d qui à Lacedæmonibus fuit vir probus habitus. MAXIM. TYR. serm. 40.

a *Di cui la patria sua si chiamo figlia.*

b Tres in hac familia Medicæa Magni cognomẽto fuerunt, Cosmus senior, Laurentius & Cosmus primus Magnus Dux.

Iste *c* prima fundamenta iecit magnitudinis Domus Medicææ in Republica Florentina per vias iustas & legitimas, & in quibus recognoscebantur visibilia testimonia prouidentiæ diuinæ, vt recompararetur Zelus, iustitia & religio huius familiæ, quæ specimina dedit in Europa & Asia. Auctoritates vi vsurpatæ sunt odiosæ: quæ autem à *d* virtute, iusta felicitatum & prosperitatum mensura, deferuntur, sunt acceptabiles Deo, & tolerabiles hominibus.

c Cosmus suis sumptibus Hospitale pauperum peregrinorũ Hierosolymis exstrui curauit.

Omnes Cosmi actiones erant Regales, sed moderatæ tali temperamento, vt numquam modestiæ ciuilis terminos excederent. Principes Italiæ sibi honori duxissent, si eorum filias suis filiis petiisset, sed magis amauit vxores filiis suis inter ciues quærere quã alibi.

d *τὸ μακάελον ἀρετῆς μέτρητον, οὐ τύχη.* DION. HALICARN. lib. 2.

Iohanni filio suo in matrimonium dedit Corneliam Alexandræam sine vlla pompa, ex quibus tamen descenderunt ii, qui suis in nuptiis vniuersam Europam exhilararunt. Petro autem filio concessit Lucretiam Turnabuuiam, ex quibus natus est *a* Laurentius Medices cognomento Magnus aut Magnificus, cuius posteritas defecit in Catharina Medicæa Galliæ Regina.

a cuius sorores germanę, Blãcha Guilielmo Pazzio, & Nannina Bernardo Ruccellaio nupserunt.

Iohannes Medices reliquit posthumum, qui fuit pater Cosmi primi Magni Ducis. Obiit ictu tormenti, quum exercitum Imperatoris persequeretur, & desideratus fuit ab vniuersa Italia, quã, si diutius vixisset, Reginam fecisset ex tanta serua, quanta tum erat. Quum ei crus præcideretur, ꝗ pila tormentaria cõtriuerat, dicebat maiores se dolores sentire cogitando nebulones qui tam malè fecerint, quàm ex vulneribus suis, & inspexit oculo claro ac firmo crus à corpore separatum, irridens amicos, qui suis tormentis condolerent, rogans eos, vt filium Cosmum vocarent, quo videret fructus belli, & *b* amissionem brachiorum, manuum, crurum & pedum, esse torques & armillas bonorum Capitaneorum.

b *La ferite & la perdita de i membri sono le collare e le medaglie de i famigliari di Marte.* PET. ARETINVS.

Hoc

1599.

Hoc factum est Mantuæ in palatio Ludouici Gonzagæ Marchionis Mantuani, vbi eum visitauit Dux Vrbini. Hi duo plorauerunt: Franciscus Rex Galliæ dicebat, si Ioannes Medices non fuisset vulneratus, numquam futurum fuisse vt captus in Hispaniã abduceretur. Præditus erat omnibus qualitatibus, quæ duci exercitus cõueniunt, vt sunt labor in negotio, fortitudo in periculo, industria in agendo, celeritas in conficiendo. Milites nõ minus libenter eum ad bellum, quàm ad mensam sequebantur, & obseruatum fuit in rebus periculosissimis, vt diceret ad milites: a *Sequimini me*: & numquã, *Ite præ, sequar*. Felix in eo fuit ꝙ mors, quum virtutẽ eius priuasset modis regnãdi in patria, eos destinauit, b aut potiꝰ fauor & benignitas cœlestis, q̃ sceptra & coronas distribuit, reseruauit feliciter posteritati.

a Quel che tiraua à se il cuore de le genti sue, era il dire ne i pericoli, venitimi dietro, & non, andatimi innãzi. PET. ARETINVS.

VI.

Petrus † Medices filius secundogenitus Magni Cosmi, continuauerat regulas patris sui, sed iuuentus eius fructus nõ produxit, quos sibi promittebat. Reperit quod indifferenter omnes potentes familiæ Florentinæ æquè ac minores adiutæ fuerint à suis diuitiis, ita vt omnes ei deberent. Auri & argenti vsus iniustè à Lycurgo appellata fuit omnium scelerum materia. Medicæa Domus iis vsa fuit ad eleuandam fortunam suam, quam meriti fuissent, & maximis diuitiis obligarunt sibi bonos, & occasionẽ dederunt malis deueniendi probos. Non tamen potuerunt impedire coniurationes in vitam eius, quas tamen euasit rediens ex domo sua Carregio, cum ex via deflexisset, vbi hostes eum exspectabant.

b Optimũ, firmissimũque adiumentũ, & quod spem nostram in aduersis nunquam fefellit, cũctis virib. humanis potius est, Deorũ beneuolentia. DION. HALICAR. li. 8.

VII.

Laurentius † Medices eius filius attulit magnam promotionem veteribus huius familiæ consiliis, quum haberetur in Rep. tanquam olim Scipio Æmilianus Romæ, dotatus iisdẽ qualitatibus, quas huic historiæ adscribunt. Qui videns se honoratum à populo, & certum in amicitia Ducum Mediolanensiũ, altius loqui cœpit. Senatus permisit incrementum tantæ auctoritatis, aut vt non irritaret eum ad maiora tentandum, aut quod bene cognosceret periculum, in quod Resp. coniicitur, quum familiæ nutricatæ & educatæ in rebus ac negotiis publicis, ablegantur vt aliæ introducantur. Sed hæc Domus facto destinata videtur ad Principatum Reip. Florentinæ, & aliam nec adspirare quidem eo debuisse, quum illa vndiq; & omnibus ex partibus ditissima exstiterit, super quibus diuitiis ambitio facile fundat spes suas. Laurentius fuit Florentiæ, quod olim Pericles Athenis. Nam tametsi Respublica appareret esse popularis, tamen reipsa fuit vera monarchia: vt quod Thucydides de primo, nos cum Petro Soderino de secundo dicere possimus, veram fuisse tyrannidem. Etiam Respublica Florentina non erat tam parui mo-

P. Scipio Æmilianus, vir auitis P. Africani paternisq; L. Pauli virtutibus simillimus omnib. belli ac togæ dotibus, ingeniiq; ac studiorũ eminentissimus seculi sui, qui nihil in vita, nisi laudandũ, aut fecit, aut dixit, aut sensit. VEL. PATERCVL. lib. 1.

menti,

1599. menti, aut tam modica, vt non dignissima esset quæ desideraretur. Nam præter veterem eius ditionem augmentata fuit oppidis Aretio, Liuorna, Cortua, Pisis, Montpulcieno. Laurentius se reddidit tam capacem in negotiis Reipubl. Florentinæ gerendis, vt à vigesimo ætatis anno consilia eius audita & approbata fuerint à sapientissimis & expertissimis, gubernans actiones suas tanta cum integritate, & consilia cum tanta iustitia, vt numquam proponere quicquam voluisset, quo id, quod bonum foret, taceret & dissimularet. Delectabatur libris Platonis, quos Marsilius Ficinus in vsum eius traduxerat, & dicere solebat impossibile esse vt se quis idoneum in administratione publica præberet sine eorum librorum cognitione. Vidit reputationem suam in flore ætatis eleuatam & sparsam vndique.

Rex Ludouicus XI. amicitiam eius appetens obtulit ei & misit auxilia contra Ferdinandum Arragoniæ Regem sub ductu Comitis Argentonii. Ægypti Soltanus maximus muneribus missis sollicitauit eum in amicitiam, Matthias Hungariæ Rex recurrit ad prudentiam eius in rebus Regni deploratissimis. Papa Innocentius VIII. tanti amicitiam eius fecit, vt quo maiori vinculo eum sibi obligaret, petierit Magdalenam eius filiam in vxorem Francisco de Cibo filio suo. Populus Florentinus eum honorabat, & ipsi adeo hostes non poterant obscurare lumen virtutis eius, quod relucebat inter ipsas obscurissimas tenebras seditionum. Non minus difficile erat eum cum quoquam comparare, quàm olim fuit Socrati parem reperire. Quidam ex familia Pazziorum, Saluiatorum & Bandinorum, impatientes tranquillitatis publicæ, & formæ gubernandi, decreuerunt destruere duas robustissimas columnas, Laurentiũ & Iulianum Medices, & interficere eos in templo S. Reparati inter sacrificium Missæ. Eleuatio Hostiæ in signum data erat executioni Franciscus Pazzius scire volens, si Iulianus esset armatus, eum contrectauit, & inermem depræhensum pugione confixit in medio corde.

Iohannes Baptista Monseccius occidere debebat Laurentiũ: sed siue ante Missam cum eo locutus recognouerit tantam in eo mansuetudinem & virtutem, vt iudicaret salutem publicam ab eius vita dependere, siue ꝙ metueret eum in cuius potestate consistebat omnis Respublica & simul ii qui Rempubl. gubernabant, passus est eum in Sacristiã aufugere. Populus accucurrit: Laurentius perductus in suum palatium, omnis ciuitas in armis, in omnium ore ac corde Medicæum nomen. Coniuratores depræhensi & sine vlla alia ceremonia strangulati & de fenestris suspensi fuerunt, inter quos &

Archie-

Archiepiscopus ex familia Saluiatorum fuit. Adeo populus vindictæ cupidus erat, vt corpus Iacobi Pazzii è sepulchro exemerit, & per vrbem laqueo, quo suspensus fuerat, traxerit. Ii tantum seruati fuerunt, quibus Laurentius veniam indulsit, & quos à furore populi liberare potuit. Pazzii, Bandini & Saluiati Florentia expulsi supplicarunt Papam Sixtum IV. qui odio habebat Florentinos, propterea quod Legatum suum Cardinalem Pisanum in habitu Pontificali suspenderint, nec Medices amabat, vt se in protectionem suam susciperet. Alphonsus Calabriæ Dux fuit Generalis copiarum, quas eis Papa & Ferdinandus Arragonum Rex concessit, declarantes, hoc bellum non esse contra Florentinos, sed contra familiam Medicæam, nec alium modum pacis constituendæ esse, quàm vt Laurentius Medices exauctoraretur. Qui videns fortunã Domus suæ esse prætextum belli, potentissimos quosque & clarissimos in vrbe conuocauit, & postquàm eis exposuisset, domum suam videri esse prætextum & ruinam Reipubl. & causam huius tanti motus, declarauit nihilominus, cum Papa & Rex Arragonum dicant se exercitum conduxisse aduersus se solum, nolle se esse tam malè affectum in salutem publicam, vt non eam præferre cupiat propriæ suæ & suorum saluti, & propterea se numquam recusaturum exstinguere hunc ignem, & finire bellum proprio suo sanguine, sicuti etiam cœperit à fratris sui nece. Cuncti responderunt, salutem publicam non posse separari ab eius salute, & adeo commoda sensisse prudentia eius consilia, vt existimarent conseruationem suam pendere ab eius salute. Sub hac assecuratione restitit Papæ machinationibus, qui ægerrimè tulit, adeo vt quum videret sub prudentia Laurentii turbas exire Italia, & pacem reduci, & in conuentu Cremonensi, ad quem pro Legato Cardinalem Mantuanum miserat, & in quo præsentes erant Alphonsus Calabriæ Dux, Ludouicus Vicecomes Mediolanensis, Laurentius Medices, Hercules Estensis Ferrariæ Dux, Ludouicus Gonzaga Mantuæ Marchio, aliiue in Italia Principes, resolutiones de bello Venetis inferendo deuenisse ad concordiam, *a* præ mætore mortuus fuerit.

Laurentius tam molestos vitæ dies habuit propter seruitium Republicæ, & labores ingenii tamquam lima surda ita exercuerunt vigorem eius naturalem, vt intra annum ætatis quadragesimum quartum absumptus fuerit. Ipse Natus fuit rebus magnis gerendis; prudentia vero eius in consiliis magni momenti, constantia in omnibus scientijs tam practicis quàm speculatiuis, religio & pietas, splendor & omnes actiones, animositas contra inuidiam

a Hinc illud Pasquini distichon: *Sistere qui nullo potuit cum fœdere Sixtus, Audito tãtum nomine pacis obit.*

1599.

1599. ſuorum & conſpirationes inimicorum, fecerunt eum in tota Europa per reputationem æqualem meritis ſuis æſtimari; verum amor eius virtutes & exſtirpationem vitiorum, peperit ei in Italia eandem gloriam, quam habuit quondam *b* Aurelianus Imperator in toto terrarum orbe. Homines docti & literati in eius domo quondam faciebant columnas & ſtatuas Principum. Miſit Ianum Laſcarim Conſtantinopolitanum, vt recolligeret omnium famoſiſſimas bibliothecas in Aſia & Græcia, vnde adaugeret librariam ab auo ſuo inſtitutam. Qui attulit libros non modo raros, ſed vnicos, & qui alibi reperiri non poſſunt, quàm in hoc theſauro, qui ampliſſimè ditatus fuit per Papas Leonem X. & Clementem VII. Reliquit virtutem ſuam in æſtimatione, populum in libertate, Nobilitatem in honore, & vrbem in abundantia omnium bonorum. Ex Clarica Vrſina ſuſcepit Petrum Medicim, qui poſtea duxit Alphonſinam Vrſinam, *a* Ioannem, qui fuit poſteà Papa factus & Leo X. nominatus, & Iulianum.

Poſt obitum Laurentii fauor populi ſe auertere à Domo Medicæa cepit, quum Carolus VIII. expeditionem in Italiam duxit, vt flores Lilii reflorere faceret, quos *b* Carolus filius Ludouici IX. plantauerat in Regno Neapolitano. Petrus Medicis, filius Laurentii, ſciens Florentinos non poſſe viribus ſuis eius tranſitum impedire, ei obuiam proceſſit, & quo ſeruaret totum à furoribus belli, conceſſit quædam loca in Tuſcania, & in cæteris Piſas ac Liburniam. Quod factum fuit viri iuuenis, quem pater viuens cognouit eſſe impetuoſum & imprudentem. Hæc capitulatio eum reddidit tam odioſum Senatui & populo, vt per ſententiam publicam ipſe & Ioannes frater eius declarati fuerint hoſtes patriæ, capita eorum proſcripta, domus compilatæ, & pretioſiſſima ſuppellex recollecta tanta cum cura & per tot annos è locis rariſſimis, vendita per populum, & *c* conſilia eorum condemnata, vt contraria libertati Reipublicæ. Rex Carolus tranſiens Florentiam hoſpitium ſumpſit in Palatio Medicæo. Cui Alphonſina vxor Petri Medicis, repræſentauit ruinam ſui mariti, filii, & familiæ, ſupplicauitque pro eius reditu. Quod & Rex à Senatu obtinuit, vt Petrus Medicis reſtitueretur domui & bonis ſuis: ſed vbi Venetias ſe recepit, neglectus iterum fuit, ſimulatque Rex Florentia Romam verſus diſceſſit.

b Quicquid ſanè ſcelerũ fuit, quicquid malæ conſcientiæ vel artium funeſtarũ, quicquid deniq; factionũ, Aurelianus toto penitus orbe purgauit. VOPISCVS.

a Qui anno decimo ætatis factus fuit Cardinalis, vt teſtatur Machiauellus.

b An. 1265 coronatus Romæ in Laterano 28. Iunii.

GVICCIARD. li. 1. refert iudiciũ Laurentii de filio Petro.

c Qui aliquib. iniuriam faciunt, eorum ipſorũ, qui læduntur, hoſtes putandi ſunt, rerumpubl. euerſores, paucorũq; potentiæ cõſtitutores, communes hoſtes omnium eorum, quibus libertas cordi eſt. DEMOST.

1599.

Decem integros annos in hac ærumna permansit, implorans nunc protectionem Papæ Alexandri Sexti, à quo fraudulenter deceptus fuit, quippe qui *a* nullum verbum seruaret, quod promiserat; nunc Imperatoris, qui ei nihil prodesse poterat: nec habuit refugium certius, quàm in expeditione Regis Caroli VIII. & Ludouici XII. in cuius seruitio mortuus est Gariliani. Quum Venetiis esset, moliebatur inuadere Florentiam, & quandam occupare portam sub fauore noctis & intelligentia cum suis amicis, sed illucescente die quum adhuc dimidiũ miliare ab vrbe aberant, insidiæ detectæ sunt, & *b* conscii proditionis ad mortem damnati. Ab eo tempore semper domus Medicæa afflicta fuit vsque ad promotionem & Pontificatum Iulii Secundi, qui factus Papa in vna nocte, & habens animum terribilem ac impetuosum, vt dicit Paul. Iouius, & desiderans commouere Italiam, & separare Florentinos ab amicitia Regis Franciæ, fauore & assistentia Medices adiuuit æquè constanter, ac Papa Sixtus IV. desiderauit & quæsiuit opiniosè eorum ruinam. Honestauit Ioannem Medicem Cardinalem Legatione Bononiana: assignauit & edixit conuentum Mantuæ, vt in eo de rebus belli gerendi deliberaretur, ad eumque misit Legatum suum. Raymundus Carduanus ViceRex Neapolitanus eodem aduenit, & Legatio Imperatoris, Venetorum & Heluetiorum. Principalis resolutio per eos facta & felicissimè exsecuta fuit restitutio familiæ Medicææ in bona & honores, quibus Florentiæ anteà affluebant. Papa eam ita vrsit, vt prima expeditio fuerit, in quam Vicerex Neapolitanus produxit exercitum omnium Confœderatorum. Obsedit & vi expugnauit Oppidum Pratense, in quo occubuerunt amplius duo millia hominum à parte Florentinorum, & plures capti. Vnde illi consternati, & Ciuitas ipsa in se diuisa, & Domus Medicæa habens adhuc ibi magnos amicos, potentesque intelligentias, effecerunt, vt Iulianus Medices reciperetur, qui Ciuitatem ingressus est tamquam Princeps, & sicut semper quo se fortuna, eodem etiam fauor hominum inclinat, omnes Ordines Ciuitatis ei obuiam processerunt, acclamaruntque Domini nomen, quod ille modestè recusauit, nolens habere *a* laurum infructuosam, propter quam nemo sapiens cuiquam controuersiam moueret, vt dicebat Aurelianus, sed florem Florentinum, qui semper in suo tempore fructum profert. Hic fuit, qui primus Medi-

PAVL. IOVIVS in Vita Leonis X.

b Sententia mortis lata in Cõsilio VIII. virorum cõtra Bernardũ Necium, Nicolaũ Rodolphum, Laurentiũ Tornabunum, Granozzium Puzzium, Iohannem Cambiũ.

a *Eranato commune prouerbio nella corte, di Roma, ch' el Papa non faceua mai quello che diceua, e il Valentino nõ diceua mai quello che faceua.* GVICCIARD.

a *lactantis & leuissimi est ingenij, ardore triumphandi & ob lauream coronam, id est, folia infructuosa in discrimen per incertos euentus certaminum securitatem ciuium præcipitare.* SEXT. AVR. VICTOR.

1599. cæorum exercitum aluit æqualem Florentini populi, inuitis etiam maleuolis, qui eos iniuriabantur propter ſex pillulas, quas in ſcuto ferunt. Cauſa eſt longè illuſtrior. Eberhardus Medices, vt liberaret Tuſcaniam à gigante Mugelo, eum in duello congreſſus in terram proſtrauit. vbi quum Gigas ictu clauæ ſuæ eum impeteret, cooperuit ſe ſcuto campi aurei, cui adhæſerunt impreſſiones ſex pilarum ferrearum à claua dependentium, & adhuc ab latrociniis recens perpetratis ſanguinolentatum. Vnde occaſionem ſumpſit Eberhardus inſigniendi arma ſua ſex beſantiis in campo aureo. Verum ego malim confugere ad aliam rationem. Videntur enim eſſe folliculi ſiue pilæ, quibus ii, qui primi ex hac familia eas in armis ſuis poſuerunt, volebant ſignificare diuerſam agitationem ſuæ fortunæ, durantibus motibus popularibus huius Reipublicę, ſicut natura pilæ eſt, vt nonnumquam fallat & in altum ſabſiliat, nonnumquam in terram cadat & rotetur. Nam hæc Domus viſa eſt Florentiæ nunc in alto, nunc in humili, & poterat appellari, vt Eluius Pertinax ab Aur. Victore, pila Fortunæ. Numerus pilarum olim erat ſine certo numero, & *a* reperiuntur hodie ſcuta in quibus nouem, in aliis octo, in quibuſdam ſeptem. Medices Mediolanenſes modo vnum habebant.

a Videatur Onuphr. Panuinius in vita Pii IV. Papæ, & Bernardin. Corius in Hiſtor. Mediolanẽſi.

Vltimus aſſultus, quem fortuna fecit contra Medices, fuit quum virtus eorum à tyrannide liberaretur, & per quem ex profundo ruinarum extracta fuit magnitudo & exaltatio totius familiæ. Florentini audientes Romam à Carolo V. captam, & ipſum Papam in caſtello S. Angeli captiuum teneri, eiecerunt ex vrbe Alexandrum & Hippolytum Medices, exſtinxerunt & detraxerunt ex omnibus locis eorum per vrbem inſignia, ruperunt ſtatuas Leonis & Clementis, qui eo redegerat Ciuitatem, vt ſalua eſſe non poſſet, niſi beneficio ſeruitutis. In id cum Imperatore conuenit, cuius copiis Florentia obſeſſa & coacta fuit recipere hanc victoris legem: Vt Alexander ducat Magaretham Auſtriacam, eſſetq; Dux & Princeps Florentiæ, & poſt eum liberi eius, heredes & omnes quorum intereſt. Is à Laurentio Medice agnato interfectus eſt, qui Venetias aufugit. Ita eodem die annis diuerſis primum iſtud ſtemma Domus Medicææ finitum eſt. Nam *a* Catharina Medicæa Galliæ Regina mortua eſt eodem die, quo Alexander frater eius naturalis occiſus.

a Alexander necatur 6. Ian. 1536. Catharina moritur 6. Ian. 1589.

Coſmus, filius Ioannis Medices ſucceſſit Alexandro, & oſtendit ſatis, Principatus à Deo obuenire, & potentes Magiſtratus non ſtabiliri & firmari per humana conſilia, & *b* vires hominum

b *Nulla ſunt hominum aduerſus Deos vires.* IVSTIN. lib. 1.

nihil

1599.

nihil posse contra id, quod Deus deliberauit pro magnitudine familiarum, quæ sunt secundum cor eius. Tempore mortis Laurentij Medicis recepit se in Palatium suum Mugellanum, ne vllam suspicionem daret magnitudini Ducis Alexandri. Quum eodem die, quo id contigit, ambularet in horto, vidit magnum cumulum florum contra ordinem temporis & anni. Quod illi augurium fuit certum noui Principatus super florem vrbium Italiæ, quem tertio post die vidit in manibus suis spicatam prius quam speratam. Magnum iudicij & iustitiæ specimen dedit in hac tam subita occasione. Nam vbi intellexit, cædem à Laurentio perpetratam aperuisse portam amplitudini & fortunæ suæ, non tamen opposuit vindictæ publicæ nisi id quod lex & iustitia postulat contra tantam violentiam. Et quidem Princeps semper reuereri debet memoriam antecessoris sui: & ideo nec Cæsar permittere voluit, vt Pompeij statuæ deturbarentur, & suæ in earum loca reponerentur. Florentini cognoscentes quanta mutatio sit seruitutis in libertatem, sæpe quidem tentarunt Rempublicam in priorem statum restituere, sed quoties id machinari cœperunt, semper experti sunt tam periculosas ruinas capitibus suis impendere, vt mutarint tandem desideria libertatis in vota obedientiæ. Qui populus semel se dederit in seruitutem Principis, se postea subtrahere non potest: & qui velint ac conentur, non tanquam ciues libertatis patriæ amantes, sed tanquam serui contumaces adiudicantur.

9. Ian. à Rep. fuit Dux Florentiæ declaratus.

EGESIPPVS.

Cosmus Princeps fuit in omnibus ijs, quæ aliquem eleuare possunt ad supremum Magistratum. Successit per legem successionis & capitulationis Florentinę, & electus per Senatum. Acquisiuit vrbem per promptam & subitam collectionem copiarum militarium, id quod ille facile poterat, vbi armis opus erat. Modi perueniendi ad regna sunt diuersi, conditio regnandi semper sibi similis est. electi, conquestores & successores initio imperant æquali potentia, & putant se habere ius in subiectos tanquam si nati essent pedibus manibusue in eorum dominationem nexis. Cosmus non eodem modo affectus erat, temperans & emolliens potentiam suam tanta moderatione, vt numquam voluerit omnem potentiam suam exserere, continens ciues veluti suspensos inter libertatem & seruitutem, attrahens milites sibi per liberalitatem, populum per mansuetudinem, Nobilitatem per communicationem honorum, & cunctos per illicia dulcedinum Pacis.

Principatum suum tanta cum prudentia stabiliuit, vt Florentini de iugo, cui ab eo subiecti sint, glorientur: quemadmodum fe-

1599. roces equi frenis ludunt, quibus initio domiti sunt. Adiecit Principatui suo Pisas. Et Rex Hispaniæ ei concessit *a* inuestituram Senarum, quum esset in Belgio: & Papa Pius V. titulum Magni Ducis Tuscaniæ vel Etruriæ, corona solemniter imposita Romæ, quæ centum & viginti coronatorum millibus æstimabatur. Dicere solebat, *b* nullum Principem esse potentem, qui nullum dominatum in mari haberet, & qui non posset iungere vires terrestres cum maritimis. Persuasus hisce rationibus, & sollicitatus proprijs cogitationibus, quæ semper ad magna aspirabant, procurauit & obtinuit per auctoritatem Caroli V. Imperatoris, vt Plombini Dominus ei dimiserit & concesserit Insulam Elbam, in cuius conseruatione consistit quies Italiæ, quia est transitus ordinarius omnium eorum, quæ abeunt aut veniunt ab Occidente. Ibi nouam ciuitatem exstruxit, quam à suo nomine Cosmopolim appellauit, & fortificauit ingressus in portum duobus castellis, quæ situ & munimine interiore totam ciuitatem inexpugnabilem reddunt. Denique instituit *a* Ordinem Equitum Sancti Stephani, in eiusque conseruationem largitus est bis centena millia coronatorum in reditu ex bonis Ecclesiasticis, vt tres annos seruiant, in galeris marinis.

a. pro decem millibus coronatorum, quę & singuli successores eius, quoties petituri essent inuestiturā, pendere deberent.

b *Vn Principe non si puo chiamar grande se non è potente in mare.* Dict. Cosmi apud Boterum.

a anno 1561. & confirmatus à Papa Pio IV.

Postquam in tutum collocauit suum principatum per propugnacula, vires & bonum ordinem, quem ibi instituit, animum adiecit ad modos ad conseruandum & tenendum semper in promptu neruos Reipublicæ. Id ei minime poterat esse impossibile in Republica tam opulenta per negotiationes industriosas ciuium, qui laborant omne genus pannos laneos, sericos & aureos tanta cum abundantia, vt aliquando in sola vrbe Florentina & vno in anno panni fiant in pretio super duo milliones auri. Ex compluribus modis, quos necessitas Principum reperit vt fundos ærario suo facerent, tantum vti voluit negotiatione, subsidijs & impositionibus in merces. qua in re ministri eius tam sunt vigilantes, vt nihil ingredi nec egredi Florentia possit, quod *b* non portet grilletum eius aut insigne. itaque non est mirandum, si moriens reliquit in cistis suis supra decem milliones auri, & duo milliones vnionum, margaritarum & lapillorum pretiosorum. Principes ipsi, qui nouos Principatus ingrediuntur, sunt ambitiosiores quam illi, quorum po-

b Septem sunt modi vnde ærarium confici potest. 1. domanium Receptarum. 2. conquisitio de hostibus. 3. dona amicorum. 4. pensiones aut tributa fœderatorum. 5. negotiationes & mercatura. 6. vectigal ex mercibus importandis & exportandis. 7. impositiones in subditos.

tentiæ

tentiæ sunt certius meliusque stabiliti; & respiciunt semper Respublicas vicinorum; vt adulteri vxores aliorum. Verum Cosmus contentus fuit stabilitione suæ dominationis, quæ periculosa & difficilis fuisset, nisi habuisset non solum domesticum, verum etiam externum præsidium. Ex Eleonora Toletana filia Viceregis Neapolitani, Franciscus, Ferdinandus, Petrus, Garsias, Isabella, Eleonora, nati sunt. Franciscus duxit Ioannam Austriacam filiam Imperatoris Ferdinandi, ex quibus natæ sunt duæ filiæ, Eleonora & Maria. Illa nupsit Duci Mantuano: huius virtus & bona fortuna eam reseruauit, vt fieret Regina Galliæ: & hoc solum spectauit Rex, vbi primum restitutus fuit in primam libertatem se desponsandi, vt omnes cogitationes suas in eius coniugium coniecerit. 1599.

SVMMARIVM

QVINTÆ NARRATIONIS.

I *Continuatio tractatus de Marchionatu Salutiarum.*

II *Offensio Ducis Sabaudiæ, eiusque resolutio proficiscendi in Galliam.*

III *Ordinatio Regis in Gubernatione Lugdunensi, pro Duce recipiendo.*

IV *Rationes, propter quas Dux Sabaudiæ non fuit receptus Canonicus honoratus in Cathedrali Ecclesia Lugdunensi.*

V *Aduentus Ducis Sabaudiæ Lugdunum, & eius conscensio in naues Rothomagi, vt Aurelianum veheretur.*

VI *Primus congressus Regis & Ducis Sabaudiæ.*

VII *Profectio Ducis Mercurij in Hungariam.*

VIII *Apertio portæ Sanctæ propter Iubilæum.*

IX *Memorabiles actiones sub Pontificatu Clementis VIII.*

X *Obitus sex Cardinalium.*

QVINTA NARRATIO.

NON semper succedere solet ex voto ijs, qui semper rerum suarum negotia alijs committunt. Consultum est interdum vt ipsimet faciant, aggrediantur, in sese recipiant, & proficiscantur. Dux Sabaudiæ complures suos ministros in Galliam misit, qui tractarent controuersiam Marchionatus Salutiarum, non exspe-

Consiliũ est politicum, sæpe Legatos mittere ad

1599. ctato Papæ iudicio. Omnes Legationes, quas Iacobus, Præsidens Rochettius, Marchio Lulinorum, Eques Bretonus, & Roncasius eius Secretarius habuerunt, nullum alium fructum ei pepererunt, quam quod obseruarint statum Curiæ, penetrauerint aliquantulum in consilia Regis, quæ res prima esse solet quam Legati habent in sua instructione; & notauerint quorundam ingenia quietis impatientia, & mutationis cupida. Et quamuis Patriarcha Constantinopolitanus persuasionibus suis plus ab Rege abstulerit, quam Dux Sabaudiæ ne sperare quidem debuerat, & manifestum fecerit, quantum possit discursus affectione & persuasione plenus, quum nihil sit quod auferat & furetur subtilius opiniones, quam eloquentia Mercurij: non tamen potuit mutare resolutionem Regis de recuperando Marchionatu. Is Patriarcha Lugduni erat, vbi aliquandiu morbo detinebatur. Rex mandauerat Gubernatori Lugdunensi, vt eum in hospitium reciperet, tractaret & in tuto collocaret. Roncasius intellexerat, eum conualuisse, voluitque eum conducere & comitari iuxta ordinem à Duce acceptum & mandatum. Verum quum omnia tardius procederent, quam ipse vellet, existimare cœpit hanc prosecutionem requirere maiorem præsentiam & agitationem; & necessarium duxit, vt ipsemet in legatione propria proficisceretur, sibi promittens maiorem effectum ex sola vmbra sua, quam ex omnibus sollicitationibus ministrorum suorum. Quare se præparauit, vt iret in præsentia ad Regem, quamuis primi consiliariorum dissuaderent. Sola cogitatio suscipiendi huius itineris reddidit eum irreconciliabilem Regi Hispaniæ: quamuis non transgressa erat terminos simplicis propositionis, tamen satis monstrauit voluntatem dissociandi se totum ab eo.

Principē, cuius metuuntur potentia & machinationes.

II. † Prætendebat Dux multas ingentes occasiones conquerendi de amicitia Regis & eius succursibus, quibus & morbus fuerit magis nutritus, & valetudo omnis desperata. Bonum est, vt Princeps cognoscat humorem variarum nationum. Iste Princeps satis cognoscebat Hispanos, eorum viuendi modum, ruinosas conditiones quas imponunt ijs, quibus assistunt, prolongatio & languedo promissorum, quæ faciunt, ei erant odiosæ. Considerabat iniustitiam & inæqualitatem in dote Infantis vxoris suæ, quæ ex omnibus Sceptris & Coronis Regis patris sui nihil recepit, nisi viginti millia coronatorum in reditu singulis annis, quorum loco soror grandior natu habuit pro dote totum Belgium & Comitatum Burgundiæ. Non poterat obliuisci, quod in Tractatu Veruiniano exclusus fuit tanquam alienus, & quod cum Pax quasi conclusa fuit demum ad-

mitti

mitti potuit. Persuadebatur, si Hispanus voluisset, cõtrouersiam de Marchionatu Salutiarum, potuisse decidi, quem ipse potuisset retinere in commutatione cum Calæsio, Durlantio, Ardresio, & alijs locis, & iudicasset ipse Rex Hispaniæ, ad impediendum, ne tot offensiones tandem talem Principem inducerent ad aliquam periculosam fœderationem, necessarium esse vt haberetur obligatus & obnoxius Regno Hispaniæ per vinculum aliquod robustum. Petebantur ab eo Princeps natu maximus, & Infans natu maxima, sub colore eos educandi more Regio, & in ea Aula, ad cuius successionem & imperium spes eos proxima alat. Dux offensus hac petitione fuit, satis videns eam venire ex diffidentia potius quam affectione. Consiliarijs eius videbatur faciundum, vt petitioni Regis Hispaniæ obsecundaretur, qui posset melius educare liberos eius, & quod ea res pro ferrumine & vero cæmento perfectæ amicitiæ. Dux respondit, nolle se sibi ingratum facere, vt alteri gratificaretur, & amicitiam Hispaniæ sibi esse magis ruinosam quam fructuosam; & inimicitiam in causa fore, vt se porro à multis pessimis ictibus in se immissis sub specie amicitiæ diligentius cauiturus sit: & *a* nullas esse occultiores insidias, quam eas, quæ latent simulatione officij, aut aliquo necessitudinis nomine. Quare constituit liberos suos apud se retinere, & mittere Comitem Mottanum, qui sese excusaret, propterea quod rerum suarum negotia in hoc statu non permitterent eos à se amandare, nec eis conuenientem comitatum ad hoc iter ordinare.

a CICER. Orat. 6. in Verrem.

1599.

Rex Hispaniæ, vt ei præcideret omnem excusationem, iussit vt pecunia ei pro toto itinere Mediolani præsentaretur, scripsitque Duci, placere sibi vt Comes Mottanus Gubernator & conductor Principis constitueretur. Dux accepit pecuniam, & retinuit simul pannum, vt dici solet; inquiens, aerem Hispanicum non conuenire suis liberis, nec eorum indispositionem & delicatam pueritiam permittere, vt tam longinquo itineri temere exponantur. Hæc recusatio offendit Regem Hispaniæ, & iussit eum facere quicquid vellet. Ab eo tempore Dux non voluit conspicere Hispanum. Ideo relicto Legato Hispanico Thurini, ipse Camerinum abijt. Vbi ex longinquo potuit animaduertere, aliquem ex Consiliarijs esse à factione Hispanica, tam indignante oculo eum terribiliter respexit, vt is non amplius auderet coram eo comparere. Contempsit habitum & mores Hispanorum, laudauitque & commendauit Gallorum: dixitque cum Seneca, *inæstimabile bonum esse, suum fieri.*

Epistola 76.

1599. Rex diſtulit in multum tempus, vt Duci concederet iter in Galliam, mandans ei, non eſſe opus vt montes tranſiret ſine Marchionatu Salutiarum. Verum Eques Bretonus & Roncaſius vrgebant Regem inſtantibus precibus, vt placere iuberet, quo Dominus ſuus ad eum viſendum veniret, ſpondentes, ipſum omnia facturum, quæ Regi grata fore ſciret. Primus iam in aere Curiæ volitabat quaſi impetrabilis, credebatque fore, vt ſi videretur in præſentia Princeps tam excellens in iudicio, tam admirabilis in liberalitate, & tam ornatus plurimis principalibus virtutibus, confeſtim omnia ei Rex ſine mora conceſſurus ſit. Marchionatus Salutiarum merebatur bene, vt Princeps tot liberis auctus tantum laboris pro eo conſeruando impenderet.

Abijt enim tempus illud, quo Principatus donabantur: nec reperiuntur amplius, qui ex mero dono integras prouincias ſiue per legatum ſiue per teſtamentum relinquere velint. Roncaſius non habebat experientiam Vlyſſis, vt ſe ſaluaret à Syrenibus Curiæ. Rex eum menſæ adhibuit in Sancti Germani Palatio, fecitque vt crederet Nectar æque in terris eſſe atque in cœlis. Ambo perſuaſi erant, Lovrium Pariſienſe eſſe templum, in quo Sabaudiæ debeat ſalus apparere.

Multi diſſuadebant Duci hoc iter, repræſentantes ei periculum, cui ſe exponat, confidens tam potenti inimico. Nec opus erat *a* exemplis: ex quibus vel vnum in caſibus tam notabilibus ſufficere poterat, vt ſententiam mutaret, & experientiæ bolide iudicia tentaret.

a En los casos raros vn solo exemplo haze experienca. ANT. PEREZ. *Exemplum vnius caſus ſatis eſt ſufficiens vt reddat multos cautiores.* PHILIP. COMMINÆVS.

Roncaſius, relicta Curia, ad Ducem peruenit Altecombæ conſiſtentem, vbi ei reddidit literas Regis pleniores deſiderij Ducem videndi, quam ſpei vllius profectus inde conſequendi. Hæc epiſtola bene conſiderata non ſatis eſſe videbatur ad tramitem faciendum pro tali itinere, & oſtentabat, quamuis Rex deſideret vt Dux inſtitutum iter proſequeretur, id tamen ſe facere ſine præiudicio iuris ſui in Marchionatum.

Prolata epiſtola in Conſilio, quemadmodum alij ſenſibus abundant clarioribus, alij obſcurioribus, ita etiam quidam indicijs valent apertioribus & ſubtilioribus, præ cæteris. Nonnulli conſultantes *a* certitudinem magis rerum præteritarum, quam

a *Præterita miſſa fieri ſolent ab omnibus, neque de iis vſquam quiſquam deliberationem inſtituit : cum aut futura aut præſentia Conſiliarij munus requirant.* DEMOSTH. de Corona.

tenebras

tenebras futurarum, dicebant, hoc iter fore offensam, quam Hispanus nunquam condonaturus sit: alij, finem huius ludi fore amissionem amicitiæ Regis Hispaniæ vtilem Duci, & necessariam eius liberis. Dux eis respondit, nauclerum esse male sanum & imprudentem, qui sæpius in eundem scopulum impingit, vnde toties naufragium passus fuerat: inimicitiam Hispani reddituram esse conditiones Tractatus faciliores & meliores, & daturam occasiones apertas, quas alius quam ipsemet non posset exprimere: se cum animo suo consilia agitare, quæ nemini posset quam sibi ipse confidere. Quo dicto quidam ex Consiliarijs ad eum respondit, quod olim Philippus Cominæus dixit ad Ludouicum XI. Regem Galliæ: Tantum habere prudentiæ & iudicij in gerendis rebus suis, vt non sit disputandum, an sententiæ eius sequendæ sint, sed omnia ipsius solo arbitrio esse committenda. 1599.

Adeo sibi ipse imaginabatur hanc persuasionem, quin simulatque in Regis conspectum venturus sit, omnia quæ vellet impetrare posset, vt nulla ratione ab ea cogitatione dimoueri potuerit. Multo difficilius illi persuaderi poterat, vt mitteret non Legatum, sed simplicem nuntium, non qui consilium peteret, sed qui Regem de suscepto eius itinere in Galliam certiorem faceret. Quod iter ipse suscepit tempore, quo minime credebatur in Curia, vbi iam dubitari cœperant, an non animum mutauerit.

III. Vbi omnes † dubitationes fuere sublatæ, Rex iussit apparari ea quæ conuenirent ad eum recipiendum, mandauitque Gubernatori Lugdunensi quid ea in re fieri vellet: nimirum vt præpararet hospitium in Archiepiscopali palatio pro Duce, & proxima domicilia pro eius Aulicis: vt quam posset optime tractaret, ostendens ei omnia quæ vellet in tota vrbe videre: vt ei obuiam procederet vsque ad medium vltimi cursus iter cum Nobilitate sub sua Præfectura: vt Senatus Vrbis & Ciues eum exspectarent in porta, per quam ingressurus esset; & Præpositus Mercatorum ei diceret, se in mandatis habere ei eundem honorem, quem ipsi Regi, exhibere; idemque in hospitio ad eum interuisens, ei offerret omnium delicatissimos & rarissimos fructus, adeoque omnia quæ singularia haberi in circumiacente regione possent: in summa vt eum tractarent gratis cum vniuerso Comitatu

1599. ſuo. Quæ omnia ac ſingula expedita fuerunt tanto cum ordine ac ſplendore, vti Dux ſæpe poſtea dicere auditus fuerit, hac tractatione ſe non parum fuiſſe obligatum. † Comites Cathedralis Eccleſiæ Lugdunenſis dubitabant, an Ducem recipere deberent, vt receperunt patrem eius Emanuelem Philibertum. Duces Sabaudiæ, tanquam Comites Villardij & ſupremi Domini Comitatus Breſſani, habuerunt in ea Eccleſia locum Canonici honorati, qui eis præſentabatur primum in vrbem ingredientibus. Idem honor debebat haberi Duci Lugdunum ingredienti, qui habitus fuit patri eius, quando is poſt Pacificationem anno MDLIX. in eam peruenit, ſi res in eodem ſtatu eſſent, & ſi non magna differentia intercurriſſet. Extrema officia & iuſtiſſima promiſſa ſemper *a* cum hac exceptione veniunt, ſi nihil inciderit, quod impediat, aut quod mutatum fuerit. Capitulum huius ingentes occaſiones habuerunt, vt tractarent Ducem, quemadmodum parentes eius & prædeceſſores tractauerunt, quoniam Rex voluit, vt reciperetur, tanquam ſi ſua ipſius Maieſtas adeſſet, & ei daretur teſtimonium hoc honoris, cuius effectus honoraret æque eos, à quibus proficiſcitur, quam eum à quo recipitur. Verum quia Rex bello domuit & conquiſiuit Comitem Villardij, ita vt non amplius eſſet ſub eius obedientia: & res erant adhuc in dubio pacis & belli: & Principes ſemper offenduntur communicatione eiuſmodi honorum: conſtitu t nihil ea in re facere, niſi quod Regi placitum foret. Ideo conſilium à *a* Gubernatore petijt, cuius ſuaſu Faius, vnus è Comitibus Eccleſiæ, amandatus fuit in Aulam, vt mandatum Regis reciperet ſuper hac difficultate.

IV. (margin)

a Domino Guichio.

a. *Sapiens ad omnia cum hac exceptione venit: ſi nihil inciderit, quod impediat.* SENEC. de Benefic. lib. 4. cap. 33.

Rex quæſiuit, quid eſſet Canonicus honoratus, & ſi *b* receptio Ducis Sabaudiæ par eſſet ei, quæ ſibi fieret? Faius reſpondit, Celebres & Cathedrales Eccleſias in Europa habuiſſe Canonicos honoratos, qui fuerunt Principes ſupremi terrarum, vbi illæ erant fundatæ, aut Principes extranei, qui ſua pietate obligarunt Eccleſiam ad talem recognitionem honoris: locum Canonici honorati non eſſe nec officium nec munus, ſed tantummodo reuerentiam & priuilegium. Nam quemadmodum Princeps, qui fit Canonicus honoratus, non obligatur ad aliam rem, quam ad iurandum protectionem & conſeruationem iurium Eccleſiæ, ita etiam nullum inde emolumentum accipit, præter participationem precum, quæ ibi fiunt. Hunc honorem parui momenti eſſe, niſi magnitudo Principum, qui eum deſiderarunt, redderet

b Rex eſt Canonicus Eccleſiæ Lugdunenſis, ſub titulo Ducis Burgundiæ, Ducis Biturigũ, & Principis Delphinatum.

magnum

1599.

Ecclesia S. Iohannis Lugdunẽsis est totius orbis celeberrima.

magnum in magna Ecclesia: quæ quod esset prima Galliæ tam propter antiquitatem, quàm propter dignitatem, protulit reputationem suam in *a* nationes etiam longissimè sitas, quæ Ecclesias suas ad huius formam exædificarunt. Hunc honorem ab omni memoria delatum fuisse Regibus Christianissimis, Ducibus Sabaudiæ, Comitibus Villardii, Ducibus Burgundiæ, Ducibus Biturigum, & Delphinis Viennensibus, qui omnes recepti fuerint pro Canonicis honoratis in Ecclesia Lugdunensi. Has tamen receptiones longè differre ab ea, quæ Regibus fieri consueuit. Nam in cæteris non solet cantari, *Te Deum*, nec præsentatur pallium, nec petitur vt Nobilitas demonstretur. In archiuis Ecclesiæ multas reperiri receptiones plurimorum Principum supremorum, qui antiquitatem & magnitudinem suæ extractionis docuerunt; & quamuis totus mundus sciret, Ducem Emanuelem Philibertum legitimè descendisse à *b* Ducibus Sabaudiæ & Regibus Portugalliæ, nihilo minus eam legem accipere voluit, misitque Cancellarium suum ad Capitulum, vt demonstraret. Rex totam rem consiliariis suis proposuit; de quorum sententia respondit, quum Dux Sabaudiæ non amplius teneat sub sua ditione Comitatum Villardii, nec iura amplius ab eo prætendi posse, quæ à Comitatu dependent. prætereà quum veniat in Galliam, vt se reconciliet cum sua Maiestate, non posse eum tamdiu Lugduni subsistere propter simplicem talem ceremoniam. Quod si petat locum Canonici honorati, quem pater eius Dux Philibertus habuit, Capitulum excusari posse, vsque dum de voluntate Regis instrueretur, qui in reditu mandaret quid faciendum sit. Dux admodum offensus fuit hoc responso, & recusatione eius honoris, qui patri suo habitus fuerit. Nec dissimulare potuit indignationem suam, quum noluerit pedem in dictam Ecclesiam ferre, quamuis in ipsa Archiepiscopali domo diuerterit, nec transire plateam, quæ principali portæ introitus iungitur. & quum Decanus cum corpore Ecclesiæ ad eum salutandum accessit, dixit, se semper honorasse hoc sodalitium, quippe qui honorem habeat societatis.

a Stanislao Gnesnensi Archiepiscopo Vuclienis equestri Zadoreorum ortus familia successit: qui basilicam Vratislauiensem ligneã ad id tempus muro exædificauit, ritusq; Lugdunẽsis Ecclesiæ in eam induxit anno 1147. MART. CROMERVS lib 6. de reb. Polonor.

b Fuit .n. filius Caroli III. & Beatricis Portugallæ, filiæ Regis Emanuelis, & sororis Isabellæ, quæ Carolo V Imp. nupta fuit.

Rhodano descendit miliarium ferè à Lugduno. vbi exscensione facta apud proximum veredarium conduxit equum cursualem, & pallio circa collum subnexo ligamentis noluit apparere is, qui erat. Quod factum nonnulli laudabant, tanquam qui sperneret vanitatem ceremoniarum. Quanto † animi sunt generosiores, tanto minus curant pompam & splendorem rerum exteriorum, tenentes seipsos pro theatro. Gubernator Lugdunensis comitatus

V.

1599. tota Nobilitate sub sua Gubernatione & Principalibus vrbis ciuibus, ei obuiam processit. Senatus cum Notabilibus vrbis eum recepit in porta. Baltazar Villardus Præses in sede Præsidiali & Præpositus Mercatorum, ad eum verba fecit nomine Ciuitatis. Postridie sui aduentus conscenso galione suo Rhodanum transiit in ecclesiam Cœlestinorum, quam maiores eius fundauerant, in qua receptus fuit cum cantico *Te Deum.* Finita Missa, ad prandium inuitauit Gubernatorem Lugdunensem, Viccium Superintendentem Iustitiæ, & Varenniũ. Princeps est singularis in multis rebus, & habet hanc confusionẽ pro ordine in conuiuiis & negotiis gerendis, quod sæpè Consilium conuocet, quum adhuc est in mensa, & quo tempore cæteri Principes dormire solent. Pro regula conuiuandi habet appetitũ, & quocumq; tempore venit, siue mane siue vesperi, mandat sibi mensam parari. Prandere solet quarta hora pomeridiana; & cœnare prima aut secunda hora antelucana. Nempe *noctes diebus tranquilliores sunt propter Solis absentiã* Lugduni multa habuit auguria infelicis suæ profectionis. Ministri, quos in comitatu secum habebat, eum admonuerunt, frustrà eum porro pergere, nisi Marchionatũ restituturus sit. Insuper ei dicebant, non posse multa à Rege sperari, qui tantillũ quidem honoris ei Ecclesia Lugdunensi concedi passus sit. Miles quidam ex comitatu Marchionis Vrfeani captus fuit ex falsa delatione per Geneuẽses facta, quasi Ducem sequeretur animo occidendi Regem Parisiis. Aulici etiam non poterant concoquere, quod Rex neminẽ miserit, præter Officialem veredariorũ. Sed nihil eum magis turbauit, quàm quum Varennius inter cæteros discursus, quos ipse Dux proponere solebat ad explorandas hominũ opiniones, quas de profectione sua iudicarent, dixit, eum gratum Regi fore, si Marchionatum restituat. Quæ verba interpretatus est in malum præsagium, quasi dicta ab eo fuerint, qui vel iniunctũ vt diceret sibi habuerit, aut ab aliis audiuerit, aut quod ex communi fama Aulicorum dixerit. Et sanè ea verba tam altè penetrarunt in cor Ducis, vt commotus inter se fuerit, quippe qui nullum Principatũ in patrimonio suo maioris quàm Marchionatum faceret, quemadmodum sanè *ea sunt cariora omnibus, quæ labore parta sunt, vt etiam pecuniæ iis cariores sunt, si quæsierunt, quàm qui acceperunt.*

αἱ νύκτες τῶν ἡμερῶν νηνεμώτεραι διὰ τὴν ἀπουσίαν τοῦ ἡλίου. ARIST. Meteorolog. lib. 2.

ARIST. lib. 9. Eth.

Lugduno equis cursoribus Rothomagũ abiit Inde conscensa naui Aurelianũ peruenit, & versus pontem Gienensem fere perditus fuisset. Rex ei obuiam misit Ducẽ Nemorensem, qui eum re-

cipe-

1599.

ciperet. Ciuitas multas orationes valde elegantes & respectiuas coram eo recitauit. Quidam ex Oratoribus accommodauit iudiciosè discursum suum Alexandro Magno in templum Iouis Hammonis ingredienti. Quem summus Sacerdos cupiens salutare verbis expressiorib. & affectui suo propioribus, dixit, ὦ παῖ Διὸς, ò fili Iouis, pro eo quod dicere voluit, ὦ παιδίον, quod significat, *Chare fili.* Hic vero noster Orator dixit ad Ducē, linguam suam nonnihil balbutire cum Pagano illo Sacerdote, qui Græcè loquebatur, q̃ linguam non bene callebat: sed sine solœcismo linguæ posse eum verè appellari filium Dei, quoniam sacra Scriptura appellat Principes, *filios Altißimi.* quin insuper posse appellari Regem & patrē patriæ, quippe qui ortus sit ex filia magni Regis Francisci. In via Aurelianensi, qua Fontebellandum itur, obuiam habuit primo Mareschallū Bironum, & deinde Ducem Montpensierium magna Nobilitate stipatū. In nocte XIII. Decemb. qui dies memorabilis est ob natiuitatem Regis, surrexit, simulatq; intellexerat Comites suos obdormiuisse, discessitq; secretim, vt Fontebellandum attingeret, antequā comites sui euigilarent. Varennius, qui in mandatis à Rege habebat, vt præcurrens se super aduentu Ducis certiorē faceret, vix poterat eum assequi, & si Dux reperisset equos cursuales paratos apud proximum veredarium, non potuisset Regi nunciare prima noua de Ducis aduentu. Regem † offendit ex Missæ officio egredientem cum Aulicis suis, rubro amictis omnibus, & iam equos conscendere paratis vt obuiam proficiscerentur. Post multas ceremonias & susceptiones, excusationes & complexiones primæ salutationis, diu Rex & Dux deambularunt. Dux Regi exposuit occasiones sui itineris, quas clam esse voluerit Consiliariis suis. Nihil tamen aliud ex primo isto congressu habere à Rege potuit, quàm fore se ipsius amicum, si Marchionatum reddat. Difficile est Regi verba dare, qui habet canam barbam. Rex semper dicebat, nihil se petere, nisi quod suum est. Ferè fit, vt in loco alieno animositas cedat prudentiæ. Non tam liberè, nec tam licenter loquimur in ditione aliena, vt in nostra. Arsphaces Rex Armeniæ, captiuus apud Pacurium Regem Persiæ, satis exemplo esse potest. Etenim introductus in conclaue, vbi ex vno latere depicta erat Persia, ex altero Armenia, quoties Persiam contingebat, mansuetus & pacatissimus esse videbatur: quoties autem Armeniam suam calcare cœperat, loquebatur tanquā si sua in ditione foret, nō vt captiuus, sed vt Princeps, nec ex ore eius nisi minæ & iniuriæ

PLVT. in vita Alexandri.

VI.

Rex cum Aulicis suis in rubris vestibus apparebāt in hoc cōgressu: & Dux cum suis omnibus in nigris.

Magi hoc consilium dederunt Pacurio, ad detegendū cōspirationes Arsphacis sui tributarii. PROCOP.

audiri

1599. audiri poterant. Verum Dux Sabaudiæ, vbi de reddendo Marchionatu sermo erat, in Lourio Regio nō aliter, ac in Palatio suo Taurinensi, loquebatur, & clara voce dicebat, ne omnes quidem mundi potentias se coacturum, vt in eam restitutionem consentiat. neque se vmquam consensurum. Sermo liber, sed animosus in terra aliena, non inter suos, sed apud Villeregium primarium & confidentissimum Secretarium Regis & Regni. Putabatur, Ducem venire, vt omnia reddat: at compertum est, eum venisse, vt omnia seruaret. Fontebellando abiit Parisios cum splendido & ingenti comitatu. Hospitium in Lourio sumpsit: Natalem Domini in palatio Ducis Nemorensis celebrauit. Vbi admirabatur tam magnam Aulam Regis, in qua primarii Principes Regni cōspiciebantur, & notauit Esdiguerium, à quo tot mala passus fuerat, non esse primum in Aula, vt in Delphinatu.

Qui dicunt, congressus Principum esse periculosos, nullam aliam habent rationem, præter metum ne res quæ ex longinquo apparent magnæ, in præsentia contemnantur; aut ne reputatio vnius sese extollat super alterius auctoritatem, dum timetur, ne si Princeps, qui visitat, cordatior est eo qui visitatur, populus, qui admirari solet id quod videt, contemnere incipiat suum Principem, & a admirabile excitet cupiditatem. Principes, qui vitiis notoriis laborant, non debent se committere, nisi iis, qui ea approbant, nec ad exteros concedere, qui liberè effutiunt, quod vident. Ludouicus XI. in Hispania admirationi fuit, vt Princeps, qui inimicos suos coëgerit quiescere. Carolus VIII. pro altero Cæsare habitus fuit, quum in Italiam ingressus venit, vidit, vicit. Sed vbi primus ille visus fuit in Sancti Iohannis Lusensis fano, vt iudicaret controuersiam inter b Reges Castiliæ & Arragoniæ, pallio indutus humerali castaneo, & pileo grosso conchyliis & imaginibus ornato, Hispani dicebant, peregrinum esse S. Iacobi Compostellani. Similiter vbi filius eius visus fuit staturâ tam parum conueniente reputationi valoris eius & animositatis, illi, qui de intrinsecis per extrinseca iudicare solent, irriserunt eum; & qui eum non cognoscebant, nullum honorem ei exhibebant, quàm vbi notarunt eum à ministris suis obseruari. Non eodem modo comparatus fuit Dux Sabaudiæ, cui per præsentiam fama aucta est. Non possem laudare personam Danadis adulando, nec Pattæcionis maledicendo. In vno imprudentia regnauit, in altero negligentia. Si Charon conaretur spoliare hanc historiam suis viciis, vt fecit c Philosophum quendam,

a τὸ θαυμαστὸν ἐπιθυμητόν. ARIST. Rhetoric. lib. I.

b patruum & nepotē, & Regem Catalaunensem, an. 1463.

Παττακίωνος συκοφαντικώτερος.

c Vide Luciani Dialogum inter Charontem, Menippum & Mercurium.

1599.

ſcio eum nullas adulationes reperturum eſſe. Ita ſine adulatione dicere poſſum, Ducem Sabaudiæ actiones ſuas geſſiſſe tali pacto, vt eas liberarit à libertate maledicendi Aulicorum, ab omni irriſione, ab omni illuſione, & iocatione. Prudentia eius, diſcretio, & ciuilitates obliterarunt iocos, quos de auo eius Carolo recitare ſolebant. Notabatur in eius actionibus humilitas & animoſitas, liberalitas, diſcretio, & aſtutia. In ſumma habitus eſt magnanimus Princeps: & hæc magna laus eſt, magnum apparere apud Regem magnum. Virtutes pulchræ ſunt & vnumquemque condecent, ſed pro ſubiecto, vbi ſplendor earum magis excellit. Clementia & ciuilitas conueniunt omnibus, ſed Principibus ita propriæ ſunt, vt nullum modum habeant certiorem & minus ſumptuoſum acquirendi corda, & eadem conſeruandi, quàm hunc ipſum. Virtutes eo maiores, quo rariores ſunt in Principibus, qui putant Solem tantum pro ſe lucere. Inter nomina laudum, quibus magnanimus Galliæ Rex Franciſcus cohoneſtatur, longè præferre ſoleo illud, quo ab exteris dicitur fuiſſe amor & delicię humani generis, quàm quo Galli eum appellant Patrem armorum & literarum.

Annus finiebatur tot ludorum generibus, & tantis cum applauſibus, familiaritatibus & veræ amicitiæ ſpeciminibus, vt multi crederent, duos animos & duas Aulas amborum Principum in vnum coiuiſſe: ſed ſemper notabatur aliquid coactum, & inter ipſas blanditias excidebat ſemper aliquod ſcomma. Rex, qui ad inſtar *a* Tiberii repentinis reſponſionibus melior quam meditatis erat, numquam non parate obiiciebat, quod ille poſteà meditando demum conſequi potuit. Nimis magna differentia erat inter tonos vtriuſque humorum, quàm vt fieri poſſet diuturna & bona harmonia. Neceſſe eſt vt ſit conuenientia, accordantia & conformitas in rebus, quæ conuenire inter ſe velint: & b *in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus ad inuicem*: & c *Nullæ ſunt maiores inimicitiæ quàm contrariæ ſententiæ, ac diſsimilitudines ſtudiorum & voluntatum.*

[a] VOPISC.

[b] GEC.

[c] CICER. Orat. 8. in Verrem.

Interim dum Aula deliciis abundat & voluptatibus, Dux Mercurii in Hungaria verſatur inter multas incommoditates, quas tamen pro deliciis ducebat propter Deum. Hungaria, quæ Scythię partem conficit, & à meridie Drauum, qui Danubium influit, à ſeptentrione Sarmatiam ſiue Poloniam & Getas ſiue Valachiam, ab occidente Auſtriam, ab oriente Myſiam contingit, theatrum fuit belli toto hoc ſæculo geſti, ad cuius finem pertendimus, & metu-

Diuus Matthias Rex Vngarorũ tantũ ſibi comparauit imperij, vt hinc mare Adriaticum, Sarmaticum illinc, & ab exortu Ponticum, ab occaſu Noricos, Vindelicos & Sueuos attingeret Vngaria. ANT. BONFIN. l. 1.

1599. endum est ne & hoc sæculo futurum sit, quod ingressuri sumus. Nam compertum est ex præteritis, quamuis parum proficiatur continuando bellum, tamen nullam stabilem pacem à tali hoste expectandam esse, qui nihil cupit remittere ex iis, quæ in hoc Regno vsurpauit, & ambit adhuc quod nondum tenet, aut certè tributum pro recognitione & seruitute. Ferdinandus Imperator potuisset illam quidem in pacem reponere, si voluisset consentire in turpem seruitutem, sed iustissimus & generosissimus Princeps noluit vnquam Turco largiri minimam partem Hungariæ, quam ipse petebat pro pace facienda, quum cognosceret eam seruari non posse, cupiens magis eam armis perdere, & sequi totam huius mundi, *a* in quo nihil firmum ac certum est, quàm ea infamia notari, quod imminuerit propria voluntate hereditatem, quam prædecessores sibi reliquissent, reiiciens culpam potius in suam impotentiam, quàm in suam voluntatem aut defectum animositatis.

a Nihil rerum humanarum firmũ ac certum est: sed omnia incerto euentu velut in mari æstuant & affligantur. NICEPH.

Omnium salutarissima resolutio, quæ Gallis dari possit, qui domi in quiete esse nequeunt, est, vt in Hungariam militatum proficiscantur. Lauri illic crescunt æquè spissæ sub signis Christianorum, quàm Trallibus olim sub statua Cæsaris. Et si quæ alia natio est, cui incumbat eo concurrere, Francia est, cuius Principes olim in Hungaria regnauerunt, nec minus prædæ inde abstulerunt, quàm olim Romani in bello contra Philippum Macedonem. Præterea Hungaria per Reges Franciæ ad fidem Christianam conuersa fuit.

Bonfin. l. 9. decad. 1.

Verè bona hæc expeditio est, & propter bonam causam. Si patria est, vbicumque viuitur, multo magis erit, vbi possis quotidie in libertatem reparare pauperes Christianos. Homo, qui natus est, vt Anaxagoras dicere solebat, ad contemplandum Solem, qui super totam terram se diffundit, & in omni climate se ostendit, iniurius in seipsum est, si sese alligare cupiat terræ alicuius angulo. Sed vt ad institutũ reuertamur: Dux Mercurii omnibus in Gallia Principibus exemplum præbuit dignè & honestè vtendi pacis beneficio. Namque exosus Aulicum otium & voluptates domesticas, condixit in succursum Christianorum aduersus potentissimum eorum Religionis hostem, quemadmodum olim Gothofridus Bullionius abiuit in Terram sanctam, ibique fundauit Christianissimum illud Regnum Hierosolymitanum, & bellum Saracenis intulit. Vnus iste ex eius posteris in gloriosum exemplum suscepit profectionem in Hungariam, secumque

abdu-

abduxit Comitem Chaligni, fratrem suum, & aliquot Nobiles suis sumptibus, proponens sibi bona sua non minus benè quàm ipsam vitam in tam sancto bello impendere, voto se obstringens duos annos Christianitati in eo bello suis sumptibus seruire. Visus est esse non minor Capitaneus in defendendo, quàm aggrediendo, & qui in Gallia tantum Mercurius erat, in Hungaria Mars apparuit, & impediuit, quo minus hostis, qui in exercitu habebat supra centum & quinquaginta millia militum, obsideret Strigonium. Et hoc factum fuit in prima profectione: ante cuius reditum Imperator desiderauit eum videre, petiitque vt iter suum per Pragam instituerct. 1599.

Quum ille in superiori Hungaria rem feliciter gereret, Michael Vayuoda Valachiæ res Imperatoris in Transyluania asseruit, ex qua Cardinalem Battorium expulit, qui se Turco in protectionem subiecerat, eique tributarius factus fuerat. Imperator eum monuerat, vt se in Poloniam reciperet, & Papa miserat Nuncium, qui eum exhortaretur ad capessenda arma suæ professionis, & relinquenda temporalia. Sed nihil profecerunt. Factum eius adeo displicuit Deo, adeoque alienum à iustitia & prudentia fuit, vt quum euasisset furorem prœlii, ceciderit in manus rusticorum siue grassantium militum, qui amputatum ei caput ad Valachiæ Principem transmiserunt, qui ita perfectam se victoriam obtinuisse demum existimauit. Sollicitabatur Papa, vt cædem hanc in auctores & ipsum Valachum vindicaret, sed nullo modo adduci potuit vt consentiret, quia facta ea fuit in bello, nec sciebatur per quem aut quomodo. Valachiæ Princeps, à quo ea cædes procurata fuit, pœnituit posteà facti, *a* quemadmodum fieri solet, vt memoria virtutis ac animositatis nos desiderare faciat etiam inimicum ipsum, quem interfici curauimus.

a Solet ira sedari post interitum eorum, qui læserũt, molestia sublata, & per miserationem reuocata desiderata virtutis memoria. APPIAN. de Bell. Ciuil. li. 1.

Namque de sinceritate & fide Valachi cœperat diffidi, & fama, quod se vellet ab Imperatoris obedientia abstrahere, & res suas separatim pro se gerere, communis facta fuit, quum videretur se in munitissimis Transyluaniæ locis circumuallare. Nihilominus tamen Legatos suos ad Imperatorem misit, vt ei confirmaret, causam publicam esse suam causam, nec alium sibi scopum in hoc bello esse quàm bonum publicum Christianitatis, seseque existimare, a *quicquid publicè salutare non est, priuatim alienum esse.* Tandem tamen mala eius machinamenta detecta fuerunt, vt suo loco videbitur.

a Dictum Scip. Nasicæ apud Vell. Paterculum. l. 1.

1599. VIII.

Actio, quæ claudit huncannum, est † apertio portæ sanctæ. Actio tam celebris & rara, vt non iniuria Pontifex aliquis desiderare deberet, vt eam bis videre posset, quemadmodum *b* Vitelhius desiderasse fertur, vt Claudius sæpè faceret ludos sæculares. Difficile est in historiis reperire primam institutionem anni Iubilæi, quamuis sciatur, *c* Bonifacium VIII. publicasse primam constitutionem. Causa motiua hæc fuit, quod circa finem millesimi trecentesimi centenarii à redemptione mundi, hoc est, in vigilia Natiuitatis Christi, Anno MCCXCIX. tempore Vesperarum, quemadmodum scribit Cardinalis S. Georgii, eius nepos, Ecclesia S. Petri tota repleta fuit peregrinantibus extraneis in multitudine maxima, inter quos communis fama erat, olim eodem tempore & anno eodem magnas indulgentias concessas fuisse illis, qui eam Ecclesiam visitarent, & præsentes essent in apertione vnius portæ: quorum numerus in tantum accreuerit diebus insequentibus, vt vix quisquam per vias præ turba incedere potuerit. Quod vbi ad Papam Bonifacium fuit relatum, initio is obstupuit, dein mandauit vt inquirerentur vetusta registra actorum Ecclesiæ, & reuiderentur diligenter Bullæ Paparum suorum prædecessorum: sed nihil reperiri potuit, vnde origo huius deuotionis probari posset. Nec magis de ea cognitum erat, quàm olim in Græcia ante Theseum, in octogesima Olympiade, aut sub regno Darii. In tanta perplexitate requirebantur quàm studiosissimè homines ætate profectissimi, vt haberetur vel per traditionem & cabalam, quod non posset verificari per historiam. Repertus fuit quidam bonus & deuotus peregrinus, qui iam annum ætatis agebat centesimum & septimum: qui deductus ad Papam, affirmauit, recordari se quod ante annos centum pater suus eandem peregrinationem ad limina S. Petri pro consequenda indulgentia Iubilæi susceperit, sibique in reditu iniunxisse, ne pigretur aut obliuiscatur centesimo elapso anno Romam redire in vigilia Natiuitatis pro eadem indulgentia nanciscenda. Hoc testimonium confirmatum fuit per duos vetulos Gallos, & quàm plurimos Italos, qui dicebant se intellexisse ex parentibus eorum, semper indulgentias fuisse concessas in hac annorum reuolutione iis, qui visitassent Ecclesias Romanas. Quapropter Papa nolens exstinguere tam ardentem deuotionem, nec relinquere memoriam tyrannidi temporis, quod rapit & aufert omnia, fecit quandam constitutionem, quæ seruit Christianis, tanquam *a* clauus ille fixus in templo Mineruæ, ne porro oblitera-

b SVET. in Vitell. cap. 11.

c Vt notauit Iacob.[9] Cardinalis S. Georgii, nepos ei[9], in libro supra Bullam Iubilæi.

Plutarchus dicit, vltra Theseum esse tantũ regiones salebrosas, & vada inaccessibilia, fluuios glaciosos, & terras combustas sole, cuius modi solẽ in extremitatibus chartarum pingi.

a Atheniẽses figebãt clauũ solemniter in pariete templi Mineruę annuatim in mẽse Septembre, ne numerus annorũ obliteraretur.

1599.

retur annus Iubilæus. Idcirco cum consilio Collegij Cardinalium ordinauit, vt Romæ singulo quoque anno centesimo celebraretur, voluitque vt quod hactenus tantum ex traditione obseruatum fuisset, imposterum ex necessitate legis fieret. Verum quia terminus erat nimis longus, & vita hominum tam breuis, vt de Iubilæo idem dici, quod olim de *b* Ludis sæcularibus, potuerit, quod eos præsentium nec spectarit quisquam, nec spectaturus sit, Papa clemens VI. mutauit tempus celebrandi annum centesimum, & contraxit dimidium annorum, hoc est, ad annum quinquagesimum. Qui numerus valde conueniens est remissioni peccatorum, quia apud Iudæos cunctæ res redibant ad primum suum statum anno quoquo quinquagesimo. Omnia debita abolebantur, omnes iniuriæ deponebantur, & tubę clarius clangere solito audiebantur, quę & nomen anno dederunt. Postea Papa Vrbanus VI. voluit per frequẽtem medicinã subuenire humanæ fragilitati, & dare occasionẽ reuerendi tempus, quo filius Dei commoratus fuit inter homines in terra, ordinauit vt Iubilæus anni sancti celebraretur in fine singuli cuiusque anni trigesimi tertij. Tandem Paulus II. accelerauit, & reduxit terminum ad annos viginti quinque.

b. Quos præco Romæ publicare hisce verbis solebat: *Conuenite ad ludos spectandos quos neque spectauit quisquam neque spectaturus est.* SVET. in Claud.

Iobel Hebraice significat tubat.

Publicatio anni Iubilæi fieri solet in die Ascensionis Domini nostri anno præcedente, in ecclesia S. Petri Vaticana, per duos Presbyteros in duabus diuersis cathedris bene paratis. Vnus legit Bullam Latine, alter Gallice. Exemplaria dein mittuntur per vniuersas in orbe ecclesias Romanæ adhærentes. In vigilia Natiuitatis tempore Vesperarum Iubilæus incipit per solemnem processionem, in qua Papa, Cardinales, Legati Principum, Prælati, Officiarij Romani incedunt iuxta ordinem. Papa portatur in sella gestatoria, & ad portam sanctam subsistit, quæ muto clausa est, nec aperitur nisi hoc anno Iubilæo. Ibi ei porrigitur fax cerea in manum sinistram, & martellus argenteus in dextram, quo murum tertia vice pulsat, qui illico destruitur per eos, quos ad demolitionem eius destinat. Interim dum ille orat pro benedictione tanti operis, cantores suæ capellæ cantant infinita cantica & psalmos exsultatiuos. Tubæ & litui vndique resonant. Tum populus turmatim irruit ad colligenda fragmina portæ demolitæ. Quo facto, Papa ingreditur Ecclesiam, confert se ad altare, & incipit Vespertinum officium. Ab eo tempore gratia Iubilæana communicatur vsque ad *a* eundem diem anni sequentis, inclusiue. Quam qui volunt consequi, tenentur visitare quatuor ecclesias, S. Petri, S. Pauli, S. Iohannis Laterani, & D. Mariæ Virginis ad Niues.

Bulla Iubilæi publicatur Romæ in quatuor vrbis angulis ad conuocandum quatuor mundi partes ad festum anni sancti.

a Nauarra scribit diem Natiuitatis anni sequentis non proprie compræhendi anno sancto.

1599. anno 1510. & clausit in Epiphania.

Papa Clemens VIII. aperuit portam in ipso die noui anni M DC. Iulius III. Papa vero eandem aperuit in die S. Matthæi, eo quod sedes vacaret, nec citius potuerit impleri. Clemens VIII. non potuit eam aperire in vigilia Natiuitatis propter indispositionem suam & extremos dolores podagræ. Verum quia nollet pati incommoditates, quæ ex mora eius peregrinis obuenirent, è lecto se proripuit etiam dissuadentibus Medicis, & feliciter peregit hanc sæcularem pompam. Visus ibi infinitus numerus Peregrinorum, vbi Gallorum frequentia cæterarum nationum omnium, quantæ quantæ erant, multitudine superauit homines: Gallorum, inquam, sed tam miserorum & egentium, vt sine commiseratione conspici non potuerint. Et quamuis factæ fuerint cumulatissimæ eleemosynæ & charitates, summaque cura habita vt hospitarentur & reciperentur, tamen non potuit institui tam bonus ordo, vt non multi relinquerentur in summis angustijs & incommoditatibus. Princeps Parmensis præsens fuit in apertione portæ, bene hospitatus, bene receptus & bene tractatus Papæ impensis ac sumptibus. Consecutus est simul & indulgentiam & vxorem. Nam Papa ei elocauit neptem suam, filiam primogenitam Ioannis Francisci Aldobrandini, quæ nondum habebat duodecim annos completos. ideoque solemnia sponsaliorum vsque in tres aut quatuor adhuc menses dilata fuerunt.

IX. Hæc † apertura portæ sanctæ & celebratio Iubilæi fuit vna de quatuor summis actionibus, quibus Pontificatus huius Papæ felix & memorabilis factus est. Prima fuit, reconciliatio Regis & reductio eius ad Ecclesiam, tam necessaria paci publicæ & quieti omnium Christianorum. Altera fuit, Pax inter duos potentissimos Christianitatis Monarchas. Tertia, receptio Ducatus Ferrariensis sine bello. Habitus fuit pro magno Principe & vero Patre concordiæ etiam ab ijs ipsis, qui sunt hostes Papatus. Hoc respectu Gubernator quidam Prouinciæ, quamuis eum tantum pro simplice Episcopo vrbis Romæ teneat, tamen diligenter in conclaui suo imaginem eius asseruabat, propterea quod per ingentes effectus amicitiæ & affectionis valde obligauerit Galliam & cunctos Gallos. Ab omni ætate imagines hominum, qui auctoritate & raris meritis inclaruerunt, adamatæ & honeste habitæ fuerunt, quamuis diuersitas religionis memoriam eorum defenderit. Alexander Seuerus, Princeps si quis vmquam fuit in Romano Imperio, pro *a* ætate vtilissimus, habebat in secretario suo imagines Abrahami & Orphei. Christianitas opus habebat tali Papa, Ecclesia tali Pastore,

a quippe decimo-tertio ætatis anno in Gallia à militibus interfectus.

Roma

Roma tam iusto Principe, ad reformanda eius vitia, quæ talia ac tanta sunt Romæ, vt peregrinatio Romana quasi in prouerbium abierit inter homines, vti dicatur probos eo ire, & malos redire. Et Imperator quidam Germanus tam male iudicauit, vt dixerit multos Imperatores Romam abijsse, perpaucos reuenisse. Verum tamen est, quod qui velit considerare sanctas & iustas actiones, quæ Romæ fiunt, reperturum esse in æquilibrio boni & mali, virtutem præponderare. Multa quidem mala perpetrantur, quæ in manifesto sunt: multo autem plura bona aguntur, quæ in secreto sunt: & homines ita natura comparati sunt, vt oculos conijciant in male facta ad ea publicanda, & animos aduertant ad eos abducendos à benefactorum imitatione. Multi loquuntur in obliquum, & iudicant leuiter de rebus elongatis, quarum est relatio parum sincera & distinctiones confusæ, quemadmodum Strabo confundit Riphæos montes cum Alpibus, & ipsas Alpes iungit cum Pyrenæis. Vnusquisque tantum loqui debet de eo, quod in sua ciuitate peragitur. 1599.

Rudolphus Imp. rogatus, cur expeditionem Romanam pro coronatione non susciperet, respondisse fertur: Es gehen viel Keysersfarten auß Teutschland gen Rom: vnd wenig wider herauß.

X. Quamuis *a* Mors † sit cœca, neq; distinguat personas, quamuis per diuersa eas apprehendat, tamen constat tempus esse, de quo dici possit, eam magnos tantum petere, & paruos contemnere.

a Mors omnium par est, per quæ venit diuersa sunt, id in quod desinit, vnum est. Senec. epist. 67.

Hoc anno ea adeo grassata est, vt quasi omnes thronos sedium & potestatum supremarum in Europa vacuauerit. Aggressa primo Collegium Cardinalium, tanto numero diminuere cœpit, vt pæne ad desolationem redigere velle videretur. Cardinalis Battorius violenta morte *a* perijt, vt supra relatum est. Cardinalis Radericus, qui ex Polonia Romam venit ad participandum Iubilæum, febre correptus ad æternam quietem *b* abijt. Cardinalis Arragonensis *c* eum paulo post insecutus est. Cardinalis Andreas *d* Austriacus, Cardinalis Prinlius Patriarcha Venetus, Cardinalis Caietanus, annum sanctum incipere quidem sed non finire potuerunt.

a. in Nouembr. 1599.
b. in Ian. 1600.
c in Febr. 1600.
d in Nouembr. 1600.

PETRI

1600.

PETRI MATTHÆI LIBER III.

M. DC.

SVMMARIVM PRIMÆ NARRATIONIS.

I *Annus incipit inter Regem & Ducem Sabaudiæ per gaudia, & finietur per bella.*
II *Practicæ & machinationes detectæ.*
III *Colloquium secretum Ducis Sabaudiæ & Ducis Bironi Confluentiæ.*
IV *Moderari sensus est primum præceptum boni Aulici.*
V *Rex ostendit Duci Sabaudiæ Curiam Parlamenti, sedentem & iudicantem.*
VI *Celebris actio audita à Rege & Duce.*
VII *Alincurius missus Romam pro negotijs Regis.*
VIII *Aduentus Viceregis Neapolitani Romam.*
IX *Opera sancta Romæ in anno Iubilæo.*

PRIMA NARRATIO.



NON est iudicandum de anno per primum diem, nec de die per primam horã, nec de actionibus per initium. Exspectandus est exitus anni, serum diei, & finis actionum. Lutetia vidit primo die primi anni huius sæculi duos Principes simul, qui, antequam finiatur, separatos & disiunctos cernet animis, qui nunc in præsentiarum vniti videntur & bene inuicem affecti. Namq; longe aliter incipiunt, quam finituri sint. Nunc strenas prebent, vt deinde prœlia renouent. Verbis nunc fratres sunt, reipsa hostes apparebunt. Nunc aerem gaudijs replent, vt tremere faciant Alpes terrore & furore armorum & tonitru bombardarum.

Dux misit Regi pro strenis duos magnos pelues & duo vasa crystallina, quæ videbantur esse pretiosissima in thesauro Beatricis Portugallæ auiæ suæ, & Catharinæ Infantis Hispaniæ vxoris suæ, & quæ nullo pretio taxari posse dicebantur nec quoad materiam, nec quoad formam: sed quoad artificium tam industriosum,

1600.

& subiectum tam fragile, vt centum artifices tentaturi sint, antequam vnum possint perficere. Ea Rex maioris fecit, quam *a* Maximilianus I. Imperator ea vasa crystallina, quæ à Venetis oblata fuerant: & eadem strenarum occasione Duci dono dedit monile Adamãtinum, in cuius medio Adamas perlucidus ostendebat effigiem suæ Maiestatis. Quam effigiem ipse non minus amabat, quam Persæ olim *a* Alexandri Magni: & cum eam aliquando inter saltandum amisisset, quingentos coronatos exhibuit ei, qui reperit.

a videndus Conrad. Brusio lib. 5. cap. 20. de Legationib.

a Ratione reddit Treb. Pollio: *Quia dicuntur iuuari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant vel argento.*

b Titi apud SVET.

Dux exercuit liberalitates inimitabiles, & quum existimaretur omnia expendisse, inuitauit Regem & Aulicos ad choream, in qua visus est ornatus tantis pretiosis lapidibus, quibus vestimenta eius relucebant, vt amplius sexcentis coronatorum millibus æstimarentur. In omnibus actionibus suis tam facilis, tam liberalis, tam ciuilis erat, vt nemo ab eo tristis discederet: iuxta præceptum scilicet *b* eius Imperatoris, qui propter bonitatem & mansuetudinem suam appellatus fuit delitiæ generis humani: & erga Regem se gerebat non vt supremus Dux, sed tanquam vasallus, & putans se lucrum quærere ex hac humilitate, nullum genus officiorum & cumulationum dedignatus est, & videbatur reliquisse omnem magnitudinem suam trans Alpes. Sicut humilis erat erga Regem, ita familiarem se præbuit Principibus Aulicis, & liberalem erga vniuersos, qui dona eius accipere non recusarent. Sibi ipse persuadebat, se perdendo multum lucrari, & Principem, quicquid Iustinus *c* dicat, magnificentiam & opes suas nec ludendo, nec donando amittere. Munera obtulit quibusque in Aula Principibus, qui & ex permissu Regis acceperunt. Solus Bironi Dux recusauit equos sibi præsentatos: nec tamen inde Rex melius sentire de vtriusque conspiratione cœpit, nec ipse Dux minorem spem de voluntatis eius certitudine per eam recusationem habere. Nam solius Bironi gratia hanc profectionem Dux Sabaudiæ instituerat, vt eum totaliter à seruitio Regis abstraheret, & concepit magnam illam machinationem, quæ tandem prorumpens eos omnes confudit, qui participes erant. Hæc erat magna illa occasio, quam cum animo suo agitabat, & quam noluit detegere Consiliarijs suis iter in Galliam institutum dissuadentibus. Marchionatus Salutiarum prætextus quidem erat profectionis, sed perfectio tam ingentis conspirationis erat verissima causa.

c *Magnificentia & opes ludis amittuntur, non quæruntur.*

Finius & Parisios venit intercessitque tanquam interpres voluntatum Conspiratorum & Confœderatorum. Prima vice quum Ducem adiret in nocte postridie Natiuitatis Christi, introductus

Ferebantur Dux Bironus & Baro Luxius simul interfuisse

1600. fuit in cubiculum Ducis, in palatio Ducis Nemorensis per Iacobi Dominum, ita clanculum vt à nemine obseruaretur. Dux Nemorensis accedens vt bonam noctem precaretur Duci, rogatus fuit ab ingressu abstinere, quod Dux iam quieti se dedisset. Noluit Dux, vt is quicquam resciret. Metuebat enim, ne forte Regem admoneret, postquam ab eo in primo statim die sui aduentus intellexisset, nihil sub Sole esse, quod se posset à seruitio Regis diuellere: sed sola hac exceptione salua, quidquid potuit pro Duce facere non intermisit.

sed Finius mihi narrauit, se fuisse solum.

Nulla nox fuit, cuius bonam partem Finius non vigilarit, vt ei significaret quæ gerebantur inter factiosos. Qui complices erant conspirationis, ad eum quærendum in dissitissimas & auias ecclesias ventitabant, vt inuicem communicarent, quæ fiebant. Nihil in Consilio Regis dicebatur, quod Dux Sabaudiæ non confestim resciuerit per eos, qui ab eius partibus stabant. Et quemadmodum Princeps est aptissimus ad conducendos hominum animos & attrahendos suis persuasionibus, non minus ciuilitate quam mansuetudine præstans, ad lucrificandam beneuolentiam animorum, qua præcipue opus est ad res expediendas, nullum genus blanditiarum, affabilitatis & Officiorum erga Ducem Bironum intermisit. Et vbi in Aulam venit, solo oculorum tractu distinguebat eos, qui sibi erant deuoti, quamuis essent procul ab eo positi, eosque selegit ex plurimis Aulicis: & vbi eos obuios nactus est, hos pallio trahens, alios manu premens, declarare illis voluit, quod eorum affectiones sibi non essent incognitæ. Difficile est, vt non hæreat aliquid à talibus incantationibus, quibus animus abripitur etiam certissimus & constantissimus. Nam *vt stagnum, mite licet, ventis exagitantibus assurgere in æstus valet, ita bona natura improbis monitoribus fluctuat.*

Finius adeo clancularius erat, vt nemini sese exhiberet: tandem tamen à Villeregio deprænhensus fuit ad caput lecti cum Comite Auernensi colloquens.

EGESIPP. lib. 1. cap. 39.

II. Necdum tamen † locutus erat cum Duce Bironi de factione sua, nisi per interpretem. ideo necessarium esse videbatur iungere se propius ad claudendum nodum tanti vinculi. Sed semper interuenit aliquis scrupulus, aut explorator aliquis, qui eos impediret. Confluentiæ tandem commodissimam occasionem nacti sunt, quum soli essent, & Rex præcepisset Duci Bironi, vt Ducem Sabaudiæ interim colloqueretur, dum ipse ex vestiatio rediret. Arripientes auide tempus, non perdiderunt, & tamen vix tribus aut quatuor verbis in confidentiam & conspirationem certissimam conuenire potuerunt, cætera ad interpretem Finium reijcientes, quum discursus eorum rumpitur per interuentum Comitis Suessionensis & Ducis Montpenserij.

Processio Ducis ea in re erat admodum iudiciosa & ingeniosa atque astuta. Etenim sæpe discursum proponere de virtute & animositate Ducis Bironi solebat, vt expiscaretur iudicium Regis, qui ei non semper concedere voluit gloriam bellicarum executionum, de quibus sese venditabat. Dux referebat aut referri curauit omnia, quæcumque Rex de eo dicebat, & quibus animus eius à Rege alienari posset ad Ducem Bironi. Quibus hic intellectis, maledicentissima quæque verba, quæ iracundia eius concipere poterat, † contra respectum & seruitium Regis effutiuit, & quamuis motus tardus esse debeat viri magnanimi, tamen non poterat sese continere, & retorsiones fecit satis pręcipites & leues. Namq; admodum offendi solebat verbis in reputationem iactis suæ virtutis, cum qua nihil putabat conferri posse; & ingressus in discursum super vitæ suæ historia, conuicia dicere in quemcumque nihil reueritus est, ne Regi quidem ipsi parcens, cuius virtus & experientia in rebus militaribus occæcauit omnium vel clarissimos oculos, coegitque confiteri, cum non fuisse elatum in thronum Regalem per fortunæ beneficium, aut per equi hinnitum, quomodo Darius, sed per virtutis suæ virtutem, quum nihil sit sub Sole quod illa non merita sit, aut non potuerit acquirere. In hoc Dux Bironi vehementer peccauit contra regulas eorum, qui desiderant facere & perficere suam fortunam. Numquam debet quisquam se comparare cum robore & prudentia sui Principis, numquam disputare contra eius sententiam, numquam contradicere eius opinioni, numquam venditare se prudentiorem, iudiciosiorem & capaciorem illo esse. Multi naufragium passi sunt ad hunc scopulum. Vtinam semper sibi ad aurem suam buccinarent ij, qui de Principum suorum disponere conantur, dictum illud: *Moderamini sensus vestros*: & tenete præexcellentiam vestram coopertam. Longe securius peruagarentur tempestuosum hoc mare Aulicum. In Hispania hoc præceptum obseruatur tanquam cœlo delapsum, & collegi tria exempla, quæ quamuis sint diuersarum actionum, superque differentibus subiectis, extendi tamen possunt in omnem occasionem, excepto Consilio, in quo nulla alia regula ferri debet quam ipsius veritatis, & nullus fieri respectus quam salutis Principis & Reipublicæ. Ecce tibi primum. Emanuel Rex Portugalliæ conferens cum Ludouico Siluera, quid respondere deberet literis Papæ, iussit eum scribere responsionem; facturum se quoque alteram, vt ex ijs deinde melior eligatur, aut ex duabus fiat vna. Nam Rex æstimabatur valde eloquens, nec cuiquam cedebat, bene-

1600.

III. Κίνησις βραδεῖα τοῦ μεγαλοψύχου. Arist. Ethic. lib. 3. cap. 8.

PLVT. de Fortun. Alexand.

Emanuel XIV. Rex Portugalliæ anno 1495.

1600. dicebat non minus quam benefaciendo. Ludouicus gloriosus, quod in eodem campo cum Rege cõcurrere deberet, summa industria conatus est suam responsionem perficere & accomplere. quam vbi Rex vidit, erubescens suæ responsionis inæqualitatem, amandauit in continenti tabellarium, nec monstrare voluit, quid fecisset. Syluera animaduertens peccatum à se commissum retraxit se, & domum veniens dixit ad liberos suos: Fili, quæramus fortunam; nulla amplius mihi securitas in Aula. Rex per imprudentiam meam hodie recognouit me ipso esse scientiorem.

Alter est Rui. Gomezius, summus & absolutissimus magister in hac scientia, si quis alius vmquam fuit. Qui animaduertens Carolum V. Imperatorem, quocum ludebat euoluendis cartis, cui fauorabilior obuentura esset, iurasse per vitam Imperatricis, *b* iuramentum quod est inuiolabile, se lucraturum esse eam depositionem, retinuit se tam caute, vt quamuis certus esset superiorem se Imperatore esse posse, tamen videns Regem suas explicasse chartas, ipse suas complicuit, quibus vincere poterat. Qui à tergo eius stabant, signa quædam stuporis edebant, tenentes pro imprudentia aut infortunio quod erat summæ sapientiæ & discretionis. Imperator signa illa animaduertit, & finito lusu eos abduxit seorsim ad explorandam veritatem; qua cognita interdixit ipsis sub pœna grauissima, ne cuiquam eam rem narrarẽt. Hoc factum tam ei gratum fuit, vt postea Gomezium iudicaret idoneum esse qui iuxta Philippum filium versaretur, cui & eum donauit, commendauitque ab omnibus qualitatibus conuenientibus bono ac probo ministro, qui imperare didicerit propriæ fortunæ, vt accommodaret alienis se voluntatibus, & gubernare prudentiam vt placeret Domino suo.

b. Vt olim per genium aut caput Principis factum iuramentum erat religiosum ita hodie in Hispania iurare per vitam Regis aut Reginæ, est absolutio negotij sine vlla reuocatione.

Bonus minister debet semper se accommodare ad voluntatem Domini sui.

Tertius est Antonius Leuis, qui attribuit prudentiæ & virtuti Imperatoris Caroli V. omnes successus felicium expeditionum, sibi autem imputabat causam & consilium contrariarum, honorans reputationem Domini sui cum damno propriæ existimationis.

Dux Bironi non erat eodem modo ingeniatus. Quem excessus propriæ animositatis eleuabat super epicyclum Martis, detestabaturque omnia per vitiosissimum fastum, quæ non essent manu aut consilio suo patrata. Nulla sibi videbatur esse perfectior idea, quam virtutis ac roboris sui. Aliquando *a* ad Regem dicebat, nolle se vt in Historia Gallica referatur, ab alio quam à se hanc vel illam rem gestam esse.

a Hæc verba ab eo audita fuerunt in obsidione Ambianensi.

Sibi

Sibi ipse persuadebat libertatem verborum suorum esse notam magnitudinis animi sui. ideoque persæpè loquebatur sine respectu offendendi, sineque metu displicendi, dicens, nebulonibus tantum conuenire, vt non audeant dicere quæ cogitant.

1600. Bironus modestiã adscribit defectui animositatis.

Altero huius anni die Rex Ducem Sabaudiæ in S. Germani fanum perduxit, vt ei ostenderet sua ædificia, suas specus, suam venationem. Ostendit ei & cætera domicilia sedesque rusticas in locis amœnissimis in circuitu Parisiorum sitis. Interim dum Dux tegebat suam voluntatem non satis contentam tanta cum prudentia, vt eodem vultu semper appareret in mensa, in venatione, in ludo, in chorea, Rex tamen, vtcumque recusaret eius cupiditati respondere, tamen semper occasionem quæsiuit vt nouum illi subiectum daret, quo fictam pœnitentiam profectionis suæ recompensaret.

V.

Ex † omnibus mirabilibus & ornamentis, quæ Parisiis digna visu sunt, Parlamentum est omnium admirabilissimum. Parlamentum quum dico, nolo vt intelligatur grandis illa & superba structura, ædificata primum vt ibi locaretur Parlamentum, sed ipsum Parlamentum, augustissimus totius Regni Senatus, melior pars Reipublicæ, arbitrium Principum, refugium innocentiæ, & robustissimum repagulum inter potentiam magnatum, & imbecillitatem pauperum, scaturigo & fons cæterorum Parlamentorũ. Quando c Principes extranei transierunt per Galliam, semper eis monstratus iste locus, tanquam epitome quædam magnitudinis Regis, & vera effigies suæ Maiestatis, vbi conspicitur, vt de Senatu Romano Cyneas dicebat, consistorium multorum Regum, aut potius totidem Mineruarum, quæ totæ armatæ ex cerebro Iouis descenderint, ad debellandum & tollendum tot monstra, quæ, vt inferos repleant, vrbes deplent.

Parlamentum Parisiense est omnium primum & antiquissimum in Gallia, institutum tempore Regis Philippi Pulchri, anno 1293.

c ita monstratũ fuit Regibus Portugalliæ, Neapolitanis, Siciliæ, Scotiæ, Nauarræ. Imp. quoque Sigismundus & Carolus V. in illud introducti fuerunt.

Rex ostendit idem Parlamentum etiam Sabaudiæ Duci; & quo minori cum tumultu & comitatu eo iret, descendit in flumine vsq; ad hortum primi Præsidis. Contulerunt se vterque in Cameram Auratam, vnde omnia poterant conspicere & audire, & ipsi à nemine conspiciebantur. Dux admiratus fuit tam augustum Senatum, qui olim fuit arbiter a summorum totius orbis Principum, qui iudicauit controuersiam de Marchionatu Salutiarum, ad quem barbari & extranei confugerunt ad eius iustitiam implorandam. Magis tamen admiratus fuit eloquentiam, quæ ibi resonabat

a Innocentii IV. Papę & Friderici II. Imp. in quorum controuersia Senatus Parlamenti, & Senatus Parium pro arbitris electi fuerunt, vt scribit BODIN. lib. 5. cap. 6.

1600. & audiebatur. Nam Achilles Harlæus Eques, Consiliarius Regis in Consilio Regni, & primus Præses, cognito, Regem venturum in Curiam, selegit causam, quæ in eius præsentia ageretur, cuius subiectum valde erat tragicum. Quidam nomine Iohannes Prostus nefariè occisus fuit Parisiis, nec de cædis auctoribus certo constabat. Mater suspicionem iniiciens contra hospitem & dominum ædium, in quibus morabantur, qui erat pistor, eum accusauit per quædam indicia ac præsumptiones. Sententia lata pistor condemnatus fuit ad quæstionem & torturam ordinariam & extraordinariam. Quod & fuit exsecutum. Aliquanto post tempore contigit, vt duo latrones comprehenderentur propter alia crimina. Qui condemnati ad mortē, & suppliciū subituri præter alia multa maleficia, cōfessi quoq; sunt homicidiū illius Iohannis Prosti ab se perpetratū esse: atque hoc modo innocentia pistoris indubitabiliter probata fuit. Pistor supplicem libellum Parlamento obtulit, in quo petiit, vt mater Iohannis Prosti, à qua accusatus & ad tormenta requisitus fuerit, condemnaretur ad reparationem, expensas & interesse. Mater econtrà excepit, docuitque accusationem suam fuisse sine calumnia. Arrestum factum fuit absolutoriū pro matre, & pronunciatum per primum Præsidentem die Lunæ, decimo septimo Ianuarii, anno MDC.

Hoc iudicium, vt tota simul actio, placuit Regi & Duci.

Verum Dux habuit aliud arrestum in capite, quod exspectabat non à iustitia, sed à gratia Regis, super Marchionatu Salutiarum.

Et quamuis hoc negotium fuerit maximi momenti & grauissimum, tamen Rex habebat aliud quoddam, quo magis angebatur. Id erat matrimonium. Postquam intellexit ex Sillerio Legato suo Romæ, Papam concessisse id, quod desideraret, super nullitate matrimonii, misit Alincurtium Gubernatorem Pontœsianū, Equitem Ordinis Regii, vt Papæ gratias ageret, & simul consilium ab eo peteret, quid illi videretur de affinitate cum Domo Florentina ineunda. Lugdunum venit, & inde secundo Rhodano Aueniónem, vnde Anthibam contendens reperit in portu nauem à Republica Genuensi submissam, optimè paratam, qua in vrbem vectus recepit omnes honores conuenientes magnitudini Principis, à quo mittebatur, & dignos fide ac reputatione, quas nomen Villeregis gestat inter amicos huius Regni. Bona susceptio, quæ fit Legato, officiositas est qua ipse Dominus obligatur. Semper Reges bene nati memores fuerunt, & beneficium retulerunt non modo

HEROD. lib. 6. in Principes, verum etiam in priuatos, vt Crœsus Rex Lydiæ in 1600.
Alcmæonem Atheniensem. Hospitium ordinarium tum Genuæ
non erat integrum. itaque Alincurtius hospitium sumpsit in pa-
latio Grimaldorum, in quo duos totos dies sumptibus Reipubl.
habitus fuit. Legatus Hispanus ad eum salutandum accessit.
Venit in Senatum, positusque in sellam Ducis vidit ordinem, qui
tenebatur in consiliis & deliberationibus. In eius gratiam duo
mancipia Gallica ad remos damnata libertati restituuntur, quo-
rum vnus Parisiensis fuit, alter Lugdunensis; quo fauore singula-
riter solet illa Respub. magnum Principem prosequi. Inde equis
cursoribus Romam venit ipso die Cinerum. Legatus ei obui-
am processit cum ingenti numero Nobilium Gallorum, & in su-
um hospitium perduxit. Postridie sui aduentus ad audientiam
à Papa admissus fuit, qui fuit alter Quadragesimæ dies, in qua
Cubiculum & Anticubiculum Papæ omnibus tapetium orna-
mentis despoliantur. Ibi exposuit Sanctitati eius sanctas affe-
VIII. ctiones Regis Domini sui. Romæ moratus fuit vsque ad Pa-
scha. Interim † viderunt ingressum Viceregis Neapolitani in
vrbem Romam, venientis facere homagium Papæ pro Regno
Neapolitano, eique præsentauit equum album, in recogni-
tionem fidelitatis & feudalis inuestituræ Regni. Namque
Neapolitanum Regnum est vnum ex *a* illis, quæ fidelita-
tem & homagium Ecclesiæ Romanæ debent. Ea de causa præ-
ter *b* octo mille vncias auri annuatim Papæ tribuendas, Reges eti-
am tenentur arma capere pro defensione Ecclesiæ. Habuerunt
adhuc partem suam de fructibus anni sancti, & de admirabilibus
exemplis pietatis & deuotionis, quæ in tota vrbe Romana vn-
dique apparebant. Primus Quadragesimæ dies, quo Christia-
ni imitari solent Orgia, Lupercalia & Bacchanalia Ethnicorum,
quæ multis in locis ipsos quadraginta dies, in nonnullis totum
annum perdurant, quemadmodum Saturnalia, fuit omni-
um religiosissimè sanctificatus. Nam Papa indixerat preces
quadraginta horarum, quarum initium factum fuit in Eccle-
sia Iesuitarum, in qua cœpta est prima hora per Collegium Car-
dinalium. Omnes Ecclesiæ Romanæ illic in processione conspicie-
bantur: & in vnaquaq; hora exhortationem faciebat vnus è Cardi-
nalibus, aut cæteris Prælatis. Numerus Peregrinorum, qui vndiq;
terrarum confluebant; est incredibilis: sed plures ex Gallia, quàm
IX. ex omnib. cæteris Prouinciis extra Italiam positis. Quæ † res sum-
mã consolationẽ Papæ attulit, ingentem obstupefactionẽ Italis, &

a Regna Neapolitanum, Siciliæ, Aragoniæ, Sardiniæ, Hierosolymitanum, Angliæ, Hiberniæ, Hungariæ, sunt feudataria Ecclesiæ Romanæ.

b quæ conficiunt octuaginta millia coronatorũ.

confu-

1600.

confusionem illis, qui malititiosè dicebant Galliam esse Schismaticam, & omnes Gallos esse Lutheranos. *a* Complures ibi & Huguenoti reperti, qui per curiositatem eo conuolarunt, nimirum extra metum Inquisitionis positi, cuius iurisdictio cessat tempore anni Iubilæi. Non ibant vt participes fierent Iubilæanæ gratiæ, quippe qui illuderent opera supererogationis, dicerentq; Catholicos facere Deum suum rationes ducentem. Verum quum viderent Papam ipsum ire singulis diebus visitatum ecclesias, ibi Missas celebrare, circumspicere Peregrinos, seruire pauperibus, eos ad mensam suam inuitare, eorum confessionem audire, iam non amplius credere cœperunt, Papam esse Antichristum aut Romam esse Babylonem. Et in veritate Clemens VIII. non fecit, quod ante trecentos annos *b* Bonifacius VIII. fecerat, quum primo Iubilæi die sibi præferri curasset in triumpho duos gladios, vt ostentaret potentiam suam in Imperio animarum & corporum. Nihil obseruare poterant in hoc sene, vnde non discere debuerant, iustissimè eum electum esse ab omnibus supra omnes & inter omnes, pro capite visibilis istius Monarchiæ. Admirabantur tantum zelum verè Patris & Pastoris, pro salute animarum non solum pro conseruatione ouium à rabie luporum. Qui eius zelus tam ingens fuit & sincerè verus, vt numquam ab altari sine lacrymis discesserit, propter iustum dolorem, quo commouebatur propter desolationem regni Argriæ. Ieiunabat cum pane simplici bis in septimana; Missam singulis diebus dicebat: per sanctitatem vitæ eius, plurima crimina & excessiua vitia, quæ Romæ facilimè imitantur, ibi sine exemplo erant. Quæ res nonnullorum corda adeo viuaciter penetrauit, vt vno die circiter triginta sex Galli opiniones suas coram Papa abiuratint, & absolutionem receperint. Conuersio eius, à quo inducti fuerunt, causam habuit particulariorem, & notabiliorem. Is Romæ fuerat in præcedenti Iubilæo sub Papa Gregorio XIII. cum voto vt, si viuat, hoc an. MDC. rediturus sit. Quemadmodum deuotio eum Romam perduxit, ita curiositas Geneuam in reditu transtulit, vbi hæsit vt socii Vlyssis ad lotam. Quum videretur ingenio valere, inuitatus fuit ad cathedram & coniugium: quarum posteriorem conditionem statim accepit, & prioris quoque se paulo post capacem reddidit. Sed post aliquot annos videns tempus Iubilæi appropinquare, & voti sui recordatus, sub prætextu priuatorum negotiorum Geneua discedens Romam contendit, eamque religionem, quam deseruerat, iterum amplexus est.

Multi Principes & Magnates è diuersis Europæ regionibus

a Papa ipse obstupescebat tantum numerũ Peregrinorũ Gallorum, adeò vt aliquando dicere auditus fuerit: *Quid factum fuisset, si ipsũ Regem vidissemus?*

b Historici referunt eum primo Iubilæi die in publico apparuisse, habitu Põtificali: altero die, habitu Imperiali, prælato ense districto. Alii vero scribunt, prælatos illi duos gladios fuisse.

Arnaldus Minister Geneuensis conuertit Romæ & conduxit 36. Gallos in Ecclesiam S. Ludouici, vt professionem facerent fidei Catholicæ.

Romam ad hoc Iubilæum venerunt: sed nullus è maiori familia comparuit, quàm Dux Barrensis, qui habitu incognito peregrinari voluit, vt absolutionem impetraret, propterea quod coniugem duxisset contra formam Ecclesiæ, & sine dispensatione consanguinitatis, quæ est inter ipsum & sororem Regis. Ea de causa Episcopi Lotharingiæ noluerunt eum ad communionem Sacramenti Dominici admittere, tenueruntq; eum pro excommunicato. Quamuis humilitas, obedientia & submissio, quam Princeps iste sanctæ Sedi redditum iuit, tantum fauoris illi conciliaret, quantum vix potuisset sperare, tamen *a* Rex eum litteris suis commendare voluit. 1600.

a Rex perscripsit ad Cardinalem Aldobrandinum, mandauitq; Cardinali Ossato, & Sillerio Legato recommendationes ad eam rem necessarias.

SVMMARIVM

SECVNDÆ NARRATIONIS.

I. *Offensio Ducis comperta.*
II. *Deputati Regis & Ducis pro tractando eorum negotio.*
III. *Propositio valde odiosa de protectione Geneuæ.*
IV. *Permutatio aut restitutio.*
V. *Conlocutio inter Regem & Ducem.*
VI. *Dux petit inuestituram Marchionatus Salutiarum vni ex filiis suis.*
VII. *Consiliarij eius in diuersa abeunt.*
VIII. *Tractatus Pacificationis dat optionem aut reddendi Marchionatum, aut cedendi Bressam.*
IX. *Reditus ducis in Sabaudiam.*
X. *Dux Mercurij Locumtenens generalis Imperatoris in Hungaria.*
XI. *Tractatio de matrimonio inter Regem & Principissam Florentinam.*
XII. *Colloquium Fontebellandinum, pro examine libri à Plessæo conscripti.*
XIII. *Declaratio Regis de occasione Colloquij.*
XIV. *Examen nouem locorum in libro adductorum.*
XV. *Fructus Colloquij.*

NARRATIO SECVNDA.

DVx, in ipsis aduentus & receptionis suæ lætitiis, non oblitus fuit curæ suarum rerum: à qua eum Rex semper, quoties verba facere cœpit, declinauit, rogans vt vtriusque negotia Consiliariis committerentur, & ipsi intereà

1600. integros ac liberos exercitiis & oblectationibus sese darent. Ita est: vt Magnates non possint se cogere, semper tamen inter delitias & seruitia aliquid eueniebat, vnde Dux poterat colligere, non se id obtenturum, quod sui sibi polliciti erant. Rex clara voce in cubili suo dicebat, Ducem esse Principem præstantem & excellentem, sed sibi retinere alienum Marchionatum. Qui suum perdit, non potest ridere. *a* Qui suis exuitur bonis, iniuriarum numquam obliuiscitur. Dux ex altera parte querebatur se nimis malè tractari nimisque rigidè. Ita inter vtriusque Principis discursus secretos semper notabatur aliqua morsiuncula. Dux putabat se repertum fuisse Regem benignissimum: econtrà Rex Ducem faciliorem ad restituendum id, quod tenet. Vterque persuasus erat primo statim congressu lusuros se chartis explicatis. Verum vterque plenus erat prudentiæ, *b* calliditate & versutia vestitæ. Recognouerunt ingenia vtriusque æquè esse inæqualia, atque ipsa Regna. Rex existimabat, actiones suas non ideo habere minus gratiæ, quamuis ceremoniarum minus haberent. Dux in omnibus magis respectiue & grauius procedebat. Astrologorum est opinio, coniunctionem Martis & Mercurii numquam fieri sine fallendi ratione. Quare Dæmones eorum habebant inuisibiles causas antipathiæ visibilis, & replebant eorum fantasias opinionibus contrariis beneuolentiæ & officiositati exteriori. Rex semper proponere aliquid studebat, vnde se procul dissimulatione agere Dux posset animaduertere. Dux *a* tegebat iram suam silentio & discretè, impellens semper rotam primæ & principalis causæ sui aduentus.

a Dictum Pertinacis apud HERODIANVM.

b *Prudentes eosdem cautos callidos versuto, q; dicimus.* ARISTOT. Ethic. li 6.

a *In ira nihil decentius, quàm cum adest silentium.* PLVT.

II. Elegerunt † vtrimque ex Consiliariis suis, quibus negotium tractandum committerent. Ex parte Regis Connestabilis, Cancellarius, Mareschallus Bironius, Marchio Rhosnius, Villeregius. Ex parte Ducis, Belys Cancellarius, Marchio Lullinius, Iacobæus, Comes Moretta, Alymæus.

Primus articulus propositionis à Duce factæ erat protectio Geneuæ. Sed ventus hic fuit ad tempestatem concitandam. Multi dicebant, Ducem ea modo de causa venisse, vt seditiones faceret, & commoueret quæstionem, quæ non posset resolui nisi cum alteratione tranquillitatis publicæ: aduentum eius præparare vlcus prauorum humorum tumidum, quod si rumpatur crepiturum sit in præiudicium sanitatis Reipublicæ, eamque repleturum partialitatibus & diuisionibus: tantum adesse vt colligeret male contentos, & nulla in re acquiescentes nisi in qua Regi incommodarent:

a Prima lex amicitiæ est, ab amico nō petere rē, quæ sit iniusta & extra eius potestatem posita.

1600.

iniurium esse, qui sub *a* amici pallio velit petere res iniustas, & amicos Regis ab eo abstrahere.

Hæc propositio, vt protectio vrbis Geneuensis rumpatur, grauiter offendit & Regem & Consiliarios. Vt in susceptionibus militaribus termini sunt fatales, & quos impunè nemo transgrediatur, aut transiturus fulmine, quemadmodum Imperator *b* Carus petatur: ita in Tractatibus cum Principibus termini sunt certi, ad quos non oportet appropinquare eum, qui nolit fulminari ab eorum indignatione. Quamobrem † Patriarcha Constantinopolitanus, quamuis rogatus à Duce vt referret inter verba sua, se excusarit, dicens, *c* nullum ea de re se mandatum à Papa habere, Induxit tandem *d* Nuncium, vt faceret. Bonus iste Prælatus, cuius animus æquè vacuus ab artificiis & dissimulationibus est, quàm repletus zelo & intergritate, occasionem reperit referendi ad Regem sine turba aut diuerticulo. Dicebat medium esse, quo possent vtriusque voluntatum extrema coniungi. Nam eandem rationem, qua Rex ab Duce repetat Marchionatum, non permittere vt Maiestas eius impediat, quo minus Dux recuperet id quod ad se pertinet. Quum id verum esse Rex respondisset, addidit Nuncius: Vrbem Geneuensem ad Ducem pertinere, & nihil obstare quo minus restabiliat auctoritatem, quam maiores eius ea in vrbe habuerunt, quàm potentia vestræ protectionis. Nonne æquum est, vt quemadmodum vos vultis vt vobis reddat Marchionatum, qui vester est, ita vos quoque permittatis vt ipse habeat vrbem Geneuensem, quæ est eius? Rex, vt se promptè absolueret ab hoc argumento, respondit, res esse longe differentes. Non enim se suscepisse protectionem Geneuæ, sed *a* Tractatum esse & fœdus, cui fides sua obligata sit per reuerentiam, quam debeat suis prædecessoribus, qui se constituerint protectores huius Reipublicæ, à qua acceperunt multa seruitia in suis necessitatibus, nec se vmquam contrauenturum esse firmissimis eorum promissis. Nuncius acuta & subita replicatione Regem circumuenit hisce terminis: Quemadmodum vos non vultis deserere protectionem vrbis Geneuensis, propterea quod per prædecessores vestros facta fuerit, eodem pacto nec Dux tenetur vobis reddere Marchionatum Salutiarum, quia eum non vobis, sed Regi defuncto eripuit. Nostra controuersia, inquit Rex, quamuis ex mea parte sit plurium causarum, redacta est ad id, quod concernit vsurpationem Salutiarum. Vsurpator autem debet restituere. Dux Sabaudiæ vsurpauit meum Marchionatū. Nihil est quo se excusare possit quo minus illum mihi restituat. Nihil

b Flauius Vopiscus scribit.

III.

c Prudentia Patriarchæ fundata super regulam politicam, Quod nihil sit proponendū sine mandato, vtcūque speciosum & lucratiuū sit.

d Episcopū Modonēsem, Papæ Nuncium.

a Princeps debet conseruare Tractatus & conuentiones iustas suorū prædecessorum, etiam in facto protectionis.

1600. habeo quod eius ſit: itaq; nihil eſt, quod illi reddere tenear. Numquam impediero, quo minus ei de Geneua ſatisfiat, ſi alio modo, quàm armis, procedere cupiat. Nam *b* ſi viribus eam ſubiugare tentet, ſemper præſtabo id quod debeo & ad quod obligor. Ille credit, ſi ego deſeram protectionem vrbis, poſſe eam ab ſe cogi vt ſuum Principatum recognoſcant: ſed ea deſertio cum ſit contra honorem noſtri regni, & conſtantiam verbi Regii, ingentem mihi inuidiam conflaret. Princeps *a* qui alicui ſuam protectionem promiſit, metuere debet, ne hoſtis eum auferat aut cogat deficiente eius ſuccurſu alium pro auxilio implorare.

b Rex dicebat, multos, qui voluerint mouere hunc lapidem, læſiſſe digitos.

a Non deſerendi illi, quos in noſtram protectionem ſuſcepimus, ne forte derelicti cum hoſte conſpirēt. hoc conſilium Chileus dedit Ephoris. HEROD. lib. 9.

Dux cauſam habebat, cur tantoperè laboraret propter hanc Rempublicam. Digna enim eſt, ob quam litigetur, ſiue Principatum ſpectes ſiue Religionem. Magnum haberet propugnaculum aduerſus Heluetios, ad recuperandum id, quod interceperunt antiquiſſimæ iſti Sabaudorū Ducum familiæ, & reddendas omnes res difficiles Gallis tempore fœderationū & ligarum. Hæc propoſitio de protectione Geneuæ expuncta fuit ex articulis Ducis, nec in medium prolata in Conuentu Deputatorum. Vrgebatur † reſtitutio Marchionatus, aut permutatio regionū Breſſæ, Pignerolii & Sauillani, & aliquot vallium propter tranſitum in Pedemontiū. Deputati ſemel tantū conuenerunt. Dux præuidens futurū cauſæ euentum, & intelligens Cancellariū loquentem de reſtitutione aut permutatione, dixiſſe aut hac tranſeundū eſſe aut per arma, Regi iuſſit ſignificari, nimis multos ſe negotio immiſcere; quod citius expeditum iri putet, ſi vnus tantū interueniat, qui fideliter referat vtriuſq; partis intentiones. Patriarcha Cōſtantinopolitanus delectus fuit, ſed Dux & hunc modum abhorruit. Qui deſiderabat medium quoddam inter hæc duo extrema, reddere aut relinquere: ſed quibus cognitus erat ſtatus cauſæ, & humor Regis, nullum reperire poterant. Reſoluit tandem ipſemet extricare hoc ſpatium veſpreto difficultatum plenum, & incurrere periculum ac infamiam denegationis. Ibi repræſentauit iterum primam propoſitionem de Imperio & Ducatu Mediolanenſi: oſtendens vias ac modos admodum plauſibiles, ſi tam faciles fuiſſent in exequendo vt in proponendo: declarans ſe pro præmio conquiſitionis nihil petere præter Marchionatum Salutiarum.

† IV.

Ad quod Rex reſpondit, ſe neque eius ætatis eſſe, neque in eo rerum ſtatu, in quo Rex Franciſcus fuit, quum ad Imperium adſpiraret. Nullus iam eſt Dux Saxoniæ, nullus Lantgrauius captus, propter quos titulus accipi debeat Protectoris Germaniæ &

1600.

Henricus II. Protector Imperij.

Principum captiuorum, quem suscepit *a* Henricus II. qui publicauit spem libertatis sub symbolo pileo inter duos enses. Si vlla res est in mundo, quam Rex Galliæ ambire debeat, Regno suo maiorem, ea esse debet Imperium: non in statu, in quo nunc est, *b* vbi titulus Imperatoris non multo plus habet potestatis, quam Ducis Venetiarum: sed in quo fuit tempore Augusti, quum Roma, quæ septem tantum collibus imperabat, fecit ex toto mundo vnum Imperium; aut minimum in quo fuit sub Carolo Magno. Quod ad Ducatum Mediolanensem attinet, Rex respondit, eam expeditionem esse nimis longæ tractationis, & euentum incertum, vt omnium aliarum rerum bellicarũ, & in medijs ab eo propositis nihil se reperire tam facile, quod Rex Hispaniæ non possit reddere difficile, qui terram & mare in potestate sua obtineat ad impedimenta: præter quod *a* natura rerum bellicarum sit, vt producat omni momento difficultates inopinatas. Vos soli, addidit Rex, nihil potestis in meum auxiliũ facere: nec scio an mei milites bene conuenturi cum vestris essent. Et si res succederent secundum vestrum desiderium, non video quis fructus ex conquisitione deuenturus sit. Satis habeo quod agam in meo Regno, nedum vt alijs me immisceam. Pax adhuc in flore est: vno vento tali opus est, quem vos proponitis, ad eum vt marcescat faciendum. Nolo mihi bellum cum Rege Hispaniæ, nisi ipsemet tædio pacis aliquid mouere conetur. Vos, frater, non indigetis meo consilio: sed *b* affectio iubet nonnumquam dare etiam non petentibus. Auctor vobis sum, vt pacem cum eo colatis. Quod si inter vos bellum oriretur, ego me immiscere nollem, nisi tanquam mediator pacis. Magis mihi curæ est honor verbi mei, quam vt rumpam pacem tam iustam, & tam necessariam, sine præcedente offensione. Si facerem, ego me redderem argumentum conquerendi omnibus Christianis, fabulam Principibus, causam belli extranei & crudelissimi, & renouationem infinitarum calamitatum. Magna mea sit imprudentia, propter vanam & imaginariam spem, perdere certitudinem recuperandi quod meum est, quo volo esse contentus, nec alienum appetere. Cupiditates infinitæ non sunt iustorum Principum, sed tyrannorum, qui nec lege coercentur nec metu.

Dux videns, se non posse obtinere aliam rem à Rege, quam recompensationem Marchionatus in duplo, aliquandiu dubius hæsit de reditu suo, quemadmodum se semper suscepti itineris pœnituit. Rex cupiens ei auferre omnem ansam diffidendi & suspicandi, ne per vim cogeretur promittere id, quod numquam præ-

a Rex Henricus II. arma çepit pro libertate Germaniæ contra Imperatorem Carolum V. In Manifesto quod publicatum fuit super eius intentione, & in diuersis nummis videbatur pileus inter duos enses cum hac inscriptione, LIBERTAS.

b Imperatores fere nihil habẽt præter nudum titulum & nomen Imperatoris, superioritate manente penes status Imperij. BODIN. lib. 5. cap. 1.

a *Nelle cose belliche possono nascere di giorno in giorno molte inopinate difficolta.* GVICC. lib. 4.

b *La Charidad pide dar consere à quieu no le pipe.* ANT. PEREZ.

1600. ſtare vellet, ei ſignificari iuſſit ne laborare aut ſollicitus eſſe vellet de reſolutione ſui Conſilij. Numquam enim coactum iri niſi per iuſtitiam armorum; & habiturum eum ſemper occaſionem cogitandi & referendi Turinum voluntatem ſuam ęque integram, ac portauerit Patiſios.

Dux nequiens ſatis perſpicue videre in ſpiſſitudine tantarum difficultatum proprijs oculis, adhibere voluit aciem alienorum. Verum quemadmodum oculi offenſi per morbos, quos Medici appellant Hypoſtragma, & Icteren, operationes viſus habent adeo turbatas, vt non poſſint recte diſcernere colores, omnia obiecta apparent aut flaua aut rubra: ita Conſilia Principum turbata aliquibus paſſionibus, ſententias ſimiles producunt, & nihil repræſentatur niſi quaſi ex trauerſo per falſa ſpecilla opinionis aut iræ, *a* quæ facit vt corpora ſemper maiora appareant, quam reuera ſint. Ita Conſiliarij huius Principis, illi nimirum qui volebant bellum, dicebant, nec reſtitutionem Marchionatus, nec permutationem Breſſæ poſſe acceptari, & bonum bellum fore honorabilius, quam tam turpem tranſactionem: cæteri, qui ad pacem inclinabāt ſuas paſſiones, compoſitionem ſuadebant quocumque tandem pretio obtinendam, & metuentes, ne ſi Regi non ſatisfieret de eo, quod petit, omnes arreſtaret, & caperet vt ſorices in decipula. Ita hoc conſilium ſemper reſpiebat intereſſe & affectionem eorum, à quibus dabatur. *a* Miſer; vt omnes Principes, apud quos vera reticentur: qui tametſi ſapientes ac prudentes ſint, coguntur tamen videre oculis alienis, & ſubmittere ſuas reſolutiones arbitrio Conſiliariorum, vt euitent criminationem imprudentiæ & opinioſitatis. Vtinam vti vellent oculis ſuorum miniſtrorum, id eſt, Cōſiliariorum, vt *b* Thoni vtuntur ſuis oculis. Nam hi confidunt ſemper conductionem & conſeruationem oculo clarius videnti. Sequerentur eos, quorum iudicia ſunt minus turbata paſſionibus, & qui priuatum intereſſe numquam publico præferant.

Dux ira commotus, deliberat diſcedere non petita venia, & Rege inſalutato. Sapientiores in Conſilio dicebant, eiuſmodi diſceſſum paraturum fabulam Principibus Italiæ, Hiſpaniam ipſi illuſuram, Galliam fore offenſam, & omnem Europam æſtimaturam, ipſum ſolum dediſſe belli cauſam, & in ipſo bello infinitas calamitates. Non alio fæciali opus fore, qui bellum denunciet, quod citius in medio & quatuor angulis Principatus ſui futurum ſit, quam ipſe Rhodanum tranſeat. Ad magnitudinem animoſitatis eius ſpectare, vt vincat omnes difficultates; & ad officium prudentiæ, vt diſ-

a ὡς δι' ὁμίχλης τὰ σώματα, καὶ δι' ὀργῆς τὰ πράγματα μείζονα φαίνεται: *Vt per nebulam corpora, ſic per iram res videntur minores.* Plut. de Ira.

a Capitolinus in Gordian.

b PLVT. in tract. de Vſu rationis in animant.

---

a SENEC. 6. de Benef. 3.

b *Coſtumbre natural de Principes ſacar fructo de las eſperanzas.* ANT. PEREZ.

simulet indignationes suas. Prudentiam debere initium dare negotijs, quia *a* pœnitentia est inutilis in exitu. Quod si non potuerit præuidere euentum suæ profectionis, debere tamen constantia sua edulcare sensum eius, & sibi repræsentare, quasi ad perueniendum in amœnum & latum campum omni florum genere refertum, sibi necesse sit transire tramites spinosos & angustos. Respondit Dux; numquam se transiturum esse. Et reliquit Consiliarios suos in metu, ne discessum pararet tam inhonestum, quam honestus fuerat eius aduentus. Quidam ex fidelibus ministris Regis ad eum interuisens ei dissuasit talem resolutionem argumentis proprijs ad rem tanti momenti, tantumque precibus & demonstrationibus suis effecit, vt Dux animum mutarit, constitueritque non aliter discedere quam aduenerit. Interim tamen vehementer questus est se nimis rigide tractari: nullum candorem, nullam humanitatem pro se in Gallia esse: amicitias esse admodum raras, nec *a* alibi magis deesse, quam vbi creduntur abundare: cogi se ad formas nimium præiudiciales, & spem sibi factam fuisse earum rerum, quæ nunc sibi denegentur: falsum se à Legato suo fuisse. Rex resciuit, Equitem Bretonum Duci Domino suo persuasisse, Maiestatem eius desiderare Ducis conspectum ac præsentiam. Ideoque ei ad se vocato dixit, eum errasse, nec se vmquam vel verbulo meminisse. Verum quidem est, *b* consuetudo hæc Principum naturalis est, vt decerpant fructum ex spe, quam offerunt, maiorem quam illi ipsi qui accipiunt: ita Rex aliquando dixerat, sperare se Ducem non prius rediturum, quam inter se conuenissent. Et quemadmodum est ordinarium Aulicorum, vt cantent numquam alterius toni cantilenam quam qui gratus est Principibus, omnes qui ex Aula veniebant, de hac profectione loquebantur, & quam desideratus & exspectatus eius aduentus sit, exaggerabant. Dux animaduertens frustra se niti vt prudentiam edulcoret rigorem necessitatis, aliud vestigium persequi institit, & se resoluit, quum aliud habere nihil possit, facere profectum ex tempore & mora, vt interim posset renodare quod in Hispania denodauerat. Satis præuidens, aliquando sibi vltro valedictum iri: quum iam in anticubiculo inter iocos diceretur, edicto illum abigendum esse. Ea causa reperit fauorabilem prætextum suę morę. Simulabat se incredibiliter delectari insigni pulchritudine Aulæ, & eius causa videbatur nullam aliam rem curare: quemadmodum *neque spes, neque cura reperiri alia iucundior facile potest, quam sit amoris occupatio, nec inueniri supplicium grauius in*

Marginalia (right): 1600. — *a* ἀνωφελὴς ὁ ἐν ἔχαλι μεταμέλος. PHILO. — Locus Homeri Iliad. 1. — XENOPHON.

Marginalia (left): *a* SENEC. 6. de Benef. 3. — *b* *Costumbre natural de Principes sacar fructo de las esperanças.* ANT. PEREZ.

1600. *procliui est, quam si rerum expediundarum cura quis ab amoribus suis arceatur.* Parisijs duæ festiuitates valde solemnes se proxime consequuntur, Nundinæ Sancti Germani, & quadragesimæ initium. Dicebatur vtrique velle interesse ante discessum. Interim non valde vrgebat discessum suum, quamuis res eius non admodum proficerent. Semper enim nouæ conditiones proponebantur, quarum posteriores fere deteriores & minus acceptæ prioribus erant. Verum in hoc Tractatu versari videbatur, vt illi solent, qui matrimonia ineunt, à quibus in vigilia nuptiarum totum negotium imaginatur esse ruptum, & postero die videntur vna cubare.

Rex ministros suos moneri iussit, ne Duci vllam occasionem vel minimam præberent vnde offensus profectionis suæ pœnitere deberet, sed vt ociose meditari posset, vtrum mallet, permutare an restituere: propterea quod dicere solebat, se nihil posse facere sine præsentia Consiliariorum suorum, & consilio Vasallorum. Rex vero, habito Consilio Principum Regij sanguinis, & cæterorum, & primariorum Regni Officialium, noluit amplius differre, quin resolutio sua coram eo pronunciaretur: & tamen iussit Sebastianum Zametum, confidentissimum Maiestatis suæ ministrum, ei per occasionem dicere. Id quod ille fecit dexterrime, adeo vt antequam à Duce discederet, composuerit aliquot principales conditiones Tractatus, super quibus facti fuerunt articuli de restitutione Marchionatus aut permutatione. Verum ne Dux putaret consilia sua à Rege præcipitari, Rex ei concessit tres menses ad eligendam vnam aut alteram ex conditionibus Tractatus, nempe aut restitutionem, aut permutationem. Sunt autem hi articuli conclusi & signati.

Articuli Tractatus Parisiensis definiti & conclusi à Patriarcha Constantinopolitano.

I. Marchionatus Salutiarum reddatur & restituatur Regi à Duce Sabaudiæ intra primum diem mensis Iunij proximi, vt eo vteretur & frueretur, vt Reges eius prædecessores, quum adhuc in manibus habuerunt, sine vlla remissione, longitudine & difficultate fundata super quemcumque colorem & prætextum.

II. Et Rex promittit atque accordat Duci, se Gubernationem Marchionatus nulli personæ commissurum esse, de cuius ipse conditione aut hostilitate merito conqueri possit.

III. Similiter velle se mittere in præsidia oppidorum & castrorum dicti Marchionatus milites Heluetios, exceptis munimentis, quibus Sua Maiestas velit Capitaneos & milites Gallos præficere, aut alios pro re nata & beneplacito Suæ Maiestatis.

IV. Tamen Sua Maiestas non intelligit, quod velit obligari ad tenendos Heluetios in oppidis, nisi vsq; ad tempus, quo compromis-

sum

ſum durabit factum in perſonam Sanctitatis Pontificiæ, quod infra declaratur & ſpecificatur. 1600.

V. Aut Dux cedet & tradet Regi, pro recompenſatione Marchionatus Salutiarum, intra dictum primum diem menſis Iunij, totam regionem Breſſanam, quæ ſita eſt à flumine Saona vſque ad fluuium Dani, qui fluuius Danus communis erit inter Regem & Ducem, vt quiſque à ſua parte vtatur fruatur, comprehenſis in ea regione, oppido & arce Burgo & cæteris locis inde dependentibus, Barcellonnetta cum ſuo Vicariatu vſque Argenteriam, Valle Sturia, & Peruſana, cum omnibus appenditijs, inſimul oppido & caſtro Pignerolo cum ſuo territorio: pro quibus Rex in eundem Ducem tranſportabit omne ius ſuum, quod habet in dictum Marchionatum, cum hac tamen conditione, vt patiatur incolas dicti Marchionatus, qui Regi ſeruierunt aut ſeruituri ſunt poſthac, bonis ſuis libere & ſecure vti frui. Et viciſſim qui Duci ſeruierunt aut ſeruituri ſunt poſthac, vtentur fruentur ſimiliter bonis ſuis, tam in ipſo Marchionatu, quam alijs locis, quæ Maieſtati eius per Ducem tradentur, adeo vt nihil innouetur nec ante nec poſt dictam dilationem, in præiudicium horum aut illorum, ſecundum ordinationem, quæ facienda erit inter Regem & Ducem.

VI. Præterea oppida & loca Centalum, Emontium, Roqueperuieræ Caſtellum Delphinum, & alia tenta per Ducem, & ad Regem appertinentia: & viciſſim poſſeſſa à Rege in Breſſa, Sabaudia, Barcellonnetta & alibi, appertinentia ad Ducem, reſpectiue reddantur eodem tempore, quo reſtitutio Marchionatus fieri debet; & in caſu, quo permutatio fiet, quæ in Breſſa & Barcellonnetta conſiſtunt, in Regis iure permaneant, iuxta formam ſupra compræhenſam: cætera vero reſtituantur ab vtraque parte.

VII. Omnia hæc loca reddantur in ſtatu, in quo nunc ſunt, ita vt nec Rex nec Dux teneantur quicquam ſoluere aut rependere pro expenſis vtrimque factis in fortificationem & reparationem dictorum locorum.

VIII. Similiter propugnaculum Bechedelphinum exſtructum per Ducem durante bello, demoliatur eodem tempore.

IX. Inuentaria debite certificata omnium bombardarum, puluerum & pilarum, aliarumque munitionum bellicarum,

1600. quæ erant in oppidis & locis dicti Marchionatus, quando Dux primum ingressus est, fideliter repræsententur Regi; vbi Dux elegerit vnam ex duabus propositis conditionibus, & Rex quoque declarauerit suam voluntatem super eius restitutione, quæ in effectum perducetur à Duce tam in specie quam in argento, iuxta pretium, de quo Rex cum Duce conuenturus est.

X. Omnes processus, iudicata, & sententiæ datæ in Iustitia vnius & alterius partis ante istam transactionem, vbi partes litem contestatæ sunt voluntariæ, habeant locum & sortiantur plenum & integrum effectum in omnem euentum siue restitutionis siue permutationis dicti Marchionatus: hac tamen cum conditione, vt partibus liceat sibi prouidere per reuisionem, & secundum ordinem ac dispositionem iuris, & leges atque ordinationes.

XI. Nulla fiat requisitio impositionum, contributionum, & exactionum in pecunia aut victualibus factarum in dicta regione, contra eos à quibus institutæ, receptæ & administratæ fuerunt ab vna & altera parte, vsque ad præsentem Tractatum.

XII. Et ne incolæ oppidorum & villarum, quæ restituendæ sunt, supergrauentur & onerentur indebitis impositionibus & exactionibus, durante dilatione accordata per Ducem, vt optare interim atque effectuare posset vnam ex dictis duabus propositis conditionibus, sub colore solutionis tam reliquationis dictarum impositionum ordonatarum ante & post factam Pacificationem Veruinianam, quam pro absolutione & sustentatione Capitaneorum & militum in præsidia oppidorum & villarum commissorum, aut sub alijs prætextibus, vsque ad dictam restitutionem aut permutationem dicti Marchionatus, accordatum est, ne vlla fiat exactio pecuniæ ab incolis oppidorum & villarum, iuxta eam formam quæ conuenta fuit tam per Tractatum Veruinianum, quam per ordinationes & accordationes factas postea pro solutione dictæ reliquationis & pecuniæ, per Deputatos suæ Maiestatis & Ducem, initio huius anni, pro sustentatione ordinaria præsidiariorum stabilitorum in custodiam oppidorum & villarum, & Officialium constitutorum in muneribus & officijs dictorum præsidiorum; nec liceat vni vel alteri parti de nouo quidquam amplius imponere. Declaramus,

claramus, quidquid factum fuerit aut tentatum in contrarium, vt facti author culpabilis sit ad restitutionem & reparationem. 1600.

XIII. Et quoniam Dux à Sua Maiestate petiuit, vt vellet approbare & confirmare infeudationes ab se factas in Marchionatu, si forte contigerit, vt restitutionem eius eligat, Sua Maiestas declarauit, quod si informationem de qualitate ipsarum infeudationum habuerit, se non tam difficilem futuram, vt non aliquid Duci gratificari debeat: ne tamen Sua Maiestas obligetur ad refusionem eorum, quæ pro dictis infeudationibus data fuerint, nisi in quantum ipsi placuerit.

XIV. Et quoniam Dux à Sua Maiestate petiuit vt sibi tempus concederet, quo interim cum suis vasallis & subiectis conferre posset de duabus propositis conditionibus, antequam vnam aut alteram acciperet, Sua Maiestas volens ei contestatam facere in hac occasione, vt in alijs omnibus, bonam suam voluntatem, accordat Duci dictam electionem, hoc pacto, vt & ipse optionem effectuet vnius aut alterius ex duabus propositis conditionibus intra dictum primum diem Iunij, sine præcidendo, diminuendo aut alterando vllam rem, nec vti possit vlla remissione, longitudine & difficultate, fundata super quemcunque colorem, aut occasionem.

XV. Ad quæ omnia & singula Dux obligauit exnunc vt extunc fidem & verbum suum: & Regia Maiestas similiter, ad completionem & executionem rerum conuentarum per præsentes Articulos, quantum ad suam Maiestatem pertinent.

XVI. Similiter conuentum est inter Regem & Ducem, se consensuros esse, vt & nunc consentiunt, vt post restitutionem realiter & ipso facto accompletam, si Dux optionem fecerit, sanctissimus Dominus noster Clemens VIII. arbitretur controuersiam, quæ est inter Regem & Ducem, iuxta id quod accordatum est per Tractatum Veruinianum, & quidem intra tres menses.

XVII. Promittentes accomplere & exequi bona fide ex vtraque parte quicquid ordinatum fuerit per eius Sanctitatem intra dictum tempus, sine vlla longitudine aut difficultate, propter quamcunque causam aut prætextum, ita vt conuentum est in Tractatu Veruiniano.

1600. XVIII. Et pro maiore aſſecuratione executionis Tractatus, in omnibus punctis & articulis ibi contentis, Rex & Dux Sabaudiæ ſupplicant humillime ſanctitatem eius, vt quemadmodum per bonas & paternas eius exhortationes ingreſſi ſunt viam hanc tranſactionis, ita ipſi placeat tanquam communi patri, continuare curam, quam antehac oſtendit in nutrienda pace, & aſſerenda inter eos bona amicitia; & hoc faciens in occaſione quæ ſe poſſet præſentare, interponere authoritatem ſuam pro integra & reali executione rerum promiſſarum ab vna & altera parte, iuxta formam & tenorem contentum in præſenti Tractatu. Actum Pariſijs, XVII. Februarij, anno Domini M DC. Subſcripſerunt.

HENRICVS, & EMANVEL.

Obſignatum per ſigilla Regiæ Maieſtatis, & Ducis Sabaudiæ.

IX. Tertio aut † quarto die poſt Tractationem Dux petijt veniam à Rege redeundi domum, quum iam primarios è comitatu ſuo præmiſiſſet: ſed dies diſceſſionis adeo incertus erat, vt Aulici tres continuos dies ocreati inceſſerint, quo eum comitarentur. Rex cum tota Aula eum comitatus eſt vſque ad pontem Charentonium, reliquitque Baronem Luxium, qui eum vſque ad Regni metam conduceret, cum mandato ad Gubernatores vrbium Campaniæ & Burgundiæ, per quas tranſiturus eſſet, vt eum reciperent iiſdem honoribus, ac ſi ipſe adueniret. Deſideratus præcipue à fœminis fuit, quæ laudabant comitatem eius & morum ſuauitatem, promptitudinem ingenij, iucunditatem, liberalitatem, & totum viuendi modum, in quo nihil erat indignabundum, nihil faſtuoſum. Quod ſeruire Magnatibus pro inſtructione debet, nullam tantam eſſe magnitudinem, quanta eſt *a* vita excellens, & ſpiritus humilis. Et ſeipſos fallunt, qui putant, eo ſe maiores eſſe, quo minus ſe videndum aut colloquendum præbeant.

a ὁ βίος ὑψηλὸς, ταπεινὸν τὸ φρόνημα. NILVS.

Talis fuit exitus itineris, quod Dux Sabaudiæ in Galliam ſuſcepit. Annus non abibit, quin fructum eius ſentiat: Prætendit, Regem non accordauiſſe ſuis Legatis conditionem mutationis. At non diu manebit in hac opinione neutrum, id eſt, nec reſtitutionem nec permutationem faciendi. Burgi in Breſſa obſeruatus fuit, quum ex arce diſcederet, quam moleſto animo ferat, deſerere locum pro munitiſſimo totius Europæ habitum. Exteriora declarabant interiorem ſenſum.

Hic

Hic Dux, qui satis potest, si vult, passiones animi sui dissimulare, 1600.
non potuit tegere inuitam permutandi voluntatem, non magis quàm incommoditatem restitutionis. Verum omnes in ea erant opinione, redditurum potius Marchionatum Salutiarum, propterea quod recompensatio nimis iniquè taxata fuerat. Simulatque Burgum peruenit, cursorem ad Regem remisit, qui ei gratias ageret pro honoribus, quos toto itinere acceperit, & bona tractatione, qua eum Pralinus in Campania, & Baro Luxius in Burgundia exceperint. Per eundem cursorem litteras dedit ad Gubernatorem Lugdunensem, quibus significabat voluptatem suam, quam magis magisque ex Tractatu Parisiensi perciperet, seque nunc ire Camberinum, & inde paulo post festa in Pedemontium, vt resolutionem captaret cum suis, quam Rex tantopere exspectaret.

Deus ædificat, homines destruunt.

Sed ita comparatum est cum hominibus, vt eorum proprium sit perdere & destruere bonum, quemadmodum econtrà Dei proprium est perdere & destruere malum: non diu mansit, quin auscultaret persuasionibus eorum, qui videntur id tantum in votis habuisse, vt eum priuarent omni fortuna, quam ex suscepto itinere sperare poterat: & qui asserebant, aduentum Comitis Fuentani ipsi monstraturum viam, qua euitare posset necessitatem & permutationis & restitutionis. Tegebat sub cineribus ingentis dissimulationis offensam quam ex itinere contraxerat, semper tamen vapores quidam exhalabant, vnde prudentissimi satis poterant percipere, animum eius esse præiudicare Regi aliqua in re vel cum periculo suo. Principes habent vindictę modos terribiliores & violentiores, quã homines priuati. Semper in id vnicè incumbunt, ait [a] Cominæus, vt alter alterũ è medio tollat, & quisq; ridet ad nuncium mortis aut infortunii alterius. Hoc crudele vindictæ desiderium subegit Ducem ad cogitandũ de inimico suo perdendo. Aduentus Ducis Sabaudiæ nõ parum honorificus Regi fuit, quod inde totus mundus intelligat, eos, qui quinque ante annis nihil aliud spirabant quàm mortem & sanguinẽ Regis, nunc venisse vt offerrent vota affectionis & experimẽta seruitiorũ, tanta cum humilitate, vt viderentur reliquisse trans Alpes memoriã magnitudinis suæ.

[a] part. 1. cap. 2.

Sed nec illud parum honorificum Galliæ fuit, quod ex vltimo septentrione ab ea Capitanei peterentur aduersus maximum, potentissimum & formidolosissimum hostem in toto terrarum orbe. Imperator constituit Ducem Mercurii Vicarium generalem

Archidux Matthias remisit in possessionem muneris in Locumtenentia generali Imperatoris.

1600. in exercitu Hungarico, miſitque ei litteras apertas, quas tamen recipere ſine mandato Regis, æſtimans nullum honorem aut magnitudinem in orbe eſſe, quæ debeat deſiderari aut acceptari à ſubdito, ſine permiſſione ſui Principis. Profectus itaque ſecunda vice in Hungariam, & accepto Imperatoris mandato Viennæ, rectà Iauarinum duxit, vbi ſuſceptus fuit pro Vicario generali Imperatoris in exercitu, qui valde exiguus erat, ſed maximus in animoſitate & reſolutione benefaciendi. Homines erant, qui ſemper duos ictus iterabant, quàm hoſtis vnum ingereret.

Satis apparuit, *b* interdum maiores copias ſterni à minoribus, & potentiores à debilioribus, & vires ſuperari à bono duce. Nam ſæpè ducenti, trecenti aut quadringenti homines in exercitu Chriſtianorum auſi fuerunt totidem millia Turcorum aggredi. Quam audaciam fabulis annumeraret poſteritas, niſi compertum fuiſſet olim quingentos paſtores in fugam vertiſſe nouem millia Spartanorum, & Epaminondam cum quatuor mille hominibus, quos inter quadringenti tantum equites erant, totum Lacedæmoniorum exercitum fudiſſe, qui conſtabat ex viginti quatuor mille peditibus, & ſedecim mille equitibus.

b DION. HALICARN. lib. 8.

Dux Mercurii numquam pugnare ſolebat, niſi admodum opportunè, aut ſumma neceſſitate exigente. Nam vt ſtultum eſt audere prœlium, vbi periculum eſt euidens, ita turpe eſt refugere, vbi neceſſitas poſtulat. Magnâ iuſtitiâ milites continebat, & aſſuefaciebat eos, quantum licentia belli potuit permittere, ad pietatem & deuotionem. *a* Vota & precationes atque inuocationem Diuini nominis, Dei armipotentis, omni certamini præmittere ſolebat. Bonum numerum Religioſorum ſemper ſecum habebat, qui plantantes inſignia Religionis, milites cohortabantur ad pugnandum contra eos, qui religionis memoriam exſtinctum veniunt. Et ſicut commendabat Deo fortunam ſui exercitus, ita & pro parta victoria gratias agere ſolebat. Nulla natio eſt tam infidelis & idololatrica, quæ Deo non gratias agat pro felici belli exitu.

a *Nec certamen, ſeu prœlium in bello, nec aliud quidpiam maioris momenti, aut periculi in bello, vel pace, ante inuocatum Dei nomen, eſt à Principe vel Duce tentandũ.* XENOPH. in fin. li. 1.

Per executionem Tractatus Pariſienſis cum Duce Sabaudię, certo videbantur omnes cauſæ bellorum extraneorũ eſſe aſſopitę, at metus recidendi in bellum ciuile nōdum protſus erat extinctus. Quærere, num Gallia debeat pacē deſiderare poſt tot calamitates perpeſſas, nimis eſſet otio abuti: etiam illa quæſtio vana eſt, inquirere in modos quibus pax poſſit conſeruari, & omnes radices turbarũ eradicari. Magna iſta ingenia, quæ eleuata ſupra Athos Conſilii Regii citius vident, quàm cæteri, Solem ſurgentem, & diſpoſitiones

a Ratio cō. ſtitutionis Papalis cō- prehenſa eſt hiſce verbis: *Pro ſingulari ſuo in neptem amore, tum etiam habita ratione ſplendoris ac fortunarũ domus, in quã recipitur.*

tiones aëris indicarunt vnum tantum esse, qui deberet secunda vice ad domum Medicæam recurrere, vt flores Lilii reddat non modo florentes, sed etiam fructuosos, vt perennet successionem posterorum huius Regis vsque ad finem mundi. 1600.

Quamobrem Sillerius & Alincurtius per consilium Papæ, & mandatum Regis, & persuasiones Cardinalis Ossati, in summa per prudentiam immortalem, quæ (vt Philo Iudæus inquit) *a* incorruptibilem domum habitat, sine qua omnis sapientia humana est mera stultitia, & omnis gubernatio est error, sunt nunc Florentiæ, pro tractando matrimonio inter Regem & Serenissimã Principissam Mariam Medicæã, cuius propositiones iam antè aliquanto factæ erant. Hæc petitio tam grata fuit Magno Duci, vt nullam difficultatem fecerit. Constitutio matrimonii fuit sexcenta millia coronatorum in auro numerato, comprehenso etiam eo, quod Magnus Dux Regi mutuum dederat. Constitutio longè maior, quàm fuerit Reginæ Elizabethæ Hispano elocatæ, quæ tantum in dotem quadringenta millia coronatorum accepit. Regina mater tantum triginta millia coronatorum acceperat à patre Ludouico Vrbini Duce: sed bona materna, in quibus Comitatus Lamagæsianus, æstimata sunt millione auri. Papa *a* quoq; considerans magnitudinem Domus, in quam concessura esset, adiecit centum millia coronatorum, & multa monilia. Doarium modo fuit decem mille librarum in reditu annuo.

a ἡ φρόνησις ἄφθαρτος ἐν ἀφθάρτῳ οἴκῳ διαμένει. PHILO IVDÆ. de Legis allegoriis.

a Ratio cõstitutionis Papalis cõprehensa est hisce verbis: *Pro singulari suo in neptem amore, tum etiam habita ratione splendoris ac fortunarũ domus, in quã recipitur.*

Articulis signatis, Magnus Dux æstimans perfectionem matrimonii consistere in æqualitate & cõformitate consensus iudicauit Principissam neptẽ suam ab eo tempore Reginã Galliæ nominandã. Quare in continente illi honores conuenientes ei qualitati exhiberi voluit, & publicari solenniter resolutionem matrimonii. Cantatũ fuit canticũ lætitiæ in Palatio Pittiano, & deinde in tẽplo Annuntiationis. omnia tormenta vndiq; explodebantur; omnes campanę sonabant; omnis populus in lætitiã sese effundebat. Principissa prandiũ publicè sumpsit: Duce Bracciano aquam in manus fundente, & Sillerio Regis Legato mantile pbente. Principissa assidebat in mensa graduata, & Magnus Dux multo inferior. & post prandiũ Musica audiebatur, currebatur ad circulum, & finitus dies cũ elegantissima & festiuissima comœdia. Alincurti⁹ in cõtinenti pfectus in Galliã ad Regem venit, tractatũ matrimonii obtulit cũ effigie Reginæ, q̃ à Magna Ducissa dono acceperat. Rex remisit Frantenacũ in Italiam, q Reginæ esset à Magisterio Aulę, offerret primas litteras suæ Maiestatis, & daret suo nomine effigiẽ suã Magno Duci.

Solli-

1600. Sollicitabatur ſeſe exercere in lingua Gallica, & vt libenter Gallicè audiret loqui, legeretque libros Gallicos. Quos cum petiiſſet, primo illi oblatus fuit fabuloſus ille de Clorinde, ſiue Amica ab amaſio interfecta, quem illa eo gratiorem habuit, quod intellexiſſet à Taſſo eſſe compoſitum.

Rex deſtinabat promiſſum matrimonium ſtatim effectuare, ſimulatque Dux Sabaudiæ executus fuiſſet aut reſtitutionem aut permutationem Marchionatus Salutiarum, & progredi Auenionem vſque, vbi Reginam reciperet. Verum Dux quid facere deberet non poterat ſe expedire. Ferè fit, vt quo maior eſt prudentia, eo reſolutio fiat difficilior. Nam prudentia, quæ circumſpicit bonum & malum, quod reſolutio poſſit producere, tentat tam ſe aſſerere quàm reſoluere. Vnde vides, cur quædam ſtultitiæ ſint, quæ non poſſunt niſi à ſapientibus committi. Sed vbi res ſunt in talem neceſſitatem redactæ, vt eligi debeant duæ res pares damno & præiudicio, nulla prudentia eſt, quæ non ſe contineat & deferat.

XII. Poſt † diſceſſum Ducis Sabaudiæ, Rex ſe contulit Fontebellandum, vt ibi Quadrageſimæ tempus tranſigeret. Secuta inde actio eo celebrior, quo Regalior, & propter bonum Religionis inſtituta, in quam nullus *a* vmquam Princeps cum affectu incubuit, quin feliciter recompenſatus fuerit. Id fuit Colloquiũ Fontebellandinum, in præſentia Regis, multorum Principum & Officialium Regni, Conſiliariorum Reipublicæ, & aliorum Magnatum in Regno.

a *Obras de Rey deuen ſer ſiempre grandes, y no indignas de animos Reales.* ANT. PEREZ.

Occaſio huius Colloquii fuit, quod Philippus Mornæus Pleſſæi Marlii Dominus, Gubernator Saumurii, Superintendens Regni Nauarræ, edidit in lucem opus Euchariſticum, in quo monſtraret, inſtitutionem ſanctæ Euchariſtiæ eandem ab initio fuiſſe, quæ nuper fieri cœpit ac doceri in locis ab obedientia Papæ abſtractis, vt in Gallia, Germania, Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Noruegia, Suedia, Polonia & Hungaria. Opus ingens & laborioſum, in quod indubiè multi Miniſtri ſymbolas ſuas contulerunt, id eſt, vigilias, ſtudia & memorias. Elegantia & pulchritudo ſtyli releuata punctis Ægyptiacis, argumenta reueſtita bellis & ſpecioſis apparentibus paſſim perſuadere videbantur, eum librum abſtructurum plurimas conſcientias. Sed vt Theologia eſt profundus Oceanus plenus ſcopulis ac rupibus, ita nauigatio eſt periculoſa & naucleris & gubernatoribus male expertis, & qui numquam nauigarunt niſi in chartis & iuxta aliorum relationem. Vulgo dicebatur, Pleſſæum nimis confiſum fuiſſe ſuorum Miniſtrorum re-

latio-

lationibus, nec laborem inquirendi in ipsos auctores, vnde illi mutuati fuerant, sumere voluisse. An nesciuit neminem posse doctum æstimari, qui super aliorum memoriam & quasi inuentarium ædificat? Scientia vult, vt quis rationem, cur sciat, reddere possit, & *a* nihil aliud est, quàm firmitas rationis: quæ non potest esse in eo, qui tantum per aliorum suggestiones sapit, & qui non habet possessionem irreuocabilem. 1600.

a οὐδὲν εἴη ἄλλο ἐπιστήμη, πλὴν βεβαιότης λόγου. MAX. TYRIVS serm. 40.

Liber per alios crematus, per alios diris anathematisque deuotus fuit: Nullus fuit scholasticus tam tyro in Theologia, qui non ibi inuenerit, quod repræhenderet. Bulengerius primus fuit, qui contra editionem, calamum strinxit. Iacobus Suarez Portugallus integram Quadragesimam contra eum librum concionando consumpsit. Iesuitæ Burdugallenses confecerunt ingentia inuentaria locorum falsificatorum, truncatorum & mutilatorum. b *Nihil facilius quàm repræhendere alium*: sed demonstrare euidentiam & veritatem eius, quod repræhenditur, & sustinere in præsentia eius, qui repræhenditur, res est animositatis & difficultatis plena. Post eos Episcopus Ebroicensis librum aggressus est, passim iactitans, monstraturũ se in eo libro quingentas enormes falsitates, preter alia minora crimina. Plessæus libellum supplicem Regi obtulit, vt Maiestas eius ordonare vellet Commissarios ad verificandum de folio ad foliũ, & linea ad lineam omnia loca in suo libro allegata. Quo Rex ad id permoueretur, nonnulli dicebant, ei inde sperandam esse ingentem gloriam, propterea quod velut Magnus ille Constantinus post restitutam in pace & quiete Rempublicam, redditurus esset pacem & tranquillitatem Regno Dei, quæ est eius Ecclesia, & monstraturus per collectionem tantarum falsitatum in cumulum collectarum, inhonestatem & ruinam causæ, quæ eiuscemodi armis defendatur. Alii, hoc Colloquium fore quendam stimulum ad opus aliquod maius & magnanimitate sua dignum tentandum, hoc est, ad sanctam reformationem Ecclesiæ in hoc Regno, per cuius occasionem in eo reuicturos tres maximos Imperatores, Cæsarem conquisitorem, Augustum pacificatorem Reipublicę, Constantinum restauratorem Ecclesiæ.

b PLVT.

Non poterat Rex recusare hanc requisitionem, quia respiciebat bonum Religionis, quod Principes tenentur procurare & promouere ante omnia, quum *a* hæc tria proprie Regis opera sint, exercitum ducere, & iudicare, & Deum colere. Nulla iustitia maior est, quàm inquirere in veritatem: nulla maior victoria quàm

a ἔργα βασιλέως τρία, τό τε στρατηγεῖν, καὶ δικαςπολεῖν, καὶ θεραπεύειν θεούς. DIOGENES Pythagoræus.

1600. confundere mendacia: nullum seruitium Deo gratius, quàm impedire oppressionem veritatis. Et vt defensio ac protectio veritatis est actio merè Regalis, quia dependet à iustitia, ita etiam oportet Regem, qui cupit relinquere bonum odorem suæ pietatis erga Deum, & iustitiæ erga homines, non denegare auctoritatem suam ad comperiendam veritatem in eo, quod nullam falsitatem potest pati, cuiusmodi est religio, quæ est veritas; *b* atqui veritas tantum vna est; & in Rempubl. quæ ab vnius imperio dependet, nemo se debet magis immiscere quàm ipse Rex. Ratio duplex est, quia vt homo & habens animam ex eadem massa vt cæteri homines, debet curam gerere: & vt Princeps debet tenere meliorem & certiorem regulam suæ conseruationis. Hoc modo vt quemadmodum lex conscientiæ eum obligat ad Religionem: ita lex gubernationis iubet vt affectum afferat, quia Princeps, qui reuera & in effectu apparet religiosus, *c* semper metuitur & respicitur à subditis, qui non rebellant nec desciscunt tam faciliter contra eum, credentes illum esse sub singulari protectione Dei.

b τὸ ἀληθὲς ἕν. TRISMEG.

c *Nam & minus iniusti aliqd sperant ab eo Principe, quem præter cæteros religiosum & Dei amantẽ vident: & minus ei aduersantur insidiãturq; quẽ à Diuino numine protectum defensumque iri credunt.* ARIST. Polit. lib. 5 cap. 11.

Rex concessit Colloquium, vt scilicet veritas perspicua fieret contra tenebras calumniæ, remque omnem Cancellario commisit. Non erat animus instituere disputationem plenam audaciæ, subiectam cauillationibus Sophistarum, *a* quorum omnia plena sunt, sed tantum ordinandi personas oculis claris præditas, & auribus purgatis, ad verificandum loca si falso essent allegata, & examinandum verba si essent mutata aut mutilata. Quare nulli Theologi aduocabantur. Sed Commissarii electi fuerunt Augustinus Thuanus Præses in Curia Parlamenti Parisiensis, Franc. Pithœus Aduocatus in eadem Curia, Nic. Faber Præceptor Principis Condæi, & in eius absentia Martinus Lector & Medicus Regius, à parte Catholicorum: à parte vero Protestantium, Præses Calignonus, Cancellarius regni Nauarræ, & in absentis loco Fresnius Canaius Præses in Camera Occitanica, & Casaubonus Lector Regius Græcarum literarum.

a πάντα μεστὰ τῶν σοφιστῶν. MAX. TYRIVS ser. 37.

Plessæus conquerebatur de nimia affectione Regis, quam gereret erga Episcopum Ebroicensem pro exitu huius actionis, & quod, cum ad Maiestatem eius verba faceret, tam frigidè responderet, & tam breuiter, vt satis inde perspicere posset, eam sibi non fauere. Tamen Maiestatem eius supplicauit, vt se vellet audire, & dixit: Nihil sibi magis cor perculisse, quàm vbi resciérit, Maiestatem eius credere, vsum se falsitatibus fuisse, & quidem

dem

dem in re tam ſacra: & hunc iuſtum dolorem feciſſe, vt deſiderarit modum declarandi ei veritatem: id quod facile futurum ſit, ſi modo eius Maieſtas vellet intendere & cognoſcere: ſi res permanſiſſent in primis terminis, non ſe laboraturum, quia quocumq; modo actæ fuiſſent cum ſilentio & diſcretione, Maieſtatem eius nullum intereſſe habituram fuiſſe, quàm vt iudicaret inter probitatem ſuam & calumniam. Sed quum artibus Epiſcopi Ebroicenſis res paſſim diuulgata ſit in toto Regno, atq; ad Nuncium & ipſum adeo Papam peruenerit, intelligere ſe Maieſtatem eius velle, vt hæc actio fieret qua conditione cunque in gratiam Papæ, & promotionem Eccleſiæ: & per conſequens, futurum ſibi hoc infortunium, quod iudicem habiturus ſit cauſæ participem, & Regem atq; Dominum ſuum pro aduerſario. ſi de vita & honore ſuo ageretur, proiecturum ante pedes eius & commiſſurum voluntati eius: ſed obligatum ſe ad defendendam veritatem, in qua honor Dei verſatur; & ideo ſupplicare ſe Maieſtatem eius quàm humillimè, vt ſibi vellet ignoſcere, quod modos veritatis conſeruandæ & tuendæ iuſtos & rationabiles peteret. 1600.

Nuncius Papæ contradicit Colloquii permiſſioni.

Epiſcopus Modonenſis, homo doctus & grauis, credens & dicens, diſputationes publicas in controuerſiis Religionis, ruinare magis quàm ædificare, & in eiuſmodi occaſionibus ſatius eſſe dicere iuxta mandatum Nicæni Concilii, b *Nos ſeruamus leges Patrum noſtrorum*, quàm eas in dubium reuocare, num bene ordinatæ fuerint, noluit approbare hanc Diſputationem. Quare putans quæſtiones iam per Eccleſiæ auctoritatem deciſas in diſputationem vocatum iri, Regem acceſſit, eique monſtrauit, talem actionem deputatorum Commiſſariorum, rem eſſe ab auctoritate Eccleſiaſtica dependentem. Cui Rex reſpondit, effectum huius Colloquii eſſe tantum vt examen locorum libri Pleſſæani inſtitueretur, vt ſciretur recte nec ne ab authore allegata eſſent, & munus Commiſſariorum in eo fore, vt iudicarent ſuper difficultatibus, quæ oboriri poſſent in verborum translationibus, & viderent, an ea loca ita in dicto libro citarentur, vt in autographis auctorum ſcripta leguntur, nec vllam quæſtionem ex fundamento Theologico tractatum iri.

b ἡμεῖς τοὺς θεσμοὺς τῶν πατέρων φυλάττομεν. CONC. NICEN. Secund. Act.4.

Diu multumque diſputabatur ſuper modis ac conditionibus diſputationis. Pleſſæus petebat, vt liber ſuus foliatim examinaretur, & vt loca, non impugnata falſitatis, tenerentur pro veris quoad literam, & vt Epiſcopus Ebroi-

1600. censis sibi daret modos falsitatis contra quingenta loca. Iudicabatur hic modus nimis inuidiosus, nec Regis negotia permittere vt tamdiu posset assistere nec Commissariorum officia concedere, vt tamdiu absentarentur.

Plessæus videns conditiones, quas petiit, non iudicari æquas, dixit, non posse se Colloquium ingredi, & malle vt liber in sua absentia indebitè condemnetur, quàm in sua præsentia. Iam putabatur Colloquium esse ruptum: sed Rex mandauit, vt vel in absentia Plessæi liber examinaretur, & Commissarii eodem die inchoarent Colloquium; quod & factum est tertia hora pomeridiana.

Episcopus Ebroicensis, turpe ducens in arenam descendere contra vmbram, & luctari contra absentem, consensit offerre Plessæo quinquaginta loca, vt ad ea respondere se in crastinum præpararet, & ita continuare de die in diem vsque ad finem examinis totius libri. Quam oblationem Plessæus acceptauit, & ex quinquaginta locis, quæ ei circiter mediam noctem ab Rege transmissa fuerant, præparauit se in crastinum super decem, nec poterat reliqua loca verificare temporis angustia exclusus, quia libri, quos Episcopus Ebroicensis ei circiter mediam noctem commodauerat, repetiti ab eo fuerunt hora septima matutina, vt portarentur in hospitium Regis, hora Colloquio destinata.

Id incepit die Iouis, IV. die Martii, in palatio Balneano, in cuius medio mensa erat mediocris posita; vbi Rex assidebat, & à dextra eius Episcopus Ebroicensis, à sinistra Plessæus, è regione Episcopi: inferius Pasquerius, Vassautus & Mercerus pro secretariis Colloquii: superius à dextra Regis Cancellarius & Commissarii assidebant: à tergo Regis Archiepiscopus Lugdunensis, & Episcopi, Niuernensis, Belouacensis & Castrensis: à sinistra, quatuor Secretarii Reipublicæ: & à tergo Collocutorũ Duces, Vaudemontius, Nemorensis, Mercurii, Mayennæ, Niuernensis, Elbœfanus, Æguillonus, Iainuillanus, Officiales Regni, Consiliarii Reipubl. & cæteri Magnates Regni. Cæterorum auditorum numerus erat ad ducentos.

Indicto silentio Ebroicensis iussus est à Rege disputationem inchoare. qui assurgens in hunc modum cœpit verba facere.

Adsum, ô Rex, vt mandato vestro obediam, & præstem id, quod publico scripto professus sum, me quingentos locos falsi criminis in libro Plessæi conuicturum. Vestra Maiestas, quæ vestra est summa prudentia, hoc congressũ nihil fidei maiorum detractum iri, vt quæ tota fiat propter veritatis & falsitatis iuquisitionem, in

Plessæi

Plessæi scripto satis præuidit, vt quæ ad id vnice instituta sit, an ipse Plessæus veterum Patrum dogmata & dicta sensaque, integre & fide bona adduxerit, mysticis apicibus vestra Maiestas more piorum Cæsarum temperat, nouit ex sacræ scripturæ lectione, elephantiasi percussum Regem, quod temere incensum Domino offerre, hoc est, seculari politiæ res spirituales admiscere tentauerit: multo autem sapientius, Constantini, Valentini & Theodosij pietatem æmulatur, qui ad Episcopos & clericos, controuersias ecclesiasticas, vt rem mere sacram & mysticam, ablegarunt. Hac ergo fiducia, sed præcipue clypeo orthodoxæ fidei, quam in hac Collatione defendendam aggredior, iam incipio, palam & publice obtestatus, me nulla simultate, ira, odio, aut alio iniquiori affectu impulsum, in Plessæum quem ego plurimum ob egregias animi corporisque dotes colo & obseruo, nec eum ipsum falsi accuso, sed eos, quorum relationibus, annotationibus, excerptis & commentarijs nimium credulus, fidem adhibuit, atque ex comitate ac modestia, hanc obtestationem veram nunc, quamdiu mihi cum illo res erit, apud auditores spectatoresque efficiam. 1600.

Plessæius contraria oratione in hunc fere modum respondit. Mandato Regio huc euocatus, vt libri sui assertor & propugnator essem, veni, non ambitione aut famæ gloria, sed sincerioris doctrinæ Zelo. Quod si ad castigatiorem & meliorem Ecclesiæ statum ac reformationem, quam tot viri probi à multis annis desiderio desiderant, opus suum conducere possit, summo bono mihi deputabo: sin minus, vel propria manu eum ambustum cupio. spem tamen concipio apud candidos & sinceros censores, me non incuriose neque proterue in eo opere insudasse: nec mirum videri debet, si in tanta copia ac pæne sylua citationum & allegationum mens, oculus vel manus aberrauerint. Etiam in Romanæ Ecclesiæ Doctoribus, qui non ab vno seculo scripserunt, hæc fertur incuria: qui si ad hanc trutinam ponderentur, rarissimi inueniri possint, qui huic noxæ ac culpæ non sint obnoxij. Vicissim itaque obtestatione profiteor, singularem hanc collationem, si minus prospere cesserit, nihil Reformatæ doctrinæ detracturam esse, vtpote cuius non sim arbiter, quæ à me dependeat, & quæ vt me antecessit, sic post me perduratura est.

Disputationis initium fuit Ioannis Scoti locus, quem male à Plessæo citatum fuisse Ebroicensis sustinebat. Verba Plessæi sunt: *Ioannes Duns cognomento* a *Scotus*, *post Lateranense Concilium, pene elapsis centum annis dubium facit, num corpus Christi, vere & realiter panis & vini*

a Sentent. lib. 4. dist. 1. q. 1.

1600.

ſpecie contineatur; atque ille contendit non contineri: Dubitandi *& negandi rationes ſunt, menſura, locus, aliæque functiones, quæ eſſentialiter veris corporibus hærent, & inſitæ ſunt, id non ferant, quale oportet eſſe verum corpus* Chriſti. Epiſcopus Ebroicenſis dicebat, verba, quæ Pleſſæus imputarit Scoto, non eſſe Scoti, ſed Hæreticorum, quos Scotus impugnarit & refutarit. Cepiſſe eum obiectionẽ pro reſolutione: quæ ſit abſurda & intolerabilis impoſtura. Pleſſæus admodum eleganter & docte reſpondit. Sæpe abundans atque ornatu ſuperbiens dictio animum auditoris perſtringit, ne rem, de qua agitur, intelligat: ſed Epiſcopus eloquentiam ſuam adhibuit tantum ad explicandam loci adducti difficultatem.

Pleſſæus viſus eſt nonnihil turbari. Dixit vero, id non contigiſſe propter loci probationem, ſed quod viderit ſe ab Epiſcopo deceptum eſſe, qui veſperi ad ſe miſerit exemplar Scoti nouæ editionis, & in ipſa Collatione exhibuerit exemplar aliud vetuſtæ impreſſionis, in cuius lectione propter notas & abbreuiaturas Scholaſticorum turbari cœperit. Reſpondit tamen aduerſario, oſtenditque Scotum dubitaſſe de Tranſſubſtantiatione: *a* obiectiones, quas propoſuerit, veniſſe ab eius capite tanquam credentis, & non tanquam imitantis: & niſi deciſione Concilij Lateranenſis retentus fuiſſet, propter naturam Sacramentorum aliud crediturum fuiſſe. Inde de theſi ad theſin tranſſiliebatur, & multa extra ſcopum diſputationis proferebantur & terminos. Quum Epiſcopus vrgeret deciſionem Concilij Lateranenſis, Rex dixit, notam eſſe temporis non doctrinæ. Quum ſimiliter Rex videret Pleſſæum ſuſtinere, quod fides Eccleſiæ præcedentis permouerit Scotum ad negandam Tranſſubſtantiationem, niſi retentus fuiſſet per deciſionem Concilij Lateranenſis: & Epiſcopum econtra dicentem, Scotum numquam exiſtimaſſe, doctrinam Tranſſubſtantiationis, aut non fuiſſe veram, aut non fuiſſe creditam ante Concilium Lateranenſe, ſed Scripturam quamuis clare loquatur de præſentia reali, non tamen declaraſſe in terminis tam claris & expreſſis modum huius præſentię, ita vt opus fuerit authoritate Eccleſiæ ad ſtabiliendum hunc fidei articulum, mandauit, vt Scoti locus cum verbis Pleſſæi conferretur. Epiſcopus, qui iam notarat turbationem animi, in Pleſſæo, inſtitit vrgere hunc locum. Qui ſi minus rationis habuiſſet, quam habuit, *a* oratio eius grandis, elata & audax, ſemper primas tuliſſet. Commiſſarij nihil pronunciarũt ſuper hoc loco: & tamen inter auditores murmur fuit ſubortum, Pleſſæum deceptum fuiſſe, quum obiectionem pro reſolutione ſumpſerit. Eſt quidem ita: Scotus non fallit in

a Pleſſæus, vt demonſtraret, nõ obiectionem hæreticorum, ſed ipſius Scoti reſolutionem fuiſſe, allegauit Bellarminum lib. 3. de Sacra Euchariſt. cap. 23. *Vnum addit Scotus, quod minime probandum eſt,* &c. & Dominicus Soto in lib. 4 Sentent. diſt. 11.

a Abundans atque ornatu ſuperbiens oratio animum auditoris perſtringit. PLVT. de Audit.

fide,

fide, quum loquitur de conuersione specierum Sacramentalium: sed satis ostendit ignorantiam in doctrina Patrum & antiquititatis, quum scripsit, eam nõ ita clare creditã fuisse ante illud Concilium. 1600.

Alter locus Durandi fuit, citatus ab eodem Plessæo in materia Transsubstantiationis. Ebroicensis dicebat, Plessæum allegasse argumenta aduersariorum Ecclesiæ, quæ Durandus refutarit. Plessæus respondit, talem esse obiectionem, quam Durandus ipse fecerit, & vnde appareat eam pro resolutione habiturum fuisse, nisi decisione Ecclesiæ retentus fuisset, & existimasse alium modum esse, quo realitas probaretur, sine transubstantiatione. Ebroicensis, protestatus in ingressu Colloquij, non desiderare se iudicium Deputatorum, nisi in controuersia interpretationis verborum aut editionis exemplarium, supplicauit Regem, vt mandaret Commissarijs, iudicarent super qualitate allegationis, quo tempori parceretur. Quod vbi Rex mandauit, & textus allegati in libro Durandi lecti fuissent, Cancellarius de consilij Deputatorum sententia pronunciauit, Plessæum obiectionem pro resolutione sumpsisse.

Durandus lib. 4. Sent: dist. 11. q. 1.

a Hom. 1. in 1. ad Thessal.

Tertius locus sumptus erat ex *a* S. Chrysostomo, vnde Plessæus hanc conclusionem exædificauit: *Non innitendum precibus Sanctorum, sed salus nostra agenda cum timore & tremore.* Ebroicensis dicebat, hunc locum manifeste mutilatum & deprauatum esse: & Plessæum primo mutauisse verba Chrysostomi, & pro his verbis, *non omnia committenda esse precibus Sanctorum*, supposuisse in terminis ambiguis, *non fidendum esse precibus Sanctorum*: deinde mutilasse & abscidisse hæc verba, *b ne despiciamus suffragia Sanctorum: & iterum, sed deprecemur vt pro nobis apud Deum sint deprecatores.* Plessæus respondit, non allegasse se terminos expressos Chrysostomi, sed expressisse tantum eorum sensum, eo quod totus discursus contineret duo aut tria folia integra, quæ ipse veluti in thesin reduxerit. Postquam locus controuersus lectus fuit in operibus Græcis editionis Veronensis & Heidelbergensis, Cancellarius rogatis Commissariorum votis pronunciauit, Plessæum præterijsse, quæ integre & non intercise ab eo poni debuerant.

b μήτε καταφρονῶμεν τῶν εὐχῶν τῶν ἁγίων, μήτε τὸ πᾶν αὐταῖς ἐπιρρίπτωμεν.

Quartus locus fuit eiusdem *a* Chrysostomi, quem hoc sensu protulit Plessæus: *Saluti nostræ tutius per nos consulitur, quam aliena ope & suffragiis, nec tam alienis precibus Deus veniam noxarum & fœlicitatem æternam condonat, quam propriis votis & intercessionibus. Exemplo sunt mulieres duæ Euangelicæ, Chananæa vna, adultera altera, quarum nullo alio deprecante misertus est Dominus, & similiter latronis, cui paradysum nullo alio intercessore condonauit.* Ebroicensis dixit,

a Hom. 5. super Matthæ.

Plessæum

1600. Plessæum succidisse verba, quæ proxime cohærent, nimirum ista: *Hæc à nobis scripta sunt, ne diuos ipsos non precemur, sed ne in propria salute, fiducia alienæ opis segnes & oscitantes simus.* Plessæus respondit, allegasse hunc locum, vt demonstraret, Chrysostomum loqui de sanctis viuentibus in terra, contra eos, qui persuasi sunt iuuari se suffragijs alterius. Tum Rex; Verbum, *alterius*, inquit, generale est, & tam de defunctis quam viuentibus accipi: & si abusus sit, vt sancti viuentes pro alijs intercedant, eodem abusu & illam Ecclesiam laborare, cui Plessæus adhæreat. Locus Chrysostomi lectus fuit in exemplaribus manuscriptis Bibliothecæ Regiæ, & in impressis qua Græcis qua Latinis. Quidam Minister ex turba prosiliens, & ad Commissarios pergens dixit, *a* negatiuam particulam non esse in textu Græco. Casaubonus mihi retulit, se ipsum locum ante oculos habuisse, & librum in manibus, quum iste Minister prosiliret, eique ostendisse in ipso libro id, quod negaret, vt pudibundo vultu retro cedere coactus fuerit. Rex dixit, fuisse instar catapultarij militis, qui procurrendo, emissa bombarda, pugnæ cedit. Cancellarius pronunciauit, omissa fuisse, quæ scribi oportuerit.

a nempe, μὴ ἱκετεύωμεν. sed oblato textu locus integer ei prælectus: καὶ ταῦτα λέγω, οὐχ ἵνα μὴ ἱκετεύωμεν τοὺς ἁγίους, ἀλλ' ἵνα μὴ ῥαθυμῶμεν.

Quintus locus fuit à *b* D. Hieronymo petitus, quem Plessæus contra incessionem Sanctorum hoc modo allegauit: *D. Hieronymus in Commentariis in Ezechielem, sedate & sine stomacho scribit, in solo Deo fiduciam collocandam. Infelix enim quisquis homini fidit, quantumuis inculpatæ vitæ, vel quidē prophetæ. Non Ecclesiarum antistitibus confidendum; quantumuis enim iusti sint, seipsos duntaxat, non alios saluos nedum proprios filios efficient.* Ebroicensis dixit, Plessæum omisisse in hoc loco clausulam, *si negligentes fuerimus*, quæ est clauis & neruus eius, quod dicere voluit de intercessione Sanctorum. Plessæus respondit, se ex Glossa Ordinaria locum adduxisse, in qua non legantur hæc verba, *si negligentes fuerint.* Cancellarius pronunciauit, mutilatum locum esse, & prætermissa, quæ adiungi debuerant.

b in Ezechiel lib. 4. cap. 1.

Sextus locus fuit Cyrilli Alexandrini, allegatus à Plessæo, quasi scripsisset, à veteribus Christianis nec adoratam nec cultam fuisse Crucis imaginem Ebroicensis dixit, id Cyrillo numquam venisse in mentem. Plessæus respondit, verborum Cyrilli sensum hoc velle, quia Christianis Iulianus Apostata exprobrarit, quod Crucem adorarent, nec Cyrillus responderit quicquam de adoratione & cultu Crucis, quod silentio neutiquam præterijsset Cyrillus, si adorādi hic ritus inualuisset. Tum excepit Rex Iulianum numquam exprobraturum fuisse venerationem Crucis, si vera non fuisset. Addidit Ebroicensis: Cæsarem illum Apostatam, sacris Christianorum

Lib. 1. contra Iulianum.

non leuiter initiatum, optime eorum cæremonias callere potuisse, 1600.
& Cyrillum Christianos falsi & insoliti ritus ignominia notari tacitus tulisset, ni res ipsa ita sese habuisset. Pronunciauit Cancellarius, locum à Plessæo allegatum non reperiri in Cyrillo. Plessæus respondit, non ita concipiendam esse sententiam, sed in his terminis, verba à Plessæo posita non reperiri in S. Cyrillo. Nam licet ipsissima verba non sint, est tamen ipse sensus.

Septimus locus fuit ex Lege Imperatorum Theodosij & Valentiniani, quos Plessæos contendebat vetuisse, ne Christiani signum Crucis pingerent vel sculperent. Ebroicensis dixit, Plessæum falsi reum esse, quod verba legis contra titulum & indicem citauerit, qui vult, ne Crucis signum in terra pingatur aut sculpatur, ne profanetur & pedibus conculcetur: deinde quod voculam, *humi*, omiserit. Plessæus respondit, se citasse *a* Crinitum, qui sic legem protulerit, & quî fieri potuit vt alio exemplari Codicis Iustinianæi vsus fuerit, quam quod hodie exstat. Pronunciauit Cancellarius, recte à Plessæo Crinitum citatum, sed in ipso Crinito mendum esse.

a Lib. 9. de Honest. disciplin. cap. 9.

Octauus locus fuit ex textu *b* S. Bernardi quem Plessæus de D. Virgine sic loquentem facit: *Eam ad fastigium summæ gloriæ euectam inanibus hominum præconijs titulisque non indigere: eius honori vero & immortali mortalium elogiis detrahi. Conceptionis diem festum, nec rite nec decenter excogitatum.* Ebroicensis contendit, Plessæum diuersa & distincta loca in vnum compegisse, & hæc cohærentia dispunxisse; *magnificæ gratiæ inuentricem, salutis mediatricem, sæculorum reparatricem.* Plessæus respondit, nihil se nouum aut insolens fecisse, quum etiam Apostoli in citandis Prophetarum dictis, non semper obseruarint seriem & continuationem, sed diuersa dicta iunctim adduxerint, quæ ad propositum eorum facerent. Cancellarius pronunciauit, melius facturum fuisse Plessæum, si duos diuersos textus separasset, & inter vtrumque interposuisset vulgarem notam &c.

b Epist. 174. ad Canonicum Lugdunensem.

Nonus locus ex nouemdecim, quæ Plessæus selegerat pro primo Collationis die, fuit ex *a* Theodoreto sumptus, & ab eo allegatus in hunc modum: *Deus quæcumque vult perficit. at imagines ad nutum artificum effinguntur, receptacula sensuum habent, sed sensu carent, vel insectis contemptiores, quod illa animata sint, quique hæc simulachra venerantur, in rationis & sensus inopiam iusto iudicio prolabi.* Ebroicensis Plessæo obiecit, eum vocem *iconis* vel *imaginis*, supposuisse in locum *idoli*; & omisisse illa in textu Theodoreti verba, *idola adorata ab Ethnicis, & adorata pro Diis.* Plessæus respondit, voces *a* *idoli* & *imaginis* æquipollere, & se breuiatim adduxisse locum Theodoreti. Diu disputatum

a in Psalmum 113.

a τοῖς ἀποκαλοῦσι τὰς ἱερὰς εἰκόνας εἴδωλα, ἀνάθεμα: Concil.

1600. ſuper vocibus illis *idoli & imaginis*, & tandem concluſum, intentionem Theodoreti fuiſſe de idolis Ethnicorum. Lecto Theodoreti Græco textu, Cancellarius pronunciauit, locum Theodoreti intelligendum eſſe de idolis Ethnicorum, & non de imaginibus Chriſtianorum, ſicuti appareat ex verbis à Pleſſæo omiſſis, *adorata ab Ethnicis, & adorata pro diis.*

Quo facto, quia ſerum erat, Rex veniam conſeſſui dedit. Remiſſa diſputationis continuatio in craſtinum fuit. Pleſſæus vero ipſa nocte grauiter ægrotare cœpit. Itaque quamuis animus eſſet colloquium continuandi, tamen morbus ingraueſcens noluit permittere. ideo diſputatio per eum rupta fuit. Rex eodem die ad Ducem Eſpernonium Gallice perſcripſit; *Amice, à Diœceſi Ebroicenſi Salmuratenſis ſuperata eſt.*

Nicen. II. act. 1. 4. 5. & 7. Vide ſuper imaginibus & idolis Damaſcen. li. de Imaginibus & Theodoret. q. 38. ſuper Exo.

Hæc epiſtola lecta & publicata paſſim fuit, atque adeo in ipſis cathedris quarundam Eccleſiarum. Pleſſæus, aut forte eius amici in Diſcurſu, quem paulo poſt ſuper Actis Colloquij ediderunt, appellat eam ſcintillam ignis. *Muſca Ebroicenſis*, inquit, *habita fuit pro elephante.* Epiſcopus Ebroicenſis contrario libello reſcripſit, *Ebroicenſis contra vnius diei præludium & delibationem in Pleſſæi falſis citationibus, muſcæ inſtar fuiſſe. quod ſi arenæ non ſe ſubduxiſſet, pro elephante quæ omnium maxima ſit bellua, habitum iri.*

Ad imitationem huius Diſputationis plurima Colloquia inſtituta fuerunt in diuerſis Regni prouincijs inter diuerſos Theologos diuerſi ordinis & Miniſtros. Quæ etiam nonnullos permouerunt, vt conuerterentur, &, vt idem ſol ceram liquefacit & indurat lutum, alios vt obſtinatiores redderentur. Ieſuitæ in diuerſis prouincijs, excepta Parlamenti Pariſienſis ditione, vnde expulſi ſunt, omnium ſe robuſtiſſimos in hac lucta oſtenderunt ſiue ſcientiam ſpectes ſiue eloquentiam.

Canaius, vnus ex deputatis Commiſſarijs Colloquij Fontebellandini, Præſes in Camera Caſtrenſi, homo doctus in philoſophia, linguis, & Hiſtoria Eccleſiaſtica, conſideratis Religionis ac bene perpenſis articulis, deteſtari errorem ſuum cœpit, abiurauitque publice doctrinam Reformatam, quam hactenus ſecutus fuerat: declarans Eccleſiam Catholicam Apoſtolicam Romanam eſſe veram Eccleſiam, cuius & obedientiæ ſe ſubmiſit. Alteram autem Reformatorum appellauit nouam ſectam, eis exprobrans, quod ille autem *a* Sacerdos Ægyptius Græcis, quod nihil retinerent ex antiqua traditione, & inſtitutionem eorum nondum incanuiſſe. Fuit & Caſaubonus vnus ex Commiſſarijs: quem & ipſum

a. Græci iuuenes eſtis animis omnes. Nullam enim ex antiqua auditione δι' ἀρχαίων ἀκοὴν, *veterem ſententiam in ipſis habetis, neque diſciplinam vetuſtate canam illam*, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν. PLAT. in Timæo.

puta-

1600.

putabant Canaij exemplum secuturum. At is non diu homines in ea exspectatione suspensos tenuit, scribens ad Synodum Gergeanam, nō adeo leuiter se in pietate instructum esse, vt à veritatis via se temere per quemuis ventum auferri patiatur. Vt gauisa Ministrorum Synodus propter eius constantiam fuit, ita ipse contra in Canaij metamorphosin iracunde cœpit inuehi, & respondens ad primas litteras adiecit hanc exclamationem in secundis: *O miserum, qui commutauit amißionem solidæ felicitatis cum laruata infelicitate huius mundi, & quæ peribit in comitatu & in vita eius atque ipso visu, nisi tandem resipiscat & recognoscat se cum ratione non simul perdidisse sensus, sed magis sine ratione factum se stultum. Deus per misericordiam suam velit eius misereri, & gratiam facere tam deplorandi commißi ab se peccati, vt amplius nihil committat quod deplorandum sit.*

SVMMARIVM

Tertiæ Narrationis.

I *Irresolutio Ducis in optione Tractatus Parisiensis.*
II *Conatus Regem veneficio tollendi detectus & punitus.*
III *Dux Sabaudiæ prosequitur moderationes in Tractatu.*
IV *Pugna Neoportana.*
V *Nouus Tractatus super executione Tractatus Parisiensis.*
VI *Resolutio Regis ad bellum, eiusque apparatus.*
VII *Vanæ prædictiones de vita Regis, & de eius negotiis.*
VIII *Damnabilis attentatio contra Regem Scotiæ.*
IX *Rex declarat & facit bellum Duci.*
X *Conquisitio Regis in Sabaudia & Bressa.*
XI *Discursus inter Regem & Patriarcham Constantinopolitanum.*
XII *Legatus Hispanus considerat initia belli sine vlla interpositione.*
XIII *Interceptio & redditio Camberini, Confluentiæ & Carbonariæ.*
XIV *Ratio huius belli repræsentata per Legatum Regis.*
XV *Impostura detecta aduersus duos Nobiles.*
XVI *Attentatio detecta in personam Regis.*

Tertia Narratio.

EX duabus malis vijs certior & facilir soequenda est; & si qua est electio mali, qui aliter non possunt, quippe infirmi & imbecilles, *a* minus malum eligere debent. Duci Sabaudiæ ex duabus propositis cōditionibus vna eligēda erat. Nullum dabatur tertium. Nisi alterutrū eligat, res eius merā irresolutionem sapient. Dicebatur in Gallia reddere velle Marchionatum. Et

a E malis eligenda minima inermibus. APPIAN. de Bel. Punic. lib. 1.

1600. tane ita scripserat ad Regem: at Romæ alia plane de eo opinio ferebatur. Qui norunt ingenia Italorum, *b* discunt non credere id, quod sinceritas Gallorum facillime credere solet. Misit Dux Nobilem quendam ad Papam, vt ei exponeret deliberationem suam, ab eoque approbationem peteret: verum non reperit Papæ intentiones suis conformes, recognoscentis satis id, quod pertinet ad dignitatem Regis, & ad rationem: & etiam summis affectibus ducti confiteri sunt coacti, Regem hoc negotium summa cum moderatione & prudentia gessisse, adeoque omnem iustitiam ab eius parte stare.

b *Nihil nisi quod in oculos incurrit, manifestumque erit credamus.* SENEC. lib. 2. de Ira.

Multi sunt, qui multa videri volunt velle, sed nolunt. Dux loquebatur iuxta affectionem, quam in ministris suis obseruabat. Nam ad quosdam dicebat, velle se reddere Marchionatum: ad alios, malle se relinquere Bressam: iterum ad alios, neutrum se facturum, nisi vi belli coactum. Verum perspecto Consilium Hispaniæ offendi ea restitutione, qua Galli tam vicini Mediolano redderentur, sæpe dicere auditus fuit, redditurum se esse Marchionatum. Belius Cancellarius, quem in Hispaniam miserat, & qui recognouerat quid desideraretur, ei scripsit, consopijsse se ægrorem iræ Regis & Consilij eius conceptum propter iter eius in Galliam: nec vmquam eum tam offensum fuisse, quin statim reconciliari postulet, vbi certus esse potuerit, Marchionatum Gallis numquam restitutum iri: rogare vt in optione diligenter caueret, ne se falleret, quia Imperator Carolus V. numquam tantum fecerit pro restitutione Ducis Caroli III. quantum iste Rex Hispaniæ pro eo facturus sit, qui eum obtestetur, nec quicquam præcipitare velit, & considerare, in Gallijs arma non magis nasci quã alibi; & Comitem Fuentinum tantis cum copijs & pecunijs paratum esse, vt qui Ducem cogere vellent ad restitutionem Marchionatus, satis habituri sint quod agant in conseruandis ijs, quæ in Gallia sunt.

Quibus literis acceptis Dux resoluit nihil reddere, & vt tempus prolongaret, quo interim Comes Fuentinus proficisci posset, Regi significauit, nulla alia re se detineri à satisfactione promissorum, nisi vt non perderet occasionem cum Hispanis negotiandi, & quærendi suam partem ex duobus millionibus auri, Mediolani existentibus & recipiendi aliquam recompensationem ex inæqualitate recompensationis. Sed ad Regem omnia referebantur: & alij alia consilia porrigebant ad prouidendum.

Inter † omnia crimina, quæ ab hominibus perpetrari pos- II.

sunt,

ſunt, execrabiliſſima eſt attentatio in propriũ Principem. Diabolus, qui per viros nihil potuit virium, excitauit miſerabilem quandam feminam, quæ cum armis, quorum inuentio feminis aſcribitur, tentauit venenare Regem, crediditque ſe id eo facilius poſſe, quo nullus vmquam Princeps fuit, qui ſe minus ab eiuſmodi caſibus præſeruare voluerit, quamuis toties & toties monitus fuerit, ne ſe tam communicabilem faceret. Miſella iſta contulit ſe ad Comitem Sueſſionenſem, vt ab eo impetraret aliquod officiolũ in palatio Regio, æſtimans ſe aliter conatum ſuum perficere non poſſe. Et perſuaſa aliquid offenſionis hærere in animo eiuſdem Principis, quod aliquandiu à Rege aula abeſſe iuſſus fuerat, dixit ad eum, facinus ſe parturire, cuius felici exitu ſe facturam, vt & ipſe in ſummum omnium Principem euadat, & ipſa in feminam feliciſſimã. Comes perculſus tanto facinore, vt tamen reſciret complices aut impulſores, reſpondit, rem eſſe tanti momenti vt non poſſit ſe tam ſubito reſoluere: cogitaturum ſe, & craſtino dicturum, quid facto opus eſſe putaret. Illa diſceſſit, facinus iam cum animo ſuo perpetrans, & veluti furiis agitata horribilis & ferox per vias incedebat. Comes vero Sueſſionenſis in continenti Regem acceſſit, eiq; expoſuit quæ ex femina illa intellexerit, rogans, vt ſibi attribuere vellet hominem confidentem, quem conclaui incluſum habere poſſet teſtem, vbi hora aſſignata redierit. Rex mandauit Lomenio Secretario, vt eo iret. Ecce redit miſera, ſollicita magis, ne tempus & commoditas laberentur, quàm audacia & reſolutio exequendi ſceleris. Repetit ſermones, & plura minatur, quàm præcedenti die fecerat. Inſtitit vt diceret, à quo inſtincta fuerit, & quare conaretur rem tam periculoſam aggredi. Sed ſatis ex verbis eius perſpici poterat, ſolo Diabolo inſtigante ductam fuiſſe, cuius opera ſunt, vt Triſmegiſtus dicit, *adulteria, cædes parentum, verberationes, ſacrilegia, impietates, ſtrangulationes, per præcipitia impulſiones.* Quum omnia enarraſſet, commiſit eam inter manus Præpoſiti Hoſpitii Regii, à quo in Aulam abducta fuit. Ibi negare cœpit accuſationem, & non minus audenter inuehi in accuſatorem, quàm furioſè prius oſtenderat ſceleris executionem. Tandem Lomenio teſte rea peracta & conuicta ad flammas viua comburenda damnatur.

III. Rex † ſemper credebat, Ducem verbis ſuis ſtaturum, & fingens aliorum fidem ex ſua, reprehendebat eorum opiniones, qui ſuper effectu dubitarent. Tempus abit: Rex inſtat, Dux ſe excuſat, Roncaſius accedit & recedit, ſupplicauitque Regem, vt moderari vellet conditiones Tractatus Pariſienſis; econtra Rex ad Ron-

1600. casium respondit, vt Dux eius obseruaret id quod promiserit: non è re esse videri, vt elapso termino restituendi Marchionatum Salutiarum, loqueretur de innouando Tractatu. Rex se resoluit, vt proficisceretur Lugdunum, quo & præmisit Cancellarium ac Consiliarios, qui tres integras septimanas Mulini substiterunt. Accepit nouas admonitiones ex Italia & Pedemontio, Ducem omnino nolle promissis stare. Quibus acceptis Lugdunum pergit, vt ipse bello in persona præesset, *a* experientia doctus, quantum intersit rerum gerendarum, vt ipse supremus Imperator adsit in exercitu. Monuit Ducem, vt ad se Lugdunum octauo Iulii veniret, & exsequeretur id, quod Tractatu Parisiensi conuentum est: alioqui dicere, vt rebus suis prospiceret, & hoc pro vltimo haberet. Rex Lugdunum appulit, hospitium in ædibus Gubernatoris sumpsit, cuius vxor eodem die filiam peperit, quam & Rex è sacro fonte leuauit, de suoque nomine Henricettam nominauit. Sabaudus interim Taurini desidens voluptatibus indulgebat, exspectans Comitem Fuentinum cum viribus & pecuniis Hispanicis: quas tamen Rex sciebat tam copiosas non esse, vt non aliquid inde decedere deberet ad succurrendum damnis Alberti in clade Neoportana acceptis.

a *Grande e la differentia d'amministrare la guerra pro se proprio à me commetterla à Capitano.* GVICCIAR lib. 7.

IV. Ea † sic se habuit. Comes Mauritius interceperat Dodēburgum & S. Alberti propugnaculum. Archiduces præuidentes periculum, quod futurum esset, si hosti spatium concederetur se muniendi & fortificandi in tanto loco, copias produxerunt Dodemburgum vsque, quod se dedidit per compositionem. Sancti Alberti castellum vi pugnando captum fuit. Mauritius cautè se subduxit. quem Albertus persecuturus intra Dunos se inclusit, quasi Dumkirckam versus. Vterque exercitus in conspectum venerunt inter Neoportum & Ostendam. Archidux tam feruidè Mauritianos aggressus est, vt primas copias pene ad internecionem interfecerit. Sed quemadmodum errant, qui in bello omnes secundos rerum euentus expectant, ita & auspicium huius belli cito mutatum est. Archidux volens persequi inchoatum auspicium, obuiam habuit Mauritii pugnam, qui firmiter restitit, & sustinuit totum equitatum Archiducis comitatum mille seditiosis; nec tantum sustinuit, sed etiam repulit taliter, vt in seditiosos aufugiens impegerit, & dein equitatus simul & seditiosi in equitatum infregerint, ita vt totus ordo dissolueretur. Comes Mauritius persequens victoriam, plerosque fugientes prostrauit. Archidux ipse tertius euasit, & Brugas peruenit vulnere in faciem accepto, amis-

sis o-

fis omnibus quæ habebat, ſuppellectile, tormentis & impedimentis. In hac pugna illud memorabile eſſe obſeruatum eſt, quod eodem die contigerit, quo ante annos trecentos Albertus Dux Auſtriæ vicit Adolphum Naſſouium Imperatorem. 1600.

An. 1298. die 2. Iulii.

V. Quæ res non impedire Regem potuit, quo minus laboraret à Duce Sabaudiæ ſcire, quid animi eſſet ſuper reſtitutione. Paſſim ferebantur ingentes & tragicæ reſolutiones, quas exequi is vellet ante elapſum menſem Auguſtum. Vix † Lugdunum Rex peruenit, ecce rumorem, quo ſpargebatur, Ducem attentare in perſonam Regis, & eo nomine aſſaſſinum quendam conduxiſſe. Tandem ad Regem ab eo miſſi veniunt Marchio Lullinius & Roncaſius, excuſantes moram ſuam, propterea quod expectarent aduentum Archiepiſcopi Tarentaſiani, qui Legatus à Duce in Galliam miſſus fuerat, & optima Conſilii eius pars. Dixerunt ad Regem, ſe nihil aliud in mandatis habere, quàm vt Maieſtatem eius certiorem redderent de Ducis ſui voluntate in reſtituendo propediem Marchionatu, præterea vt rogarent, quo Maieſtas eius vellet inueſtituram eiuſdem Marchionatus vni ex filiis accordare. Rex reſpondit meminiſſe eos, quod eam conditionem Duci iam Pariſiis denegauerit; nec interim ita ſe geſſiſſe, vt deberet tanta liberalitate erga eum vti. Legati replicant, Ducem ſuum conqueri de durioribus pactis fœderis Pariſienſis, qui in primaria vrbe Regni hoſpes, nihil negare *a* Regi auſus ſit, ob inglorium & inæqualem tractatum eo ipſo vehementer ab agnatis & fœderatis accuſari. Contra ea Rex, fruſtra hæc Ducem cauſari, cum ille Regno digreſſus, in primariiſque ſuæ ditionis vrbibus conſtitutus, Camberini & Turini, ſcriptis litteris gratum ratumque fœdus Pariſienſe habuerit, & id exequi pollicitus ſit. Ex Legatorum relatione Rex ſatis de voluntate Ducis iudicare poterat, ſtatuitque aleam Martis experiri.

Prædictio Aſtrologorum.

a *Difficile eſt quicquã negare Maieſtati rogantis.* IOSEPH.

Roncaſius promiſit ſe ad Ducem profecturum non tam vt ei exponeret offenſam Regis, quam vt eum moneret rebus ſuis in tempore proſpicere. Intereà Foſſeus ex Pedemontio redit, & in præſentia multorum Principum Regi ſanctiſſimè affirmauit, Ducem numquam redditurum eſſe Marchionatum; & minari inſuper, ſi Rex bellum moturus ſit, facturum ſe, vt ipſos quadraginta annos bellum in Regno ſuo habeat, & id genus alia, quibus Rex vehementer fuit irritatus. Sed ecce Roncaſium redeuntem, qui ad Regem retulit,

quum

1600. quum Maiestas eius omnino ita velit, & Duci suo placere vt Marchionatus iuxta Pactum Parisiense restituatur. Rex acceptam habuit oblationem, ordinauitque Brulartium & Ianinum, qui cum Legatis Ducis super restitutione tractarent. Articulos tractatos & compositos Roncasius subsignare recusauit, ne Dux offenderetur, si absque eius ratificatione tantam rem peragere vellet.

Prauum augurium à plerisque captum fuit ex difficultate, quam Roncasius in subsignando prætenderet: nec Deputati Regis voluerunt insistere in signaturam, non admodum solliciti, obligare se Dux necne vellet, quod nec Rex id valde curaret. Nihil iam dubitabatur, quin Dux manifesto fallere cuperet, & quamuis id de tali Principe non temerè præsumendum sit, & nihil in animo monstruosius sit quàm perfidia, tamen *a* experientia docet, eos, qui promissa seruare floccifaciunt, semper in eos inualuisse, qui verbis eorum fidem adhibuerunt, & tandem eos coëgisse per astutiam vt sibi concesserint, quod nullis alioquin viribus impetrare potuissent. Et quamuis ministri Regis quererentur toties eundo & redeundo magnas occasiones rei bene gerendæ negligi ac deperdi, & Ducem exspectare tantum copias Comitis Fuentini ex Italia, qui cum quatuor mille Hispanis in itinere esse diceretur. Rex tamen Roncasio tempus concessit redeundi ad Ducem, & ratificationem obtinendi: cum expressa deliberatione belli inchoandi, si frustrari pergeret. Interim vndiq; admonebatur Rex, non plus à Duce obtenturum, quàm olim Franciscus Rex ab eius maioribus obtinere potuerit. Et quamuis inter magnanimitatem & audaciam Ducis & aui eius multum intersit, valde tamen conueniunt mores vtriusque in dissimulando. Nam vterque verificauit id, quod ab Imperatore Iuliano dictum est: a *In hominibus affines sunt mores nepotum auitis.* Historiæ superioris temporis referunt, Ducem Carolum intentiorem in parendis ictibus quàm in ratione Regi Francisco reddenda, noluisse satisfacere nisi dissimulando. Idem sanè de nepote eius rectè dici potest. Roncasius non redit. Et secundo post præfinitum terminum die appulit cursor publicus, cum literis ad Legatos, quibus iubebantur executionem Tractatus persequi. Ex eo, quod Roncasius non rediit, & quod eius loco vnica tantum epistola missa fuerit, ex responsis item mollibus & laxis, Rex cognouit, Ducem id modo agere, vt tempus protolleret ad congregandas vires suas, & recipiendum succursum Hispanorum, & prouidendum securitati suæ: indignatusque fuit ob tantas dissimulationes, quibus patientia sua tentari videretur. Nihilo minus tamen voluit, vt De-

putati

Perfidia vtilis.

a *Si vede per isperienza ne nostri templi, que i Principi hauer fatto gran cose, che della fede hanno tenuto poco conto, & che hanno saputo con astutia aggirare i ceruelli de gli huomini, & alla fine hanno superato quelli che si sono fondati in su la lealta.* MACHIAVELLVS.

a ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων εἰκὸς παραπλήσια τὰ ἤθη τῶν ἀπογόνων τοῖς προγόνοις. IVL. Misopog.

putati repeterent collationem. Legati Ducis rursum iterant difficultates iam resolutas & iudicatas, & remonstrant, Ducem Sabaudiæ acquiescere in Tractatu Parisiensi, reddere velle Marchionatum Salutiarum, sed necessum esse vt eodem tempore restitutio fiat ab vtraq; parte. In hac subtilitate volebant rem impossibilem. Nam fieri non potest, vt eodem momento, eodem puncto, eodem *b* instanti, quod Philosophi dicunt esse indiuisibile, restitutio locorum tanto interuallo dissitorum exequatur. Tractatus Parisiensis vult, vt restitutio fiat eodem tempore; Deputati Ducis subtilisabant in terminis, vt prolongarent semper terminum solutionis, dicentes necesse esse vt Rex eodem tempore restitutionem faciat, quo ipse Dux. Responsum fuit, per ordinem rerum esse impossibile humanæ conditioni scire, num eodem tempore fiat restitutio Carmagnolæ in Marchionatu Salutiarum, & Pontis Vallensis in Bressa. interpretandum esse id, quod scriptum est, eo pacto vt nihil impossibile inde consequatur, atque id, quod dictum est de eodem tempore, intelligendum esse de continuatione restitutionis. In omnibus Tractatibus semper eundem terminum eodem pacto fuisse intellectum, etiam in tractatu anni M D L I X. in quo Rex Henricus II. contentus fuit reddens Sabaudiam, Bressam & Pedemontium, acceptis obsidibus. Legati exceperunt, cum Rex sit potentior, debere eum primo loco restituere, propterea quod certiora media habeat cogendi Ducem ad id faciendum, quod promisit, quàm Dux habeat ad Regem cogendum: quum & lex iubeat, & ratio dictet, vt minor legem accipiat à maiori. Ministri Regis dixerunt, & rationem velle, vt qui prior fuit in occupando, etiam prior sit in reddendo. atqui Ducem Sabaudiæ priorem vsurpasse Marchionatum Salutiarum, tempore pacis, & sine vlla iusta ratione. ideo æquum esse vt ipse prior restituat. 1600.

b τὸ νῦν ἀδιαίρετον: *Nunc indiuisibile.* ARIST. lib. 6 Phys. cap. 3.

Hac difficultate enodata, subinde aliam mouerunt demonstrantes, Ducem suum non esse contentum de responso super restitutione terræ Gesianæ. Nam, dicebant illi, Rex tantum dicit, se eam non possidere, nec quicquam in ea prætendere: nos prætendimus illum possidere, & Geneuenses id ipsum dicunt, ibique esse judicem constitutum, à quo iudicia exercentur sub nomine, & exequantur sub authoritate Regis. Quare petimus, vt Rex restituat. Ad ea Regii responderunt, tractatu Parisiensi vtrumq; Principem obligari ad hinc & inde restituenda ea, quæ quisque eorum possidet & occupauit ab altero. Igitur dum Rex declarat, se nihil possidere nec prætendere in terra Gesensi, Ducem debere acquiesce-

1600. re in tractatu Parisiensi. Quod autem Iudices ibi constituti pronuncient sub nomine Regis, fieri id sine authoritate, sine prouisione & sine mandato Regis. etiam qui media in Hispania sunt, idem posse facere: & tamen quid ad Regem.

Hisce duobus punctis tractatis, peruentum est ad tertium: nimirum munitiones & tormenta reperta a Carmagnolæ, quum à Duce primum occuparetur, pertinere quidem ad Regem, sed non tantam quantitatem ibi repertam fuisse, quantam Regi persuasum sit, quod Gubernatores & Vicarii Regis, qui ante præfuerant, multa vendiderint ac distraxerint. Ideo offerre se inuentarium, quod Dux fieri procurarit omnium munitionum & tormentorum bellicorum, repertorum in fortalitiis & propugnaculis per Marchionatum. Id missum ad Regem fuit, vt eius voluntas cognosceretur. Rex propter bonum pacis, elegit tantummodo mediam partem tormentorum in inuentario Ducis comprehensorum, & paruam quantitatem pulueris, & pilarum pro simplice necessitate præsidiorũ, quamuis plus quàm tertia pars hac cõcessione amitteretur.

a Quæ fuit armamentariũ Regũ Franciæ in bellis Italicis, & Pedemontanis.

Quantum præterita odimus, tantum de futuris bene speramus. HERODOT. ἄλογον κινδυνεύειν ἐπὶ ὀλίγοις. *Insanum ob res leues subire periculum.* APPIAN. de Bell. Hispan.

Quarta difficultas ab Legatis proposita fuit de Gubernatore Marchionatus, quem Rex nullum dum nominarit. Ad quam responsum fuit à Regiis, hoc tempore Regem nondum constituisse Gubernatorem ordinare in Marchionatu: quod si vero in posterum facere animus fuerit, facturum se quod tractatu Parisiensi conuentum est: nunc autem instituere se tantum Vicarium generalem, cum potestate tamen Gubernatoria, & elegisse Passagium hominem Nobilẽ, quem nõ possit aliter habere q̃ pro bono Gallo & milite equestri, & q ab eo refutari vt suspectus nõ possit, quippe affinis & sanguine iunctus Comiti Rochio, q est in Ducis seruitio.

Hisce difficultatibus omnibus superatis, & redditione locorum accordata, Legati adhuc petierunt dilationem, donec ad Ducem referrent. Consensit Rex & pro vltimo termino totius executionis assignauit diem vltimum mensis Augusti: quo elapso & executione non secuta, vi se reparaturum, quod verbis non posset. Eodem tempore misit Comitem Passagium cum quingentis militib. in Marchionatum Salutiarum, vt ibi Præfecturam suam inchoaret, & reciperet vrbem atq; castellum Carmagnolæ, quam Dux debebat reddere eodem die. Rex liberè agebat, Dux simulanter. Tandem tamen Rex cognouit, exitum longioris moræ & dilationis futurum, prouidereq; cœpit ne tempus perderetur, & incommoditas hyemis ingruens necessitates obiiceret intolerandas. Et quia animo pacis persequendæ Parisiis discesserat, ex viginti Capitaneis

Passagius missus in Salutias fuit cũ trecentis Heluetiis ex copiis Colonelli Galati, & ducentis bõbardariis Gallis.

Custo-

Custodiæ suæ Ordinariæ, duos tantum secum Lugduni retinuit, 1600.
cæteris domum remissis.

VI. Quæ causa fuit, cur coactus fuerit eodem tempore contra præcepta militaria & bellum indicere, & præparationes eius facere. Ordinauit † Commissarios per regiones circumiectas ad milites legendos. Guisium in Prouinciam ablegauit ad cauendum, ne hostis more suo in ea turbaret. Mareschallum Bironum in Burgundium misit, vt omnes ibi vires suas colligeret. Marchionem Rhosnium, Præfectum Artilleriæ, Parisios amandauit ad *c* argentum conficiendū, qui est neruus belli, & tormenta aduehenda, sine quibus omnis vis bellica frustra est. Vikium Legatū accelerare in Heluetiā iussit cum numerata pecunia, quo præueniret & rumperet minas Ducis, & conscriberet copias certas Heluetiorum, quibus si opus foret, vteretur. Et vt vinceret inimicos, demulcere cœpit amicos, *a* qui maiora præsidia Regni sunt, quam thesauri aut exercitus.

Antequam inchoetur bellum, de copiis expēsisq; sollicitus debet esse tractatus. VEGET. lib. 3. cap. 3.

c οἱ πόλεμοι ταῖς περιουσίαις τῶν χρημάτων ἀντέχουσιν: *Bella sustētantur pecuniarum abūdantia.* DION. HALIC. lib. 6.

a SALVS. in Bell. Iugurth.

VII. Passim † tum vaticinia spargebantur non dissimilia *b* illis temporibus, quibus primum bellum in Pedemontio gestum est, quum Franciscus Marchio Salutiarum sese Imperatori dedidit, quod diceretur Regē Galliæ ab Imperatore priuatum iri regno. Ita & nunc Prognostici dicebant, elapso mense Augusto nullum Regem in Gallia fore, & id de morte Regis interpretabantur. At hi non facile solent verum prædicere, & magister, cui sacramento se obstrinxerunt, *c* hoc propriū habeat, vt mentiatur: & tamen veri fuerunt in hac prædictione. Nam Rex eo tempore elapso in Sabaudiam ingressus est extra Galliam, & Sabaudiam in potestatem suam redegit, ita vt rectè dici potuerit, nullum tum Regem in Gallia fuisse, & Ducem Sabaudiæ fuisse Regem Galliæ.

b an. 1557. teste BELLAIO.

c Porphyrius dicit, Diabolorū proprium esse mentiri. τὸ ψεῦδος τούτοις οἰκεῖον. *Mendaciū illis proprium.* PORPHYR. li. 2. de Abstinentia.

VIII. At † Coniuratio in Regem Scotiæ parum abfuit à summo cædis periculo. Fratres Comites Gauricenses diu vlcus implacabile vltionis cū animo agitantes, ꝓpter infamem patris eorum cædē, supplicio affecti propter crimē læsæ Maiestatis, deliberarūt inter se interficere Iacobū Viceregē Scotię, quāuis eius benignitati se obligatos sentirēt ob restituta sibi fisco applicata bona. Modus exequendi tam damnabile facinus fuit, inuitare Regē in domum Perthanā cum modico comitatu, sub colore quæsito videndi & colloquendi hominis, q; ingentem thesaurū defossum sciebat. Iunior Gauricus Regē ꝑ auia & nemora venantē adoritur, abductū à satellitio & cinctu Aulicorū, cupidine defodiendi auri latentis domū suā, q̄tres aut quatuor tātū leucas inde distabat, abducit. Perthā appellūt cū duodecim aut q̄ndecim tantū equis. Venienti Regi occurrit senior Gau-

1600. ricus: fortuito conuiuio excipit. quo peracto Regi ſuaſum facit, vt in arcis intimos receſſus abiret, ad hominem, dum Aulici prandent, de theſauro inquirendũ, quem in penitiſſimis penetralibus, ne cuiquam aurum proderet, aſſeruabant. Rex, nihil doli ſubeſſe cogitans, ſolus fratres per duo aut tria cubicula auia ſubſequitur. vbi ventum eſt in latibulum, Comes Gauricenſis laceſſere eum conuiciis cœpit, & paternę mortis probro inſultare, aſſaſſinumq; , quem ad id conduxerant, vt cædi ſe accingeret, & feriret. At ille attonitus per Maieſtatem & characterem illum diuinũ, quem digitus Dei impreſſit in facie Regum, qui ſunt ſecundum cor eius, perſtitit immotus tanquam ſtatua marmorea. Iunior Gauricus audacior videri volens euaginato pugione ipſemet cædem aggredi tentat. Verum Rex confiſus in brachio Omnipotentis, & certiſſimo ſperans *a* eum adeſſe inuocantibus ſe in veritate, comprehenſa feneſtra prodi ſe clamare cœpit. Continuo tres è miniſtris Aulicis accurrentes compererunt Comitem Gauricenſem, qui vt occiſum fratrem vidit, duos enſes attulit, alterum ex eis in Regem velle intentare. Adoleſcens quidam Nobilis, Ranceius nomine, ſtricto gladio ſuo medium Comitem transfixit: cuius caſu cæteri comites omnes exanimati aufugerunt & euanuerunt. Ad clamorem Regis omnes eius Aulici in curia arcis concurrerunt, quidam per muros aſcenderunt, & cuncti laborabant vt eius ſaluti ſuccurrerent, à quo omnium ſalus dependet. Rex ſe populo in feneſtra oſtentauit, veſtibus ſanguine proditorum cruentis. Et egreſſus ex arce, depoſita ira, genibus flexis, oculis in cœlum eleuatis Deo gratias egit propter tam viſibile teſtimonium ſuæ protectionis.

a *Qui ſalutem ſuam Deo cõmittunt, præter opinionẽ è mediis emergunt periculis.* IOSEPH. lib. 2. c. 6. Antiq. Iud.

IX. Sed ad † Ducem Sabaudiæ redeamus, & eius procraſtinationes. Vbi Rex vidit, octidui ſpatium Roncaſio pro reditu conceſſum præteriiſſe, reſoluit ſe non amplius præſtolari, ſed oportunitatem̃ temporis antecapere, nec pati vt patientia ſua porro læderetur. Legati Ducis, qui Roncaſium exſpectabant, moleſtiſſimè ferentes Ducis ſui prolongationes & irreſolutiones, quibus Remp. ſuam perditum iret, obſecrarunt Regem, vt expeditionem adhuc triduum differret. Sed expectatio fuit inutilis: *a* homines ſunt principes ſuarum actionum. In eorum proprio arbitrio eſt, euitare malum & amplecti bonum. Recuſatio Ducis Sabaudiæ excidit conditiones pacis, immiſit terras ſuas in calamitates belli, & rupit patientiam Regis. Rex die ſeptimo Auguſti, quo de recuſatione Ducis

a αἱ ἀρχαὶ τῶν πράξεων εἰσιν οἱ ἄνθρωποι: *Homines principia ſunt actionum, & per ſe poteſtatem habent propriam vel bona eligendi vel mala fugiendi.* IAMBLICH. in Protrept.

allatum

1600.

allatum eſt, quod poſtremos Articulos pacis ratificare nollet, expediuit curſorem, qui Comitem Paſſagium ab inſtituto in Salutias itinere reuocaret. Die Auguſti vndecimo belli factum initium. Rex publice declarauit, intentionem ſuam eſſe, vt faciat bellum Duci Sabaudiæ ob recuperandum Marchionatum Salutiarum, ab eo detentum & occupatum iniuſte,& velle ſe obſeruare & cuſtodire bona fide tractatum Veruinianum, cum eis qui articulis ſtare conuentis cupiant, nec velle hoſtile quicquam machinari niſi aduerſus eos qui arma moturi ſint, & Duci Sabaudiæ eiusque adhærentibus contra Maieſtatem ſuam fauituri. Et quoniam nemo poteſt morari in terra, cuius Princeps eſt declaratus eſſe hoſtis Regis, & eo caſu omnis communicatio eſt prohibita: ideo Rex mandauit omnibus ſubditis ſuis in ſeruitio Ducis ante & poſt tractatum Veruinianum conſtitutis,vt ſe inde reciperent & inRegnum redirent intra quindecim dies poſt publicationem ſui Edicti, ſub pœna criminis læſæ Maieſtatis.

Eodem die, quo bellum fuit declaratum, Rex ſimul facere aggreſſus eſt, abijtque Gratianopolim,vbi ſtrumoſos pro more tetigit in die Aſſumptionis B. Mariæ Virginis. Habebat ſecum copias tantum ordinariæ ſuæ cuſtodiæ & comitatus, item Vandoſmij & Alexandri. Sabaudum aggredi duobus in locis iuſſit, in Sabaudia, & in Breſſa. Eſdiguerio mandauit,vt Sabaudiam aggrederetur cum milite Delphinate: Bironio vt Breſſam cum milite Burgundo, Campano, Nauarreno, & aliquantis Heluetijs ex præſidio Lugdunenſi. Grillonus Camberinum verſus tendere cum ſuo regimento iuſſus eſt: & Nereſtanus Petricaſtellum intercipere, quod & indubio feciſſet, ſi naues paratas in ripa habuiſſet, nec à die ingruente proditus fuiſſet. Rex munia militaria inter Capitaneos diſtribuit pro cuiuſq; cognita virtute & capacitate: & *a* occaſiones periculoſiſſimas audaciſſimis commiſit, certus & expertus nihil tam promouere executionem, quam *b* Capitanei præſentiam.

a *Periculoſiſſima fortiſſimis imperat Dux.* SEN. de Prouid.

b *Frons domini plus poteſt quã occipitium* PLIN. lib. 18. ca. 15.

Mareſchallus Bironius moliebatur oppidum Burgum intercipere, ſed vix concepta deliberatio fuit, quin præſidiarij reſciuerint. Nam Marchio Lullinius Lugduni tum exiſtens monuit Comitem Mommaiurium de profectione Ducis Bironij ad eum intercipiendum. Alymeus eundem per litteras monuit de petardis Lugduno auectis ad dirumpendam portam in nocte Veneris diem ſequente. Nobilis quidam Breſſanus, qui ſe copijs Bironianis immiſcuerat, cognita Bironij voluntate, ſubducens ſe præcurrit, & Bouentium Gubernatorem arcis certiorem facit de aduentu Bi-

1600. ronij, qui vix vnius leucæ ſpatio cum exercitu abſit. c Securitas portarum & murorum, in qua confidebant, præſidiarios fefellit. Minor confidentia eis dediſſet maiorem prouidentiam. Non poterant ſibi perſuadere, ſe à ſeptingentis militibus ſuperari poſſe. Petardus applicatur, porta rumpitur, milites irruunt & Regem victorem totius oppidi conficiunt. Mareſchallus Bironius, relicto † ibi Barone Luxio, cum quinque tormentis ad cætera Ciſrhodanana caſtella expugnanda proficiſcitur cepitque eodem tempore Pontem Inium, Poncinum, Sancti Dionyſij fanum, Sancti Roberti fanum, Beleium & Petricaſtellum. Quidam ſola præſentiæ eius reputatione territi, quidam tormentis pulſati ſe dediderunt. Nuſpiam autem præſidiarij erant, præterquam Seizeli. Rex Gratianopoli exiſtens vno die & vix ſex horarum interuallo cognouit duo memorabilia facta, interceptionem oppidi Burgi cum ſeptem vexillis & vno bando equeſtri à Mareſchallo Bironio tranſmiſſis, & deditionem fortalitij Montmeillani Eſdiguerio factam.

c *Nimis confidens incautus eſt, metus autem prouidentiam docet.* IOSEPH. de Bello Iudaico li. 1.

Dux poſtquam conſtantiſſimis rumoribus de apparatu Regis & bello ſæuiente audiuit, Patriarcham Conſtantinopolitanum, cuius auctoritate in primis nitebatur, & qui poſt reditum ex Gallia Turini ſe Monaſterio ſui Ordinis incluſerat, delegit pro rebus ſuis apud Regem recommodandis. Is ſane magnus eſt Prælatus, orator eloquentiſſimus, & qui res huius mundi optime callet, quippe qui cum ſummis in tota Europa ingenijs de rebus maximis egerit & tractauerit. Dux habebat eum ſuſpectum in tractatu Pariſienſi, & videns, quod ex mandato Papæ nollet redire, niſi prius Tractatus in effectum deduceretur, putauit ibi ſubſiſtere vt exploraret ſuas intentiones. Ea re non recepit eum tantis cum honoribus, vt prima vice euntem ad tractatum Veruinianum. Et amici ad eum interuiſentes ſuſpecti Duci fiebant, quaſi minus fideles. Et Patriarcha bene quidem animaduertebat Ducis animum, ſed diſſimulauit. Dux, qui eum offenderat, inter manus ipſemet dedit bellam occaſionem vlciſcendi. Orauit eum, obteſtatus eſt & obſecrauit, vt ſuo nomine Regem adiret. Accepit munus legationis. Verum ſiue propter offenſam inhoneſtæ tractationis Turini ſibi factæ, aut quod non ignoraret intentiones Ducis, ſcripſit ſchedulam ad Regem, qua eum monet perſequi belli curſum, nec auſcultaret propoſitionibus aut oblationibs Ducis, qui in hoc vnum intentus ſit vt fallat.

XI.

X.

a ARIST. lib. 8. Ethi cor.

b Vera theologia Principis eſt, ſcire ſe habere animam quã ſaluare debeat, & quod aliquando rationes redditurus ſit coram diuino tribunali, & quod ſua conſcien-

XI. Is ergo ad Regem venit † Gratianopolim, eumque à vespertino sacro redeuntem hisce verbis aggressus est: Dolere Papæ, quod arma sumpserit, eiusque nomine obtestari se vt paci consulat, & ad tractatus Parisiensis conditiones reueniat. Quod suum repetat, Papam & omnes Potentates fauere & laudare: sed quod inuadat antiquam hæreditatem Ducis Sabaudiæ, non posse eos omnes non improbare. Rex respondit, ægre se molesteque ferre Papæ offensionem, quam contra se propter arma sumpta conceperit, ad quæ non prius processerit, quam totus mundus iudicarit, se ab Duce illudi. 1600.

Et quamuis nulla persona sit in mundo, quam magis honoret, & cui se obligatiorem sentiat, cuiue nullam omnino rem denegatam cupiat, tamen credere se tantum in eadem iustitiæ esse, vt sibi consultura numquam sit aliquid facere, contra rationem & dignitatem Regni, sed consideraturam potius, amicos non esse adigendos ad conditiones iniustas, quod *a exigat & postulet amicitia non quod cuique debetur, sed quod quisque facere potest.*

a ARIST. lib. 8. Ethi cor.

Et quia Dux se resoluerit pactis Parisiensibus non stare, nec suam Maiestatem amplius ijs obligatam teneri. Patriarcha ei ante oculos repræsentauit mala secutura hoc bellum, ruinas & desolationes in populo, & potestatem Turci communis Christianorum hostis peiora audendi moliendique. Cui Rex in hunc modum respondit: Domine Patriarcha, tu me exhortaris, tamquam magnus Theologus & Prælatus Cardinalis in Ecclesia, vt arma & vires bellicas deponam ad euitanda mala inde in totam Christianitatem redundatura. Ego licet non sim tantus Theologus, vt tu, *b* scio tamen mihi animam esse, quam saluem, & quod mihi aliquando rationes reddendæ sint mearum actionum, & quod Deus imputaturus sit mala ex hoc bello orientia ei qui occasionem dedit. Genius Ducis Sabaudiæ rogetur, an non ipsius obstinatio & cupiditas retinendi alienum, causam dederit tantæ oppressioni, quam nunc miseri eius subditi patiuntur. Nimis temerario mei contemptu præsumpsit posse se per subtilitates retinere quod meum est, contra meam voluntatem. Qui iniuste occupat rem alienam, iuste potest sua priuari. *a Turpe alienarum possessionum cupidine bellum sustinere non necessarium, atque adeo cum propriarum opum periculo coniunctum.* Non possum

b Vera theologia Principis est, scire se habere animam quã saluare debeat, & quod aliquando rationes redditurus sit coram diuino tribunali, & quod sua conscien-

a Dionys. Halicarn. lib. 8.

tia sit veluti Commissarius quidam iustitiæ diuinæ, quæ promittit & minatur, accusat & excusat.

te celare,

1600. te celare, Domine Patriarcha, quamuis te semper compererim dextrum ac sincerum in omnibus tuis negotiationibus, tamen nunc me nescire, quid de te existimare debeam, propter ea quæ mihi proponis. Ego reuera te habeo pro homine ter optimo, Prælato virtuosissimo, & negotiatore sapientissimo. At ego tibi monstrare possum literas Ducis, quibus ad Iacobeum & Præsidem Rochettam scripsit, vt tractarent mecum soli; quippe nec tibi nec Legatis cæteris, qui tum in Regno meo erant, quicquam de intentione sua constare. Proposuit mihi, vt curarem quo Papa legatos deputaret, quorum vnus restitueret id quod ego teneo ad eius proprietatem attinens citra montes: alter vero procederet ad restitutionem eorum, quæ in me vsurpauit citra montes. Mihi vero hæc conditio admodum incommoda visa fuit. Et vt finiam, Domine Patriarcha, supplex Papam oro, ne in malam velit partem accipere meum responsum, qui mihi videor non posse iuste cogi ad deponenda arma, ad quæ capienda me Dux adegit & impulit: qui se ipse vltro & sine vlla vrgente necessitate præcipitauit in hoc bellum, in quod præter voluntatem meam intraui. Non autem hoc dico, quod velim irreconciliabilem reddere Duci, sed hoc semel pro semper dico, illum ita mecum hactenus egisse, vt in eius verbis fidere nec velim nec possim. *a* Alia media quærat, quibus apud me fidem reperiat, aut alios homines quam me quos fallat. Ex illis, quæ hactenus gessit, satis iudicari potest quid porro sperandum sit. Constat eum in plena pace vsurpasse viuente Rege eius summo benefactore Marchionatum Salutiarum, & allegauit pro omni ratione, qua permotus id fecerit, quod securius eum seruaturus & fidelius, quam Huguenotti, qui eum vsurpare conati fuerint, promittens stare iussui ac voluntati Regis. Ostendere possum epistolam, quam ad Regem perscripsit. Sed vbi de promissis interpellatur, omnis fides abijt. Iudica ipse, Domine Pattriarcha, an me possim in amicitia huius Principis fidere, qui durantibus Galliæ calamitatibus conatus fuit, vsurpare Delphinatum & Prouinciam, in quibus regionibus per arma sua infinitas ruinas & clades dedit, & in quas nullum aliud ius prætendere potest, quam earum commoditatem, & vt se magnum faciat cum vicinorum impendijs. Et Legatum eius apud Heluetios in amplissimo Conuentu Badensi, excusaturus apud tredecim Heluetiorum Pagos cupiditatem sui Ducis, & dixit, *b* liberos eius, quorum habeat ingentem numerum, descendere ex Regibus & Imperatoribus, & naturam parentum esse vt quærant modos eleuandi suos liberos, & prospicere ijs in tempore, dum vita & commoditas concedit.

a *Ei, qui peierare consueuit, semperq; apud eosdem fidem sibi esse iurato postulat, duorum alterum suppetere oportet aut Deos nouos, aut non eosdem auditores.* Æschin. in Ctesiphõt.

b *Habemus liberos paruos, incertum est, quam longa nostrum cuiusque vita futura sit. Consulere viui ac prospicere debemus, vt illorum solitudo & pueritia quam firmissimo præsidio munita sit.* Cic. Orat. 6. in Verrem.

concedit. Bellum, quod facio, non turbauit quietem publicam Christianorum. Paratus sum cedere, simulatque me contentauerit de multis iustis prætentionibus quas habeo in eius Principatus & ditiones ab eo detentas in præiudicium mei Regni. Nec dubitari volo, quin animus constet obseruandi tractatum Veruinianum: sed ab eo tractatu non obligor ad rem meam perdendam. Patriarcha videns argumentis allatis nihil responderi posse, supplicauit Regem vt consentiret aliquantam armorum cessationem: sed frustra, quia Rex exercitum quiescere noluit, donec vtramque arcem, & Burgensem in Bressa, & Montmeillanam in Sabaudia cepisset. Interea Patriarcham misit Lugdunum, vt ibi cum Consiliarijs suis quæ reliqua sunt deliberaret. 1600.

XII. Legatus † Regis Hispaniæ considerabat cursum belli ingenti cum dissimulatione, quasi Rex suus propterea nollet violari pacem publicam; quamuis non potuerit se continere quin diceret, præter affectionem naturalem, qua Duci Sabaudiæ & eius liberis iunctus sit, *a* æstimare se tantum Principem debere manum porrigere tam iniuste oppressis. interim tamen nullam protestationem fecit, per quam obseruatio Tractatus in dubium vocaretur. Similiter Rex dicebat, se obseruare amicitiam Regis Hispaniæ, quamdiu ipse suam colere non destiterit: sed *b* numquam se in eam difficultatem iturum vt inuitum amicum retinere postulet. Inde mandauit Marchioni Lullinio, vt se ex Gallia reciperet. Nam si Legatus semper suspectus est in plena pace, nulla ratio est cur ei fidatur tempore belli. Ideo sapientes dixere, principale officium Legati esse, explorare omnia, & Dominum suum de omnibus rebus certiorem facere. Olim illis custodes adiungebantur, non tam ad eos honorandos & comitandos per omnia loca, quam obseruandas & considerandas eorum actiones. Si Princeps, ad quem missi erant, eos videre & audire vellet, non fieri id permittebatur in ciuitate clausa, ne forte spargerent semina discordiæ & seditionis: neque in castris, ne vires recognoscerent. Quare Imperator Constantius procul à castris suis hospitari Legatum Magnentij voluit. Nam solus conspectus castrametantis exercitus antiquis pro diuinatione erat, quantus numerus & multitudo foret: quia si in crucis modum erat, paruus numerus videbatur; si in quadratum, maior; si in triangulum, multo maior. Verum eiusmodi consilia non sunt necessaria Principi bellum inferen-

a. Decet regno clarissimo præsidentem, iniquitate oppressis manum porrigere. IOSEPH. lib. 1.

b ἄκοντα φίλον ἑλεῖν ἐργῶδες: *Nolentem amicum capere difficile.* Xenop. de Factis & dictis Socratis.

1600. ti maioribus cum viribus, quam ſuſtinere is poſſit cui infertur. Requiruntur autem inter Principes æquales, quando ſcilicet metuitur, ne Legatus tractando & loquendo alios timefaciat, alios autem penitus in deſperationem adducat.

XIII. Rex † nolens perdere commoditatem temporis Gratianopoli profectus prandium ſumpſit Barrauldi, vbi viſitauit milites, qui erant Montmeillani. inde Marcas conceſſit, & recognouit Camberinum, in cuius ſuburbano exiſtens miſit Villeregium, vt cum Iacobeo vrbis Præfecto colloqueretur, eique demonſtraret periculum, in quod ſe cum cunctis incolis conijciant, ſi vim experiri conentur. Iacobeus comitatus Præſide Rochetta petijt à Rege dilationem, donec ad Ducem mitterent, eumque de toto rerum ſtatu certiorem facerent. Rex tridui ſpatium conceſſit. Incolæ interim diffiſi viribus ſuis & rebus conſulturi eum coegerunt tractare cum Regijs de reddenda vrbe in poteſtatem Regis. Qui in caſtello erant præſidiarij, pacti ſunt deditionem intra ſex dies, ſi non ſuccurreretur. Rex Buiſſium Nobilem Delphinatem Camberino Gubernatorem præfecit. Victor ergo regionis exiſtens reſoluit aggredi principale fortalitium, quo haberet ſemper vnde titulum teneret & ſeruaret poſſeſſionem. Occupandæ Tarentaſia & Morienna. Camberino degreſſus, hoſpitium in S. Petri Albigniani ſumpſit; poſtero die Confluentiam peruenit, vbi reperit Eſdiguerium iam ſubducentem militum manibus duo tormenta in apicem proximi montis. Vix quinquaginta exploſiones in caſtellum factæ ſunt, quum, amiſſis animis, deditionem offerre cœperunt, vita ſalua pacta: quibus tamen Rex miſertus ſuppellectilem, arma, equos cum omnibus impedimentis ex mera gratia conceſſit, contentus loco, vexillis & ſacramento, quo ſe obſtrinxerunt intra duodecim dies arma non ferre. Sane Princeps contentus eſſe debet victoria. Non mortuorum numerus, ſed ſubmiſſio hoſtium victoriam facit. [a] *Natura iniuriam facit, & humanitatis legem violat, qui vltra victoriam & ſuperatis hoſtibus iracundiæ indulget.*

[a] NICETA in vita Balduini.

Quemadmodum Confluentia verſus Tarentaſiam reſpicit, ita Carbonaria Moriennæ viam tenet, ſita in præcipitio montium, quorum valles Montem Ciniſium contingunt. Turris hæc Carbonaria fuit primum munimentum & ædificium, quod Comites Sabaudiæ in hac regione habuerunt. [a] Beraldus Dux Saxoniæ, primus Comes Moriennæ, ædificauit palatium in pace, & turrim

[a] Beraldus Comes Moriennæ vixit anno 1027. ſepultus eſt Arelate in eccleſia D. Virginis.

ſiue

1600.

ſiue propugnaculum tempore belli. Quod adhuc notabile eſt propter *b* natiuitatem Thomæ, Humberto III. gnati, Comitis Sabaudiæ & Principis Pedemontij Rex *c* mandat intercipi oppidum Aiguebellam, quod poſitum eſt in pede rupis, & turrim in rupe poſitam verberari nouem tormentis & duabus paruis bombardis, inde à ſummo mane vſque ad meridiem. Obſeſſi ita erant aperti, vt Rex eos omnes conſpicere poſſet, nec ſe mouere poterant quin conſpicerentur. Experientia format in rebus bellicis iudicia admirabilia, & qui afferunt omnem præſentiam omnemque vim ſuæ prudentiæ ad aliquam actionem è longinquo præuident quis ſit exitus futurus. Magna & ſublimia ingenia clarius vident cunctis in rebus quam vulgaria. Dum obſeſſi demorarentur integram fere horam in occulto, nec quiſquam ſe oſtenderet, nonnulli ex Regijs dicebant, præparare eos aliquam factionem, alij eos prandere. Solus Rex pro certo affirmauit, eos conueniſſe vt ſuper deditione conſultarent. Quod & verum fuit. Nam ſtatim poſt, quum Rex menſæ accumberet, ſigno dato colloquium petierunt. Tum omnes admirati præuidentiam Regis, qui tam bene è longinquo iudicauerit: & obſtupefacti quod obſeſſi ſe tam cito dederent. Hic euentus tam felix & verus dedit Regi occaſionem, vt ad Principes diceret circumſtantes, numquam ſe falli in iudicijs militaribus, & ſe expertum ea in re eſſe, ceu vetulos paſtores in notandis ſideribus & prædictione ſerenitatis aut pluuiæ. Oportet Regem omnia ſcire. Priuati pro conductione ſua contenti ſunt vnius virtutis miniſterio, Rex omnibus debet eſſe præditus. *a Cui maiore opus eſt prudentia, quam qui tantis de rebus deliberat? cui accuratiore iuſtitia, quam qui eſt ſupra leges? & cui modeſtia continentiore, quam cui omnia licent? & cui maiore fortitudine, quam qui omnia ſalua conſeruat?*

b. anno 1277.
c ſc. Crequio & Morgio.
DIO. CHRYSOSTO. Orat. de Regno & Tyran.

Obſeſſi collocuti cum Regijs, tantum fiduciæ in fide & verbo Regis poſuerunt, vt receperint in caſtellum Morgium Marechallum in exercitu Regio, cum quadringentis militibus antequã capitulatio conſcriberetur & ſignaretur: & tamen Rex promiſſis ſuis fideliſſime ſtetit. Nonnihil difficultatis ſuper vexillis facere conabãtur: ſed intelligentes, Regem nolle hoſtilia ſigna bis videre, & iam aliquot bombardarios paratos eſſe vt in eos exploderent, ni cedere vellent, locum reliquerunt. Rex vexilla ad Marchioniſſam Verneuiliam Lugdunum miſit, vbi etiamnum in Cathedrali eccleſia S. Ioannis ſuſpenſa cernuntur.

Inde Gratianopolim redijt, vt ibi medicamenta purgatiua

a Beraldus Comes Moriennæ vixit an-

1600. ſumeret de conſilio ſuorum Medicorum, mandans Eſdiguerio, vt cum exercitu Tarentaſiam duceret. Cui hoſtes ceſſerunt tranſitum Brigantionenſem & ſubducentes ſe in rupẽ inacceſſibilem ex omni parte, & frenantes tam arctè tranſitum, vt vel potentiſſimis viribus iter intercluderent. Eſdiguerius cognoſcens portam, quæ duos tantum pedes lata erat, non eſſe bene reparatam, & locum à ruſticis pluribus quam militibus præſideri, duo tormenta eo direxit, & ſex ictibus aperturam fecit. Iucundum erat videre milites ſubrepentes in altum per montana, vt intrarent per foramen perfoſſum, per quod in ipſam ſpecum conſpectus erat, contemnentes bombardarum ictus, pericula & præcipitia æque audaciter atque ipſam mortem. Adeo *a propter certaminis raritatem, propter rei de qua contenditur dignitatem & pulchritudinem, propter nominis denique immortalitatem, quæ ex victoria oritur nonnullis corporibus in diſcrimen oblatis grauiſſimisq; laboribus ſuſceptis, quoduis periculum adire non recuſant.* Capitaneus ab eis vulneratus fuit per bombardæ ictum, & omnes intus capti. Exercitus caſtrametatur Muſterij, vrbe metropolitana eius regionis, & victor euaſit vallium & montium totius Moriennæ & Tarentaſiæ, in quibus nullam difficultatem præter temporis ac hiemis repererunt: excepto Montmeillano, qui locus inſuperabilis eſſe omnibus videbatur.

a Æſchin. in Cteſiphon.

XIV. Et quamuis † propter extremam malitiam de Iuſtitia huius belli fundati ſuper ea ratione, quæ obligat Regem ad cuſtodiendum æque diligenter bona Regni, quam tutorem ad ea ſuæ tutelæ commiſſa, dubitari minime poſſit, tamen Rex voluit, vt cauſæ cognoſcerentur tam ab amicis, quam inimicis, & mandauit Legatis ſuis, vt eas amicis exponerent. *a* Qui nihil obliti ſunt eorum, quæ facere poſſent ad eleuandam cauſam Regis in altiſſimum iuſtitiæ verticem, & Ducis in profundiſſimum inconſtantiæ & irreſolutionis, ſine offenſione modeſtiæ, loquens de Principe, qui digniſſimus ſit tam proxima coniunctione cum Regno Galliæ. *b* Legatus Hiſpaniæ Regis apud Heluetios non ſiluit & ipſe hanc occaſionem, de qua totus fere mundus fabulabatur. Diſcurſus eius fuit, Regem Galliæ arma cepiſſe eo tempore, quo nemo aliud cogitabat quam vt gauderet dulcedine ac tranquillitate pacis, miſiſſe totum mundum in ſuſpicionem, obligaſſe proximos ad currendum ad ignem, & ſe opponentes oppreſſioni Ducis Sabaudiæ præuenire conſilia redigendi Italiam in ſeruitutem. Hac occaſione Comitem Fuentinum habere in mandatis ab Rege Hiſpaniæ, vt mi-

a Villerius Præſes in Parlamento Pariſienſi, Legatus apud Venetos conſcripſit doctiſſimum diſcurſum de cauſis huius belli.

b Alphonſus de Caſal, qui inter cætera in ſuo diſcurſu habet hæc verba: *Come queſto monimento di guerra mette il mondo in ſoſpetto, coſi obliga gli piu vicini al fuoco à ſtar con gli occhi aperti.*

litem

litem conſcriberet, pro aſſecurando Ducatu Mediolanenſi, & ſupplicare validiſſimam hanc Heluetiorum nationem vt ſibi accordare vellet conſcriptionem ſex mille hominum. Vikius Legatus Regius contra ea excepit, & in pleno conuentu omnium Pagorum demonſtrauit Regem plus patientiæ habuiſſe, quàm iniuria Regno facta non permitteret, nec voluiſſe prius venire ad arma, quàm vniuerſa Europa iudicaſſet Ducem Sabaudiæ parum ſinceriter procedere, & cogere ſuam Maieſtatem ad repellendam *b* iniuriam violentam in detentione Marchionatus Salutiarum. Non tamen potuit impedire, quo minus quinq; minores Pagi accordauerint aliquot militum collectionem, quæ tamen inutilis fuit. 1600.

b οὐδὲν ἢ τοῦ ἀλέξασθαι δικαιότερον: *Nihil iuſtius, quàm propulſare iniuriam.* XENOP. Cyropdæ. lib. 1.

XV. Non † prætereundum hoc loco eſt ſingulare exemplum generoſi & magnanimi Principis, ne temerè credat delationibus. Inter præcipuos Nobiles, quos Guichius Gubernator Lugdunenſis ſecum duxerat ad ſeruiendum Regi in expeditione Sabaudica, fuerunt Chazeulus & Burgius, quorũ vtriuſq; virtus ſæpe in armis comperta & perſpecta fuit. Rex & eos æſtimabat, deditque commiſſionem Burgio leuandi regimentum mille hominum in territorio Lugdunenſi. Qui vbi ad mandatum Regis exequendum abiit, inuidia, quæ ſemper ſe opponere ſolet meritis virtutis, & *a* quæ eſt ineuitabilis initio proſperitatum, ægrè tulit Nobilem, qui Ligam ſecutus fuerat, eligi inter tot alios ad ſeruiendum Regi in hoc bello, & inuenit imposturam ſatis potentem ad eum ruinandum, ſi Principem reperiſſet ita promptum ad iram, vt eſt ad iuſtitiam & clementiam. Spargebantur in cubiculo & anticubiculo Regis Schedulæ, quibus aſſerebatur, duos iſtos Nobiles, poſtquam fefellerunt attentationem in perſonam Regis in tranſitu fluminis iuxta Chamuſſetum, executionem reieciſſe in aliud tempus, nempe Morlerii perpetrandam. & Maieſtatem ſuam recordari debere, quod in itinere Chamuſſetano vnus ex illis ſentiens animum ſibi defeciſſe, ſubito ſe à Maieſtate ſua ſubtraxerit, & ad equitem quendam, qui à latere incedebat, conceſſiſſe. Satis hæc erant ad inflammandam iram Regis, & efficiendum vt illa procederet fulminis inſtar, quod rumpit & lædit, antequam fulgur conſpiciatur, aut audiatur tonitru. Sed Rex, qui in omni vita ſua ſecutus eſt præcepta Baſilii Imperatoris, quæ filio ſuo præſcripſit, in quibus & hoc; a *Improbis ne temerè credas*: recognouit has ſchedulas à prauis & inuidis ſuppoſitas eſſe, eo quod loco Burgii ſubſtitutus erat Chazeulus, in loco notato per ſchedulam. Eam Rex Guichio Guberna-

a *Fieri non poteſt vt liuorem quis quem in ſecundis reb. effugiat.* IOSEPH. lib. 1.

a μηδὲ φαύλοις ἀνθρώποις εἰκῆ πίστευε: BASIL. Imp. c. 55.

1600. tori Lugdunenſi monſtrauit, qui in continenti dixit meram eſſe impoſturam. Vocari Chazeulum iubet, magis vt ei confirmaret bonam opinionem, quam de eius fidelitate concepiſſet, quam vt ei monſtraret, talem ſchedulam ſatis ſufficientem eſſe ad conflandum ei vllum ſignum ſuſpicionis vel diffidentiæ. Et quia fama iam non amplius poterat tenere in ſecreto hanc malitiam, Burgio per literas mandari iubet, ne à leuando ſuo Regimento ſe dimoueri pateretur ob quamcumque rem, quam forte audiret contra ſuam fidelitatem afferri, de qua nõn deſideraret aliud ſpecimen, quàm eius animoſitatem, & executionem eius rei, quam ei iniunxerit. Quare Burgius, qui Lugduni erat, & iã intellexerat ſpargi de ſe res, q̃ ſibi numquam in mentẽ venerint, acceptis veredis cõcitatiſſimo itinere ad Regẽ rediit, appulitq; in tempore, quũ iam Rex à prandio ſurgeret, circũcinctus Regni Principib. Quem ſimulatq; Rex percepit, cur veniſſet rogauit. Domine Rex, reſpõdit Burgius, Lugduni fertur Eſpinaciũ velle Maieſtatẽ tuam interficere: adeſt Burgius, vt vobis eius caput præſentet. Rex reſpondit, habere ſe eum ꝓ homine fideliori, q̃ vt tale quid vel in cogitationem eius deſcendat; eos autem, qui talia ſparſerint, homines eſſe malignos & impoſtores. Viderunt, me velle opera veſtra vti: quemadmodum etiam faciam, vbicunque occaſio ſeſe obtulerit. Non potuerunt producere alium effectum ſuæ inuidiæ, quàm ſcribendo hanc ſchedulam: ſed non repererunt me tam facile credulum, vt ſibi perſuaſerant.

a *Nunquã calumniatores deerunt, dum cui perſuadeatur, extat.* IOSEPH. de Bell. Iudaic. li. 1. c. 17

rant. *a* Numquam Aulæ Principum calumniatoribus carent: ſed ille Princeps pauciores habet, qui non ſolet auſcultare, niſi vt non credat. Non facio, vt Reges mei anteceſſores, qui in omni vita ſecum circumferebant, quod à duobus aut tribus ſemel audiuiſſent. Nemo hominum eſt, qui melius nouerit mores Regni mei, quàm ego ipſe. Reperi tres partes in Regno. Qui Regem defunctum ſequebantur, ingentiſſimas mihi moleſtias crearunt. Ego ex tribus vnam feci: nulla amplius eſt diſtinctio. ego ſum Rex tam horum quàm illorum: & omnes habeo pro meis ſubiectis. Nullam differentiam facio inter eos pro affectione mei ſeruitii: at bene ſcio diſcriminare capaces munerum & functionum publicarũ. Et quod ad te attinet, numquam tui obliuiſcar, vbi occaſio poſtulauerit. Burgius gratiis Regi actis pro certitudine, quam accipere voluerit ſuper veritate, vultu apparuit afflicto propter tantam calumniam. Cui Rex, ſe iam ad Chazeulum dixiſſe, dolere ſibi quod te affligeres propter rem, quam nunquam credere voluerit, & adhuc teneat pro incredibili: rogauitque, numquem ſuſpectum de ſuppoſita

1600.

ſchedula haberet, aſſeruitque ſi quem declararet, daturum ſe poteſtatem abſolutam eum torquendi: & ſi quis eos *a* accuſaturus ſit, ſe habiturum ſemper accuſationem pro calumnia, tanquam crimen nimis alienum à cogitatione hominis Nobilis in tali qualitate conſtituti. quod ſi eiuſmodi ſchedulis credendum foret, neminem in tota Aula ſecurum fore in reputatione honoris & fidelitatis. Sed, adiecit Rex ad rumpendam inuidiam malignorum iſtorum hominum; Ito leuare tuum regimentum, & mihi crede, ſi mihi adduxeris cum induſtria numerum militum promiſſorum, æmulos tuos punies multo rigoroſius, quàm iuſtitia vnquam eos punire poſſet, ſi cogniti fierent. Nullum enim tantum tormentum hoſti conciliari poteſt, quàm bene agere. Vide exemplum memorabile bonitatis & iuſtitiæ Regiæ. In alio Regno, & ſub alio Rege, vix ſatis iudicum fuiſſet ad procedendum contra iſtos Nobiles.

a Quis innocens eſſe poterit, ſi accuſaſſe ſufficit? AMMIANVS li. 18.

XVI. De quibus quod † ſpargebatur, ipſa falſitate falſius erat: at quod de aliis duobus narrabatur, ipſa veritate verius fuit. Rex monitus fuit, *a* duos deſperatos nebulones eodem momento ſed diuerſis modis in mortem eius coniuraſſe. Simul & deſcriptio & effigies eorum ad Regem miſſæ. Vnus illorum recognitus fuit, & viſus bis terue valde prope apud Regem, voluens cum animo ſuo aliquam terribilem cogitationem. Idem Angelus, qui aliàs declinauit cultrum prodigioſum à faucibus huius Principis, ſuffocauit tam execrabiles conatus. Quidam ex fidis miniſtris, cui Villeregius copiam effigierum dedit, ad notandum & obſeruandum hunc nebulonem, videns eum aliquando propius ad Regem accedere, quàm deberet, admonuit Regem vt ſibi caueret. Sed Rex contempſit admonitionem, dicens, vitam ſuam dependere à Deo, & non à conatibus hoſtium ſuorum. Ne quidem voluit permittere vt comprehenderetur. Sinite illum, inquit; homo nefarius eſt: *a* eiuſmodi nefaria facinora non ſemper manebunt impunita.

Deus eum puniet, etiamſi ego à pœna abſtineo.

a miſſos ſc. & conductos ad execrabile hoc facin⁹ perpetrandum. Quorum vnus deprehenſus, & ter proximè Regem viſus fuit, primũ Ververii Camberinorũ, deinde in Miſſa, tertio cũ Rex melones ſcinderet.

a Θεοὶ οὔτε τῶν ἀσεβούντων οὔτε τῶν ἀνόσια ποιούντων ἀμελοῦσι: *Dii haud impunita relinquunt impia & nefaria hominum facta.* XENOPH. lib. 5. Cyropæd.

SVMMARIVM
QVARTÆ NARRATIONIS.

I. *Nihil est insuperabile.*
II. *Montmeillanum habitum pro munitißimo totius Europæ fortalitio.*
III. *Defectio Ducis Bironij.*
IV. *Obsidium Montmeillani.*
V. *Memorabile exemplum frugalitatis Regiæ.*
VI. *Dispositio tormentorum Regiorum.*
VII. *Pusillanimitas obsessorum.*
VIII. *Colloquium Comitis Brandisii cum Capitaneis & præsidiariis Montmeillanis.*
IX. *Capitulatio de Montmeillano.*
X. *Appulsus Cardinalis Aldobrandini Legati Papalis.*
XI. *Gestus & approximationes vtriusq; exercitus.*
XII. *Continuatio obsidionis arcis Burgensis in Bressa.*
XIII. *Legati Ducis Sabaudiæ apud Regem.*
XIV. *Obsidio & Capitulatio fortalitij S. Catharinæ.*

NARRATIO QVARTA.

QVOMODO *lucem diemq; omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit.* Nullus in posterum labor erit persuadere vel opinatissimis, nihil in orbe esse insuperabile, postquam exempla tot firmissimorum munimentorum, diuersis in locis & per primas Europæ vires expugnatorum & interceptorum omnem dubitationem sustulerunt. Consilia militaria executa cum tanta promptitudine, obedientia & iudicio, insidiæ tam subtiles & astutæ, machinæ tam potentes & terribiles, quàm vnquam fuerint, passim hoc verum esse euincunt. Nihil est, quà [a] radii solares penetrant, vbi non & homines ingredi possint; nihil tam constans & firmum, quod constantia & firmitas magnæ animositatis non percellat aut destruat. Itaq; plurima fortalitia, quæ videbantur nulla vi superari posse, postquam diu multumque sustinuerunt oppugnantium vires, tandem coacti fuerunt accipere cōditionem, quā necessitas imposuit, & nullum vnquam repertum fuit, quod non deniq; aut per imbecillitatem & extremam necessitatē obsessorum, aut per grandem perseuerantiam & inuincibilem resolutionem obsidentium, fuerit deditum aut captum.

TACIT. lib. 20. Annal.

[a] Radius Solis est aurū. Philippus Macedo, cum ei de munimento insuperabili nunciaretur, dixisse fertur, nihil esse insuperabile, quò asellus auro onustus ingredi possit.

Loca etiam excelsissima non sunt exempta à fulmine cœlesti non magis quàm humilia & in terris posita. Quicquid tormenta bellica possunt attingere, quicquid potest circumuallari, quicquid dependet à necessitate elementorum, cogi tandem potest ad accipiendam legem victoris. Machinæ bellicæ tam parum temporis obsessis ad resoluendum concedunt, vt sæpe intercepti fuerint in medio resolutionum. a Psammetychus non hæsisset triginta annos ante Azotam, b Græci decem ante Troiam, c Attila tres ante Aquileiam, d Alboinus quatuor ante Ticinum, e Baiazethus decem ante Trapezuntium, si tantundem tormentorum igniuomorum, quantum ballistarum & arietum habuissent. f *Nihil est tam arduum, quod animi fortitudine superari non possit.* 1600.

a Herodo. lib. 2.
b Dares Phrygius.
c Paul. Diaconus de Reb. Rom. lib. 4.
d Bapt. Egnatius.
e Chalcondylas li. 2.
f APPIAN. Alexand. de Bello Hispan.

Verũ quanto plus durat cõstantia, tanto deditio est honorabilior: sicut ecõtrà turpis & ignominiosa est, sine apparẽte necessitate, & sine vi aliqua & coactione maiori. Quare quib. cognitũ erat, fortalitium Montmeillanũ reputari vnum ex munitissimis locis totius Christianitatis, & qui viderunt eius figuram in chartis publicatã, & dispersam per totum orbem, cum castris Regiis, & forma dispositorum tormentorum, obstupefacti sunt, cum audiuerunt tam subito iugum suscepisse ab oppugnantibus. Tanti factus hic locus ab omnibus fuit, quasi foret in Epicyclo Martis positus, tutus à cœli ictibus & violentiis terræ. Rex ipse, per cuius animositatem res impossibiles reddi solent possibiles, dicebat, eum esse inexpugnabilẽ. Situs est in vertice altissimi montis. Fossarum loco sunt præcipitia rupium circumcingentium: propugnaculorum autem quinq; ingentia valla bene munita & sustenta multis forcipibus optimæ materiei. Vnicus tantum accessus est à parte oppidi, sed tam difficilis, vt penetrari non possit, quia fossatus, præcisus & vallatus vndiq;.

II. Nullum † fortalitium nominari potest forte, nisi oppugnationem sustinuerit: & mensurari solet fortitudo aut infirmitas alicuius loci magis per qualitatem obsidentium quàm per proprias vires. Hoc fortalitium valde æstimatum fuit à summis Capitaneis, qui prope considerarunt, nec intrare potuerunt, eorumq; iudicio habitum fuit pro inexpugnabili. Sed simulatq; potentissimus Rex appropinquauit in persona, qui animositate bellica Cyrum, persuasione eloquenti Carneadem, ingenio Themistoclem, sufficientia Periclem superat, statim ab omnibus dici cœpit, illud iam in eius potestatem esse. Hæc tamen iudicia non habebant aliquem fundum in consideratione ingentium virium: quæ maiores erant animo quàm numero. quippe initio obsidionis tantum copias sua

1600. custodiæ adduxerat, nec vlla spes erat disponendi & ordinandi siue tormenta siue assultus contra tantam rupem. Ab ipsis obsessis non poterat exspectari, nisi constantia digna loco & officio honestorũ militum. Sola reputatio Regis auctoritatem iudiciis conceptis præbuit, qui iam vniuerso orbi sæpius declarauerat, nihil vsquam esse, quo gladius suus non penetret, *a* instar aquilæ cui nullus aër est impenetrabilis. Et vt reputatio Regis asserebat felicem exitum, ita nihil maiorem fidem aut opinionem Regi ipsi conciliauit, quam id, quod Esdiguerius dicebat. Hic enim, qui semper in omnibus machinationibus suis anteà solitus est se benè informare de statu & conditione hostium, & qui existimat ad officium Generalis Capitanei pertinere vt exploratũ habeat quid obsessi possint aut non possint, dixit ad Regem, soluturũ se sumptus bellicos, nisi locus intra mensis spatium capiatur aut per vim aut per compositionem.

a *Omnis aer aquilæ penetrabilis.* EVRIPID.

Verum locus dicebatur fuisse malè instructus à munitionibus, & infirmatus per ingentes ruinas, quas neglexerunt reparare sub assecuratione pacis. Quæ negligentia nullam habet excusationem, quoniam qui Præfecti sunt locorum tanti momenti semper sibi persuadere debent, nullam pro se pacem esse, & id, quod custodiunt, satis valere ad pacem rumpendam, & quod *a* *inuadit temperatissimos morbus, validissimos phthisis, innocentissimos pœna, securissimos tumultus.*

a SENECA.

Comes Brandisius postea dixit, præuidisse se, vbi intellexerit Ducem non recepisse eam conuentionem, quam sibi promiserat ex profectione in Galliam, armis terminatum iri eam controuersiam, quæ tot collationibus resolui non potuit, & ideo monuisse Ducem defectus tam apparentes eo in loco tam in reparationibus quã prouisionibus, esse tantæ consequentiæ, vt is non amplius responderet reputationi, vt pro munitissimo totius Christianitatis munimento haberetur: & in eiusmodi extremis defectibus, nullum hominem esse tam parum versatum in practica rerum humanarum, qui non imprudentiæ esse ducat sese obstringere. Dux mandauerat quidem Carolo Risio, suo Architectoni, vt repararet dictos defectus, sed mandatum fuit neglectum sub spe pacis certissimæ. Verum quæ res debebat esse fortificatior, fuit animus Capitanei & militum præsidiariorum. Nam fortalitia sunt infirma sine fortitudine defendentium: nec vlla sunt imbecillia, si custodiantur ab hominibus validis. Ad minimum requiritur vt aliquanto tempore sustineatur, quod & fieri potest sine periculo vitæ aut honoris. Nã, vt *a* Brasidas dicere solebat, nullum est tam paruum animal, quod

Hæc sumpta sunt ex scripto edito per Comitem Brandisiũ, quo se excusat sup deditione ab se facta.

a Qui à mure inter ficus ari-

non possit vitam seruare, si animus non desit se defendendi. Præsidiarii Montmeillani constantiores erant ad mortem, quàm ad defensionem. Constantia ea generosa est, quæ fit pro defensione loci: sed ea satis generosa est, quæ comitatur animo non occumbendi quàm occidendo, nec moriendi quàm trucidando. 1600.

das comprehenso morsus eũ dimittere fuit coactus, & ad astantes dicere: Videtis nihil esse tam paruum, quod non possit vitã seruare, si animus adsit defendendi se contra aggressores. PLVTARCH

Rex persequitur victoriam, *b* cuius fructus eo dulciores sunt, quo minori cum periculo collecti fuerunt. Dux Sabaudiæ in continenti certior factus fuit, omnes ditiones suas, quas trans montes haberet, vallis Montmeillani esse inclusas: vrbem capitalem ab Rege possideri, cui Senatus Parlamenti fidelitatẽ iurauerit: & subiectos eius cunctos victorem sequi. Et tamen persuadere sibi ausus est, seruando Ilium suum Montmeillanum, hostes perdituros & tempus & honorem: recessuros tandem turpiter, & pro lucro pœnitentiam reportaturos. Eapropter scripsit ad Comitem Brandisium, & credens eum perseuerare in sua animositate, certiorem fecit de suo succursu, modo tantum temporis sustineret, quantum & virtus eius & ipse locus non posset recusare nec præcidere.

b ὁ πρώτη δεινῶν στρατηγῶν σοφία, κατὰ τὴν νίκην ἀκίνδυνον; *Prima egregiorũ Ducum sapientia, victoriam sine periculo comparare.* POLÆN. lib. Stratagem.

Comes in suo responso Duci repræsentauit augmenta necessitatum, & euidentiam desolationis, in quam redigendi essent sine præsenti succursu: & tamen, quemadmodum ferè *a* pauori iuncta est insolentia, iurauit, Montmeillanum fore sepulturam Gallorum, obtestatus Ducem vt promptè & alacriter veniret, sibiq; adduceret suppetias trecentorum militum. Interim Marchio non perdebat tempus disponendi tormenta bellica, & Comes Brandisius tam pepercit pulueri pilis suis, vt post deditionem superessent. Nec impediit, quo minus tormenta Regia disponerentur: quibus tamen positis nihil ei certius esse potuit, quam suorum depositionem. Rex per ditionem Geneuensem & Fossignanam profectus voluit recognoscere propugnaculum S. Catharinæ, alloqui Ducem Nemorosium Annessii, & prospicere æquè ea quæ erant retro posita, quàm ante pedes subiecta, vt monuit Sertorius, vt consideraret itinera montana, per quæ Dux transire putabatur. Dux Bironius interceptis Clusis ea iam ante notauerat.

a *Sempre è congiunto in vn medesimo sogetto, l' insolentia, cõ la timidita.* GVICCIARD. lib. 3.

III. Dux † Bironius, qui incipiebat se iam tum separare & seorsim stationem suam habere, omnia Regis animo contraria tentabat. Iam satis profunde se immerserat in conspirationem cum Duce, per quam inflammari aliud bellum in Gallia deberet, hoc est, conuerti Regnum in latrocinium, vrbes in cœmiteria, castra in parietinas, campos in laniænas, arbores in patibula, flu-

1600. uios in ſanguinem, vitam in mortem miſerabilem, horribilem & nefandam. Nam quicumque author eſt belli ciuilis, & qui rumpit neruos concordiæ publicæ, ſe appellare poteſt flagellum, ruinam, deſtructionem & peſtem Galliæ. Dux Sabaudiæ perſuaſus conſilia ſua eum euentum ſortitura eſſe, quem Pariſiis cum anima proiecerat, non magis ſollicitabatur de ruina ſuæ Reipublicæ, quàm Imperator olim Galienus de perditione prouinciarum ſui Imperii, quas ille comparare cum lixis & calonibus ſolebat. Non deſtitit à chorea, quam ducebat, cum ei nunciaretur, Regem ingreſſum eſſe in ciuitatem Camberinum, & aliquandiu ita ſe geſſit, vt videretur omnia conſentire velle, quæ Rex faceret. Audiebatur nonnunquam ex camerariis & cubiculariis eius, dicentibus, ſi Rex ceperit vrbes Sabaudiæ, Ducem ſuum capturum longè alias & multo meliores in Gallia. Finius ſemper iuxta Ducem Bironium hærebat. Rex bene poterat cogitare eum incubare prauum aliquod ouum, & ſatis iudicabat qua arte texeret exorſam telam. Ideo monuit Bironium, vt eum ab ſe amoueret: cuius conductio eſſet periculoſa.

Galienus de omnibus partibus mundi, cũ eas amitteret, quaſi detrimẽtis vilium miniſteriorũ videretur affici, iocabatur. TREBEL. POLLIO.

At vero Bironius non amplius conſilii capax erat: duo magni & violenti affectus, ambitio & vindicta, ita turbarunt iudicium eius, vt vltrà non poſſet ſequi aliud lumen, quàm propriæ opinionis. nam iis iam affectibus extra ſe pulſus erat; & duæ res contigerunt in bello Sabaudico, quibus impediebatur, quo minus poſſet ad iudicium ſuum redire. Prima fuit indignatio & zelotypia, quod videret omnem authoritatem gubernandi, omnem honorem tentandi, omnem conductum exequendi eſſe penes Eſdiguerium, qui Regi erat, qualis olim *a* Antipater Philippo Macedoni fuit. Verum Bironius, qui ſe talem æſtimari voluit, quaſi nihil ſine eo fieri poſſet, & ſicut Carthago non potuerit capi abſente Scipione, ita doluit ſe non eſſe principem obſidionis Montmeillanæ, quem in Ambianenſi. Rex ei authoritatem gubernandi in Breſſa dedit, æſtimans pro bono rerum Regni non poſſe ſe habere vtiliorem in exercitu Sabaudico, quàm Eſdiguerium, qui magis quàm vllus alius ſciret regionem, cognoſceret vires hoſtium, haberetque magnam authoritatem apud milites, & quidẽ talem, vt omnes crederent ei non minus facile eſſe *b* efficere quàm proponere. *Nemo magis idoneus ad conſilium exequendum, quàm ipſius author.* Ante omnes conſuluerat Regi, vt exercitum in Moriennam & Tarentaſiam traduceret. Æquum erat, vt præſtaret quod conſuluerat, interim dum Rex moratur in obſidione Montmeillana: & non erat eius ingenii, qui permittere potuiſſet, vt alius quàm ipſe gubernaret: & quam-

a Philipp⁹, Alexandri M. pater, reprehenſus quod in claram vſq; lucem dormiret in tanta rerum gerẽdarũ multitudine, reſpondit, ſecurè ſe dormire, dum Antipater Vicarius ſuus vigilet. PLVTAR.

b IOSEP. lib. 2. Ant. cap. 4.

1600.

quamuis sciret, qualis honor deberetur Principi sanguinis Regij, tamen cum Comes Suessionensis in Tarentasiam venit, paruit quidem eius mandatis, sed si diutius subsistere voluisset, tum indubie ipse se subtraxisset, fecissetque quod Hispani solent, quorum mos est vt duobus summis Capitaneis in eodem exercitu conuenientibus, alter alteri locum cedat, nec patiuntur vmquam, vt duo Generales Duces sint vno eodemque exercitu, non magis quam duo dij in eodem Templo, sicut responderunt Sacerdotes Marcello, qui volebat dedicare vnum templum Honori & Virtuti. Simulatque Dux Nemorosius locutus fuit cum Connestabili Castiliæ, seorsim stationem facere cœpit, ne cogeretur mandatis eius obsecundare. Erat enim animo elatiori & generosiori, quam vt posset pati alienum imperium. *a Cum Duces in diuersas sententias sunt secti, atque alij hanc, alij aliam probant, nihil eorum, quæ consuluntur, peragitur, sed vnusquisque ægre ferens suam sententiam non valuisse, negligentius ad rem gerendam accedit.* Mali euentus placent ei, qui non dedit consilium, semperque dicit, eos feliciores futuros fuisse, sibi si fides fuisset habita.

a AGATHIAS lib. 4.

Altera fuit, quod Rex ei denegauit dispositionem arcis Burgensis, si caperetur. Denegatio fuit fundata non solum super varijs monitionibus ad Regem missis, vt caueret sibi à Bironio cui tam bene cum Duce Sabaudię conueniret: sed etiam quia non est disponendum de gubernatione loci nondum subacti non magis quam de venditione pellis vrsi nondum capti. Verum ea denegatio fundata fuit super tribus magnis cōsiderationibus. Prima, quia tutum esse non videbatur, vt locus tanti momenti committeretur ei, qui suspectus esset de conspiratione cum hoste inita. Altera, quod Gubernatores prouinciarum, qui supremas pręfecturas in exercitu gerunt, non debent custodias locorum & fortalitiorum tenere. Tertia, quia voluntas Regis erat hoc fortalitium, tanquam clauem Regni aduersus Italiam alicui commendare, qui immediate à sua Maiestate dependeret. Ita ambitio gubernationis, & indignatio denegationis impulerunt Bironium, tanquam ignem missilem iactatum in aerem à vento & igne, ad resolutiones tam nefarias, vt ipsemet horresceret cogitando. Sed quia eas nemo scire potuit, nisi de eius propria confessione, & cui in arcanis reuelare voluit, discursus hic iungendus erit cum eo, quem de eius processu iudiciario habebimus, & de detectione conspirationum eius, quas putauit satis esse secretas, quód non essent cognitæ nec diuulgatę. Sed *facinus in solitudine patratum, nec vllius iudicio proditum, à fato ipso omnium, & humanarum actionum inspectrice iustitia indubitatis argumentis euincitur.* Interim

Apologus vrsi, quem Imp. Fridericus III. recitauit Deputato Ludouici XI. Regis Galliæ, offerenti partitionem terrarū Comitatus Carolæsiani.

Dionys. Halic. 7. li. 12.

1600. non poterat dissimulare dolorem; quem conceperat ex eo, quod ab obsidione Montmeillani exclusus esset, æstimans sine se capi non posse.

IV. At vero † nulla ratio fuit, cur Princeps inter ipsos etiam hostes pro Rege Capitaneorum reputatus, voluerit leuiter aggredi expugnationem eius fortalitij, vt in medio dein cursu subsisteret, nisi certus fuisset, quod vt habuit iudicium aggrediendi, ita animus & virtus exequendi non defutura sit. *Multa magnis Ducibus, sicut non aggredienda, ita semel aggreßis non dimittenda, quia magna famæ momenta in vtramque partem fiunt.* Qui moleste ferebant ignem in Gallia esse extinctum, ad quem se calefacere consueuerant, dicebant Marchionatum esse prætextum, & Neapolim aut Mediolanum veram causam belli: Galliam nimis diu vexatam furoribus armorum velle dare eundem ludum suis vicinis, nec proponere sibi in posterum pro maribus aut montibus alios limites, quam punctum gladij sui Regis. Italia iam se repræsentabat in summis Alpibus, vt Stasicrates voluisse fertur repræsentare Alexandrum Magnum in vertice montis Athi.

Rex Capitaneus Regum.

Tit. Liuius.

Papa bene recognouit hanc scintillam sufflammatam ab Aquilone posse excitare ingens incendium, & ignem vltra montes flagrantem bene posse ferri citra eos, sicut calor inordinatus, si negligatur, conuertitur in febrem, & extenditur per totum corpus.

Dux Sessanus, Legatus Regis Hispaniæ apud Papam Romæ, vir valde prudens & intelligens rerum humanarum, Papæ repræsentauit ruinas & desolationes infinitas, quæ ex continuatione huius belli oriri possent; *a* Turcum etiam victoriosum in limitibus Archiducum Austriæ, & paratum facere ingentes progressus contra Christianos, interim dum Principes isti, quos omnium acerrime timet, inter se belligerantur, & populi totius Europæ bellicosissimi conantur tanto furore in commune exitium inuicem ferri. Quare Papam precatus est & supplicauit, vt dignaretur nepotem suum ad Regem mittere, vt sisteret cursum armorum, & rediret ad executionem tractatus Parisiensis. Papa, cui displicebant diuisiones Principum Christianorum, accordauit celebrem hanc & illustrem Legationem Cardinalis Aldobrandini sui nepotis, qui iuuenis quidem ætate, sed non prudentia & iudicio, noluit discedere Roma, nisi prius Dux Sessanus promitteret Papæ, ratum habiturum esse Regem Hispaniæ, gratum & acceptum obseruando Ducem Sabaudiæ, quicquid tractaturus esset. Cum hac asse-

a *Noi habiamo il Turca alla porta, habiamo a i fianchi, e cerchiamo materia di guerra o piu giusta o piu honorata.* BOTERO.

cura-

1600.

curatione Mediolanum venit, & eadem promiſſa à Comite Fuentino impetrauit manu eius ſignata. Qui omnia promittebant, modo Cardinalis reduceret Gallos ex Marchionatu Salutiarum, & omnibus locis in Pedemontio occupatis, quod tales vicini non minus ſuſpecti Ducatui Mediolanenſi eſſent, quam Spartani olim Meſſenijs. Recognouit tamen animum Comitis Fuentini prorſus ſpirare bellum, quod non poſſet pati vt exercitus ſuus in otio torperet, qui languebat expectatione alicuius executionis, quum *a* exercitus labore proficiat, otio conſeneſcat. Quare ipſe, qui nunquam venturus in Galliam fuiſſet nec propter Marchionatum Salutiarum, nec propter totam Sabaudiam, nec diſceſſiſſet à præſentia ſui patrui, nec reliquiſſet tam magnam & eminentem authoritatem in Curia Romana, & *b* abſolutam diſpoſitionem ſummorum totius orbis negotiorum, niſi Zelus pacis eum permouiſſet ad hanc Legationem, dixit ad Comitem Fuentinum, ſe hoc iter ſolius Regis Hiſpaniæ reſpectu ſuſcepiſſe, & ſi Ducis tantum Sabaudiæ cauſa verteretur, numquam ſe tam longe à Conſiſtorio abſentaturum fuiſſe. Ideo nolle ſe progredi vlterius, niſi prius ſibi fidem obſtringeret, coacturum ſe Ducem Sabaudiæ ad obſeruanda omnia ea, quæ tractaturus eſſet, & ſe obligaret ad retrahendas vires Regis Hiſpaniæ, ſi forte ſe difficilem præberet. Comes Fuentinus, qui non reſpiciebat, niſi ad ea ſeruanda, quæ citra montes ſunt, ceu repagula Mediolanenſis Ducatus, petitis annuit, modo tranſitus reſeruaretur Hiſpanis pro expeditione libera in Belgium. Cardinalis certus horum ſponſionibus, circumciſo & relicto Alexandriæ comitatu ſuo, cum paucis Turinum venit, finxitque ſuam intentionem eſſe non aliam, quam præſtationem voti, de peregrinatione ad Diuam Virginem Montis Viſij, facti, in tranſituque noluiſſe quin Ducem ſalutaret. Dux conqueri cœpit de amiſſione ſuorum Principatuum, iurauitque miſcere cœlum terræ, aut ſe vindicare. Legatus frigide reſpondit, repræſentans neceſſitatem pacis, bonum concordiæ: & quod debeat deſiderare conſeruationem ſuorum amicorum, *a* qui ſunt ſceptrum Principibus veriſſimum. Inſuper adiunxit, valde ſe dolere rebus eius tam afflictis, & ſi poſſet aliquod remedium adhibere, libenter ſe iturum vel Camberinum vſque. Dux tum ſupplicauit, ſuſcipiendi eum laborem, affirmauitque ſancte ſe numquam facturum voluntatem aut reſolutionem contrariam ei, quod deſideraret & reſolueret in tota hac negotiatione. Sub hac aſſecuratione, & pro-

a Dictum Vegetij.

b Papæ fere omnium rerum ſummam Cardinali committunt ſibi proxima cognatione iuncto.

a οἱ πιστοὶ φίλοι σκῆπτρον ἀληθέστατον. XENOPH. Cyropæd. lib. 8.

miſſo

1600. misso sibi facto, nihil se tentarum præter succursum Montmeillani montes transiit. Et quia metuebat ne Rex in tanta victoria nollet paci auscultare, minus vero accordare aliquantas inducias, & ne inæqualitas redderet cunctas rationes inæquales, non consultum esse iudicauit, vt Dux secum Legatos mitteret, nisi prius de voluntate Regis constaret. & ideo amandauit Herminium secretarium suum, qui Regem de profectione sua certiorem faceret, & de desiderio quod hab ret seruiendi Maiestati eius non in continuatione belli, sed in restitutione pacis.

Rex tum morabatur Annesij, vbi Herminio audientiam præbuit, qui à Patriarcha perductus, dixit, Legatum Dominum suum missum esse à Papa ad extinguendum ignem huius belli. Rex se excusauit propter victorias, quas obtinuisset, & præiudicium quod allaturus rebus suis esset, si nunc recederet à puncto, quod promouere deberet, & contemneret commoditates atque occasiones, præsentatas in hac expeditione per considerationem *a* temporis & loci. Interim tamen non dubitare iussit, quin Cardinalis gratissimus sit futurus aduentus respectu Sanctissimi Domini Papæ & propter merita ipsius Cardinalis priuata, & propter causam Legationis eius, quam hostes publice iactarint, eam in fauorem *b* Ducis Sabaudiæ institutam esse. se vero attribuere omnia pietati, prudentiæ & solicitudini paternæ Sanctissimi Domini Papæ, cui de se ipse spondeat, se tam promptum esse ad pacem promouendam, quam inuitus ad bellum pertractus fuerit, nec vnquam modos eius recusare, modo cum honore & securitate coniuncti essent, alioquin se resolutum esse non pati vllam iniuriam à Duce Sabaudiæ aut eius fautoribus. Herminius alias quasdam propositiones fecit, quarum responsum reiectum fuit Camberinum, quo Rex intra quatriduum peruenturus sit. Rex Annessio digressus Bellefortium contendit, vt recognosceret transitus montium, qua Dux venturus putabatur. Misit etiam Bironium vt contemplaretur transitum ad D. Virginis Gorgianæ, aliosque prorsum inaccessos & penetrabiles tantum vrsis & rupicapris.

a. *Qui circa res gerendas versantur, omni prorsus commoditate priuantur, nisi & loci & temporis & causarum neque occasionum omnium ratio constet.* POLYBIVS.

b. Cardinalis Aldobrandinus poterat reijci vt suspectus in hac negotiatione, quia est Protector Sabaudiæ, vt Cardinalis Iousa Galliæ, Card. Iesualdus Regnorum Neapolitani & Portugalliæ, Card. Madrutius Germaniæ, Card. Deza Hispaniæ, Card Matthæus Hiberniæ, Card. Foroiuliensis Venetiarum, Card. Montaltus Poloniæ, Card. Farnesius Arragoniæ.

Rex montem ascendit vsque ad transitum Cornetanum, vbi prandium sumpsit in specu cuiusdam rupis, vt tutus esset à niue, quę totum montem cooperuerat. Agite delicati, & exemplum à Rege vestro capite, disciteque magnas actiones nunquam coniungi posse cum delicijs; nec quidquam minus generosum haberi

1600.

quam voluptatem. Et tamen hodie miramur, Athenienses, *a* populum delicatum & iactabundum obtinuisse victoriam Marathoniam. Et notatæ fuerunt duæ virtuosæ considerationes, dignæ admiratione & imitatione, & quæ ad nullum quam ad hunc Principem pertinent, qui veluti Cyrus educatus fuit inter montes, vbi proueniunt magnæ animositates, & complexiones fortissimæ & vigorosissimæ, & nutritus medulla Lugdunensi, vt Achilles & biscocto ferreo ac chalybio, ceu Hercules. Prima fuit, constantia eius infatigabilis ad superandum omne genus difficultatum, quo prouidere posset securitati sui exercitus, & cognosceret loca, per quæ hostis transire putabatur: altera vero, vigor ingenij ac naturæ, & illa alacris & audax resistentia contra iniurias aeris. Numquam Princeps delicatus fuit diuturnus. Milites patienter tempestatem in plano durarunt, sub capite tam duro & constanti ad labores. Ignauia nullam habet excusationem vbi Generalis ipse præcedit, & exemplo præit sequentibus.

a *Homines quanto voluptates opulenti, tanto magis imbelles.* TACITVS.

Hoc exemplum frugalitatis, vt tantus Rex in tam horrido & niuoso loco tanta cum voluptate cibum sumere pro bono regni sui voluerit, confundit eos, qui medijs in armis viuere student vt in vrbibus, & argumentum præbet opponendi illis, qui hodie dicunt, Francos non posse cubare sine foco nec dormire sine lecti velamentis: contra morem plane veterum *a* Francorum, de quibus olim dicebatur, eos non nisi algentissima bruma bellum gerere.

a *Francis æstus valde est inimicus & grauis. Brumæ tempore vegetantur, validioresque fiunt, & tunc commodissime bellum ferunt.* AGATH. lib. 1.

Postquam Rex explorauisset itinera, per quæ hostis transire posset, discessit Bellefortio, hospitiumque Gillij sumpsit prope Confluentiam, vbi verissime demum informatus fuit de conditione obsessorum, qui non amplius nisi in seipsis sperare poterant, cum impossibile esset vt Dux Sabaudiæ illis subueniret nisi copias suas dimittere per machinas voluisset ex montis vertice, vt Dij olim in comœdijs auxilia sua ἀπὸ τῆς μηχανῆς.

Rhosnius Magnus Magister Artilleriæ, vrgebat & instabat verberationem tanta cum diligentia, vt omnes mirarentur eius conductionem in tanta instrumentorum bellicorum multitudine, quæ triginta erant maiora tormenta, & decem minora, cum omni eo quod requiritur ad facienda quadraginta millia ictuum. Ordo, quem dederat vecturæ, erat admirabilis. Nunquam instrumenta bellica *a* peruecta fuerunt minori cum incommoditate & maiori subleuatione populi, adeo processit iustius, no vsque Montmeillanum.

a Parisijs & Aureliano

1600. quam ipsa belli iustitia permitteret, persoluens mercedem pro vnoquoque centenario de loco in locum, quantam mercatores persoluere consueuerunt. Sed tanta eius fuit diligentia, vt prius ferme finierit obsidionem, quam inchoauerit. Et quamuis *b satis celeriter fit, quicquid commode geritur*, vt Augustus dicere solebat, tamen hæc diligentia nihil profuisset tempore tardiori propter incommoditates hyemis, & conquisitionem Sabaudiæ in aliud tempus differre coegisset. Etiam diligentia parum effecisset, nisi commoditate fluminum Saonæ, Rhodani & Iseræ adiuta fuisset, quibus instrumenta bellica perue&ta ad locum vsque fuerunt centum modo passus distantem. Et qui considerauerit, quod pro conducendis per terram quadraginta tormentis maioribus mille equi requiruntur, viginti equi pro vnoquoque tormento, triginta *c* carri à viginti sex equis tracti pro mille globis missilibus; & quod ad quadraginta mille ictus inferendos opus est centum milliarijs pulucrum: & quod pro vehendis fustibus, rotis, chordis, tentorijs, vtensilibus opificum, fossorum, cæmentariorum, vietorum, foricularum, verinorum, trochlearum, & aliorum instrumentorum bellicorum, necessarij sunt ter mille equi; iudicare habebit, quamuis potentia maximi Regis non terminetur, & in parilibus necessitatibus fieri possit, quod olim *a* Carolus VIII. fecit expeditionem in Regnum Neapolitanum ducens, & *b* Mahometus II. in obsidione Bellogradensi, impossibile tamen fuisset tantam molem instrumentorum aliter quam per aquas transuehere. Mareschallus Bironius in Bressa quinque tormenta & alias munitiones habebat, quibus octo millia ictuum explosit. Ea iussus fuit ad obsidionem Montmeillanam transmittere. Iter per montem Cattensem impossibile videbatur, per Delphinatum vero nimis longum. Repertus modicus fluuiolus, qui nulla vmquam nauigia, præter lembos piscatorum, portauit. cui imposita tormenta, & in lacum Burgetium perducta, vbi Boreas tam fuit fauorabilis, vt spatio quatuor horarum ad portum appulerint, adeo videbantur aqua terraque Sabaudicæ conspirare cum exercitu Regis contra Ducem. Inde obsessi valde attoniti sunt, cum intra tantillum temporis quadraginta maiora tormenta in nouem locis disposita viderunt.

Sed quid interim Dux fecit, dum Rex regnat in eius Ducatu, & Esdiguerius racematur omnes valles Moriennæ

b Sext. Aurelius Victor.

c carrus tribus equis tractus vehit tantummodo vnum milliarium, id est, decies centena millia pondo.

a qui montem Apenninum transiturus singulis peditũ cohortibus singula tormenta dedit trahenda, & vnicuique militi equestri globum missilem in arcu sellæ vehendum.

b qui tormenta in fragmina dirupit ac comminuit, vt à militibus portari possent, & in castris locatis iterum fudit. BONFINIVS lib. 8. Decad. 3.

& Ta-

& Tarentasiæ? Qui Regis apud eum erat Agens, petita venia, Turino profectus ad Regem Gratianopolim venit, eique retulit, Ducem de nulla alia re, quam de alea prœlij subeunda loqui, & minari pugnas certissimas. Rex respondit, repertum se rationem, qua hanc ei phantasiam eximeret. Nemo tam iniurius esse debet in Principem *a* virtute eximium, & aliquando fortuna, semper animo maximum, vt æstimaret eum complicatis brachijs quieuisse, dum Annibal in Principatu suo cernebatur. Hispani, qui volebant in eum vindicare profectionem Parisiensem se inuitis institutam, dicebant, copias suas diuelli non posse, nec vires separari ad conseruandum Pedemontium missas. Dux volebat tria millia Hispanorum ad defendendam Tarentasiam transmittere, sed nullo modo vt procederent cogi potuerunt. Quod si consentire & obsecundare voluissent, Dux conatus fuisset in Prouincia aut Delphinatu aliquid moliri, vt reuulsionem & diuisionem facere Regem suarum virium cogeret. Sed iam pridem olim illi, qui auxilijs Hispanorum confidere voluerunt, experti cum damno sunt, eos malle morbum alere quam promouere sanitatem: quippe quorum hæc regula militaris est præcipua, non se diuidere, & semper vnum corpus siue exercitum facere: & sacramentum hoc supremum, nihil sine ordine facere, in cuius expectatione magnæ occasiones perduntur. Nam distantibus terrarum spatijs consilia post res adferuntur.

1600.

a verba Velleij Paterculi de Mithridate.

Igitur Rex, postquam prouidisset in futurum, & impediuisset transitus, Montmeillanum venit. Ibi continuo ad Comitem Brandisium misit, qui rogarent, si eo die ab explosione cessare vellet, se idem in castris facturum. Quod ille accordauit tam facile, vt satis inde coniectaretur, velle eum tanto Principi nihil recusare.

Nec ignorabat Rex obsessorum conditionem. Nam præter quod in in erceptione Montmeillani reperit rotulos & chartas & munitiones, semper aliquis militum per muros euasit, qui renuntiaret, & locum repræsentaret esse in horridissimo & miserrimo statu, quem exprimere poterat tam pro fugæ excusatione quam quod res ipsa se ita haberet. Multi è muris se demittentes, antequam premerentur vlla vi necessaria, sibi ipsis prius deesse voluerunt, quam res vlla deesset. Et cum per portam honorabilis compositionis egredi potuissent, ta-

1600. men turpiter & ignominiose præcipitantes maluerunt inter rupium præcipitia perire quam honeste pugnando.

Homines magnanimi, & qui malunt in terra putrescere per mortem honorabilem, quam in vita ociosa & ignominiosa nuttiri, desiderant eiusmodi occasiones vt se tinguere in sanguine hostium possent. Quemadmodum temeritas est, opiniose locum tueri, qui non possit teneri, ita est ignauia non tueri illum, qui teneri potest. Romani *a* imposuissent arieti ignominiæ causa, & maiores nostri tormento bellico, qui tale quid Montmeillani commisisset. Interim tamen certum est, opus habuisse quibusdam reparationibus. Nam ictus cuiusdam tormenti ex verberatione Regis perforauerat murum, & globus penetrauit vsque ad casemattam, qui si vlterius penetrasset, sine dubio finem verberationi imposuisset incenso puluerum & aliarum munitionum bellicarum promptuario.

a Olim arieti imponebatur bellico, qui deliquisset: & adhuc inter nos dici solet, *Tormentum inequitet*. Ita Euphrosyne: *Arieti mœnia percutienti equitantis instar imposita fuit* NICET. 1. Andron.

Comes Brandisius videns nullum sibi auxilium aduenire, & existimans, nihil minus Capitaneo conuenire, quam *a* temeritatem, non contempsit persuasiones, quas necessitas & monita amicorum præsentabant vt de sua salute cogitaret, quum de loci salute iam desperatum esset. Rex ipse cum moneri voluit, ne opiniositate sua se perditum iret. Tam præparatus & dispositus ad id fuit, in continenti vt resciri potuerit, quam resolutionem accepturus esset. Comes congregatis Capitaneis & Nobilibus, qui secum erant voluit deliberare cum eis de salutari aliquo consilio, ne offenderet seruitium sui Principis, neque irritaret potentiam tanti Regis & prouideret saluti communi omnium. Si animus erat resistendi & defendendi, non opus erat deliberare nisi cum eis, qui in eadem essent resolutione, & satis iudicare poterat timorem semper permoturum opinionem contra debitum, & pauidis consilia semper in incerto esse. In eorum ergo Conuentu ita dicere orsus est: Domini, dum cogito nos tenere hunc locum nomine nostri Principis ad eum conseruandum vel cum vitæ nostræ periculo, video nec metu periculi, nec desperatione auxilij, nec rigore afflictionis nos deberi ab officio solui: sed dum cerno vicissim statum, in quem redacti sumus, extremitates quibus premimur, absentiam ac distantiam nostræ spei, & infirmitatem nostrarum virium, cogor dicere, tandem voluntates nostras redigendas esse ad id quod potest fieri, & superbum esse

a *Nihil Imperatori bono quicquã minus quã temeritas congruit.* SEX. AVR. VICT.

1600.

SENEC. ad Polybium.

velle quod est impossibile. *Duces rebus afflictis hilaritatem de industria simulant, & aduersas res adumbrata lætitia abscondunt, ne militum animi, si fractam Ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur.* Ego tacui & operui, quantum potui, necessitates quibus circumdamur: sed cum nunc & ipsi eas æque videatis & sentiatis non minus quam ego, cupio scire quid iudicetis de exitu huius obsidionis. Ego vos obtestor per debitum, quo Serenissimo Principi nostro obligati estis, per vestram fidelitatem, per vestros honores & conscientias, vt consideretis electionem duarum rerum, ex quibus tamen si fieri posset, neutram desiderarem, id est, vel defendere locum ab armis Regijs vsque ad extremum halitum, & reddere animam simul cum loco, aut capitulari de deditione intra tempus longissimum quod obtineri posset. Si prius accipiamus, non poterimus effugere nostram ruinam nec perditionem loci: si necessitas nobis permittat vt accipiamus posterius, poterimus Duci nostro tempus dare ad res suas constituendas, aut nobis auxilia suppeditanda. Nolite cogitare, me ex ignaua quadam apprehensione periculi hos sermones ad vos proferre, qui non possem in tota vita mea gloriosiorem mortis viam, nisi hanc ipsam, reperire. Quicquid fieri potest pro saluanda vita, ego faciam pro oppetenda morte, & quicquid aduersi contigerit, semper mihi ante oculos erit officium boni Capitanei, huius est non prospicere de se saluando, sed cogitare de salute suorum. Accipite igitur hanc propositionem, quam vobis facio; & interim dum deliberatis resolutionem, nolite monstrare socijs vestris nec pauorem animo, nec desperationem verbis, & in omnibus vestris resolutionibus conijcite oculos vestros non tam in id quod desideratis, quam in necessitatem quæ vestris desiderijs legem præscribit, & recordamini quod *qui in improuisa mala incidunt, digni commiseratione, qui in apertum discrimen se iniiciunt, exprobrationibus & maledictis incessantur.*

Dictum Agrippæ apud IOSEPH. li. 2. cap. 16. de Bello Iudaic.

Hæc oratio non eundem affectum in omnium animis inuenit. Quidam repræsentarunt sibi, non esse crimen horribilius, nec detestabilius, quam dedere locum munitissimum sine extrema & euidentissima violentia, & recordati sibi à Principe hunc honorem habitum, vt in manus commiserit fidem & custodiam eius loci, quod vnicum est propugnaculum totius Sabaudiæ, dixerunt expectandum esse auxilium, & periculum posse deflecti fauorabili aliquo & inopino casu. Alij referentes opiniones suas ad tempus & non ad incertitudinem accidentium, secuti sunt partem securiorem & faci-

1600. liorem, & audientes omnium maximè miserabile esse claudi obsidione, suauiter pauori adulati sunt, imprimentes animo suo summas anxietates, timores longe terribiliores ipso malo. Adeo vt vel constantissimi vacillare cogerentur in tanta perturbatione. Tandem omnes in id consenserunt, esse salutare vt prompte nunc vltro fiat, quod deniq; per vim facere cogendi sint, & visum est vt comes prouideret honorabilem capitulationem tam ipsorum saluti communi, quam seruitio Principis, & vt faceret per prudentiam, quod non posset impetrare per obstinationem. Creditum fuit hanc resolutionem effectam quibusdam promissis fuisse. Nam qui metuunt, promissis demulcentur.

Natura pauoris est, vt cum omnia timeat, præsentia maximè displiceant. TACITVS.

χαίρουσιν ἐπαγγελίαις δεδιότες APPIAN. de Bello Hispan.

IX. Comes † Brandisius instrumentũ componit signatum per Capitaneos & cæteros officiales præsidij, super quo tractare cœpit, & promittere, si intra decimum sextum diem mensis Nouembris insequẽtis auxilium non veniret, tantum vt ab eo cogeretur Rex obsidionem soluere, dediturum se arcem in manus Regis. Obsides dedit, vt verbis fidẽ faceret, qui Gratianopolim missi sunt. Capitulatio missa ad Ducem Sabaudiæ fuit per equitem Bricheratium, triduo postquã conclusa fuit, cum literis Comitis Brandisii, quibus in hanc sententiam ad Ducẽ scribebat: Se suosq; passos fuisse & adhuc pati omnia, quæ humanitus pati possunt, præter infinitas indignationes & amissionem plurimorum hominũ combustorum, etiã ab igne vnde pulueres tormentarij incensi fuerant.

Obsides dati à Brandisio Ranceus Locũtenens & Cassius nepos.

Regem bene informatum de ipsa arce petiisse iam ter aut quater literis sua ipsius manu scriptis deditionem eius, inq; persona in oppidum subiectum quater venisse, vt responsum haberet: quod tamen se distulisse, vsquedum vidisset nouem verberationes in circuitu dispositas totius arcis, & instructas quadraginta maioribus tormentis murarijs.

Optimi Principis officium, non solum resistendi, sed cedendi prudenter tempora perspicere. POLYB. lib.3.

Ducem considerare debere, se obsessum esse ab exercitu Regio, in quo tres generales Vicarij sint, Dux Espernonus, Mareschallus Bironius, Esdiguerius cum bono numero Principum & Magnatum. Et cum nihil de Duce intelligere potuerit post literas XV. Augusti datas, perdidisse se omnem auxilij spem, & ad considerandum prõ posuisse omnibus Capitaneis, an tentare vellent, vt impetrare possent terminum sufficientem pro tempore, quo interim Dux aut succursum mitteret aut de pace componeret.

Æstimasse se, dilationem meliorem esse subita perditione, & ideo ingressum in tractationem petijsse multo lõgiorem terminum, quam impetrare potuerit non obstantibus defectibus omnium vi-

ctuali-

ctualium præter frumentum & orizam, quæ tamen & ipsa vix ad finem vsq; Nouembris suffectura essent. 1600.

Vehementer se dolere, redactum se in eam necessitatem, vt locum dedere cogatur alteri, quam ipsi Duci, ad quem proprie pertinet. Quod si posset æque disponere de omnibus illis, quæ sunt in præsidio, vt de seipso & cæteris primarijs officialibus, vt mortem citius oppetant, quam patiantur locum in alterius Domini potestatem venire, potius se in eam sententiam iturum, quam coram Duce apparere post tantam perditionem, in cuius comparatione sibi suam fortunam & propriam salutem nihil videri.

Quod si Dux intra mensis dicti spatium suppetias non submiserit, locum esse omnino deperditum, quum Rex manifesto iactet, se propter nullam pacem eum porro redditurum esse.

Comes Brandisius præueniens necessitates, in quas per constantiam potuisset redigi, ingressus est hanc compositionem, & abstulit Gallis honorem impetrandi per valorem & virtutem fortitudinis, quod eis concessit per imbecillitatem suarum resolutionum. Ideo Galli non parum indignabantur, æstimantes hanc victoriam fore sine honore, quæ sine periculo parta esset.

Sed & ipse Comes magis laudatus fuisset. Constantia in omni homine & loco laudabilis iudicatur. Rex ipse eam laudauit in ijs, qui loca sibi commissa aduersus oppugnationē sui exercitus viriliter defendissent. *Tāta est virtutis gratia, vt frequenter etiam hostē delectet.* EGESIP. lib. 3.

Dux dici non potest quātum anxius indoluerit audita hac compositione. Obsessi excusandi sunt, qui se dedunt expirato termino concesso pro expectatione auxilij promissi & succursus: verum ignauorum est anticipare, & se reddere miserabiles ante pressuram infortunij.

Eodem die, quo Capitulatio de Montmeillano pacta fuit & resoluta, Rex absoluit Secretarium Herminium, vt occurreret Cardinali Aldobrandino, eumq; nomine suæ Maiestatis confirmaret de bona voluntate sua erga pacem, de desiderio eum videndi, vt ei aperiret cor suum, repræsentaret iustitiam suorum armorum, ostenderetq; se ea non cepisse ad conturbandam Christianitatem aut Italiam, quemadmodum hostes sui malitiose sparserint, postquam ab eis coactus fuerit ad arma recurrere, & declinare ab instituto nuptiarum itinere ad copulandam sibi Sabaudiam vel alienissimo & ingratissimo hoc tempore. Cardinalis Regem rogari iusserat, vt differre vellet responsum ad propositiones particulares allatas ab Herminio, vsq; ad suum aduentum, promittens venire cum suffici-

1600. enti authoritate concludendi bonam pacem, & ita firmam vt nunquam opus futurum sit iteratione. Verum Rex se excusauit iterum, quod cessationem armorum accordare non posset, cum non sit tutum, vt in terra hostili, vbi oculum circumferre vndiq; oportet, & caput flectere in omnem partem, inutilem relinqueret suum exercitum, cuius sustentatio singulis mensibus constaret bis centena millia coronatorum, & expectaret hyemem ad belligerandum, & daret deniq; otium hostibus se præparandi.

Princeps & qui exercitum habet, non debet accordare suspensionem armorum vel ad paucissimos dies; alioqui exercitus se dissiparet & rūperet per seipsū. Hoc modo Ludouicus XI. fecit vt exercitus Eduardi Regis Angliæ dissipatus fuerit. PHIL. COMINÆ.

Herminius testis fuit capitulationis de Montmeillano, & resolutionis Regis non deponendi arma, Bricheratius nuntium & ingratam compositionem ad Ducem pertulit, qui existimauit eam esse nimis subitam & præcipitatam. Quidam ex Aulicis eam potius ignauiæ quam proditioni attribuebant: sed hæc duo ferè coniuncta esse solent. Obsessi ab omnibus repræhendebātur, quod tam parum sustulerint, & tam turpiter perdiderint occasionem ostendendi valorem ac probitatem suam: & quamuis sufferri multas incommoditates debuerint, tamen eas suauiter in tanta gloria superare potuisse. Nihil est magnanimitas, nisi summis in periculis & difficultatibus ferme inuincibilibus comprobata fuerit: & *contempta res est homo, nisi supra humana se exercuerit.*

SENEC. Natur. Quæst. in præfat. 1.

Dux per Bricheratium respondit, & obsessos bono animo esse iussit & certissima auxilia expectare. Et statim post ad Comitem literas dedit, quarum hæc fuit sententia: Brandisio Salutem. In executione eius rei, quam tibi per Equitem Bricheratium significaui, ecce me in equo, vt transeam mōtes cum exercitu tam bello & potente, vt si mihi dederis tempus paulo longius, quam quod capitulatione compræhensum est, videre tibi iucundum erit tantam militum multitudinem, & obligabis in perpetuum tibi me & omnes meos totamq; Sabaudiam, vt te recognoscamus pro omnium fidelissimo, vtilissimo, & commodissimo vasallo, qui sunt in nostro principatu. Laudem tibi per vniuersam Christianitatem paries, quæ respicit nunc tuam resolutionē & auferes opprobrium & ignominiam, quæ tibi ex tua capitulatione inuri poterit. Ostende te, quæso, equitem dignum *a* ea familia, vnde ortus es, & amicitia, qua te mihi iunxi: *b* & respice in hoc ad tuum præcipue honorem & ad consequentiam, quæ ex tua resolutione comitari debet. Paucorum dierum dilationem peto, si non ad tempus limitatum adesse potuero, & Cardinalis Aldobrandinus, qui in itinere est, operetur ad Regem id, quod intendit. Non est quod respicias obsides, quia non est ve-

a de Montmaiur.

b Gubernator alicuius loci duplicare debet animum, si Princeps eum dignetur officii sui admonere. sed animi generosi præuenire solent eiusmodi exhortationes.

1600.

risimile vt illis aliquid mali eueniat, & quod eorum vel pessimus casus non potest esse tanti momenti, quanti est perditio huius arcis. Scribe mihi, si fieri potest, quid sperare debeã. Nam à te dependet nunc omnis progressus, quem facere molior cum tam instructissimis copijs. Nisi certus essem vobis promptissimum auxilium ferre, numquã tibi auctor essem rumpendi capitulationem. Sed hæc certitudo me cogit tibi affirmare, vt nullo modo dubites de rationib supradictis, & alijs innumerabilibus, quas tibi debes ob oculos ponere.

Dux in fine litterarum hæc verba, propria sua manu asscripsit: Credo Bibratium iam apud vos esse. Redde nunc mihi specimina tot promissorum, quæ mihi fecisti, & largire hoc tempus quod petij, & videbis quod placiturum sit eo in loco, vbi consistis. Sed non amplius erat in potestate Comitis Brandisij vt redderet hoc officium suo Principi. Fidem suam Regi obstrinxit: nulla restabat, quam Duci præstaret. Obsides sub securitate verborum eius periclitabantur capitis, nisi ea seruaret. Et tamen Rex, quoniam monitus erat ipsum per litteras & assecurationem, certum de itinere suo, posse animũ mutare, misit ad eum Ducem Espernonum, vt ei ostenderet suas literas, & sciret num in capitulatione perseuerare vellet. Comes respondit, staturum se verbis suis, in quorum firmitate vitam ac honorem suum reponeret. Rex ab eo nouam assecurationem accepit per instrumentum signatum ab eo & cæteris Capitaneis, qui Capitulationem signauerant. Quinto post hanc confirmationem die Cardinalis Aldobrandinus Montmeillanum transiit, salutatusq; fuit à tormentis Regijs, quæ erant ad verberationem disposita, & similiter ab ijs quæ in arce erant. Vnumquodq; tormentum ter explosum fuit; duas integras horas nihil præter tonitrua audiebatur, nihil præter ignem & fumum videbatur. Nemo in comitatu Cardinalis erat, qui non optauerit centum miliaria ab eo terrore abesse. Totus exercitus statum ac ordinem prœliantis composuerat. Dux Espernonus ei obuiam processit vsq; ad medium pontem Montmeillanum, trementem sub pondere, onere & tonitru tormentorum. Principes sanguinis Regij & cæteri Principes & Magnates ei occurrerunt in via, & comitati sunt Camberinum vsq;, vbi tot honores & blanditias à Rege accepit, quot voluit, & quod notabile est, Buissius Gubernator Camberinensis iussus est eum oratione excipere, quamuis Principes sanguinis essent præsentes.

Obsides sunt arrhæ & pignora fidei publicæ: & sicut in contractibus priuatis is, qui recedit, pignora perdit, ita etiam obsides vitam perdunt, si tractatus induciarum aut pactionum infringatur.

Prima audientia, ad quam eum Rex admisit, fuit in monasterio Capuccinorum. Ibi Cardinalis ad Regem, non dubitare se de iustitia eius armorum, & de ingenti prærogatiua, quam ei virtus sua contra

1600. Ducem Sabaudiæ acquisiuerit, sed se tenere eum pro Principe pleno affectionis erga bonum & quietem Christianitatis, qui nunquam vsurus sit fructu victoriæ suæ in ruinā pacis & tranquillitatis publicæ, nec passurus vt obtestatio, qua à Papa ad desiderium pacis sollicitatus fuerit, impotentior sit quam persuasio eorum, qui continuationem belli cupiunt. Nam si bellum facere velit pro amplificando imperio suo, parum esse Principatum Sabaudiæ: si vero propter vindictam alicuius offensionis, cogitare Regem debere, a vltionem quæ fit inter partes inæquales, semper esse iniustam, nec quicquam præ se ferre generositatis. Bella esse incerta, & exitus eorum non respondere semper initio, & nullum Principem propter opiniones victoriæ etiam certissimas laudandum esse si recuset conditiones pacis honorabilis: pacis quam Papa petat pro bono Christianitatis: pro consolatione eorum, qui tremunt in appropinquatione exercitus Turcici, qui metuūt ne hac diuisione Gallia reijciatur in miserias, ex quibus vix euaserit: pacis, quam Dux Sabaudiæ desideret, & cuius causa promittat se præbere tractabiliorem, quam vnquam fecerit: pacis, quæ productura sit modos succurrendi rebus Christianorum in Hungaria, vt tolleretur memoria Turci è mundo & ex Europa vires furoris eius.

a γενναῖον δ' ἐπὶ τοὺς ὁμοίους ἀπὸ τοῦ ἴσου κρατεῖν: Generosū est pares à parib. expetere vltionem.

Rex respondit, quamuis præter iustitiam armatæ suæ causæ etiam multo superior sit aduersario suo, & fidissimi quiq; ministri sibi authores sint transeundi montes, & bellum in Pedemontium transferendi, vbi repertiturus esset bonos amicos, qui adhuc suspirarent & respirarent dominationem Galliæ, nolle tamen se quidquam aliud, quam quod ad se pertineat, & licet omnia occupauisset, quæ cis & trans montes sunt, tamen ea omnia se restituturum fore, simulatq; Dux Marchionatum sibi suum reddidisset, & semper existimasse Principis, cui conscientia cordi sit, esse tam contentari eo quod suum est, quam non pati vsurpationem eius aut rapinam. Sed non posse se sperare vllam rationem à Duce Sabaudiæ, quam per vim armorum, quibus vti coactus fuerit ad vindicandū in vsurpationem Marchionatus Salutiarum, postquam nec iudicium propriæ conscientiæ, nec authoritas Papæ, nec assecuratio promissi in tractatu Parisiensi facti potuerunt eum permouere ad faciendum id, quod debebat. At mihi audes dicere, a incertas esse res bellicas. Deus mihi hanc gratiam fecit, vt eas potuerim in eum statum redigere, vnde dubitare non debeam quin bona fortuna comitatura sit iustitiam meorum conatuum. Effectus huius audientiæ fuit, vt in continenti Herminius ad Ducem ablegatus fuerit, qui ei nuntiaret, Cardina-

a ἄδηλα τὰ τοῦ πολέμου. THVCYD. in orat. Archid. lib. 2.

lem permouisse Regis animum ad pacem ineundam. Dux elegit Arconatium Comitem Tuzaniæ, Consiliarium suum, & Reinhardum Luzingium Alymarum Dominum, & primum Domus Ducalis Magistrum ad hanc negotiationem, eis mandans vt in omnibus ad pacem spectantibus obsequerentur voluntati Cardinalis. 1600.

Interim Rex dicebat, nisi Montmeillano prius dedito in nullam se pacis tractationem Consensurum esse, nec habere se Consiliarios suos secum & Connestabilem atq; Cancellarium abijsse Marsiliam ad excipiendam Reginã. Nec Dux tam de pace cogitabat, quam de succurrendo Montmeillano. Animus ei erat vindicare perditionẽ dominiorum suorum. Veniebat in persona vt ipsemet diceret & faceret, mandaret simul & executeretur, primusq; esset & Consiliariorum & Capitaneorum suorum. Nam tametsi non brachium sed caput Principis pugnare debeat, & officium eius magis in a prudentiæ quam corporis viribus consistat, tamen nec tuba, nec tympanũ est, quod magis animos militũ accẽdat, quam vox & conspectus præsentis Principis, & in primis eiusmodi principis, qui quemadmodum Rex noster exequitur vt fortis miles, quod mandat vt prudens Capitaneus.

a Τὸ στρατηγεῖν, οὐ σώματος ῥώμη, μᾶλλον φρενῶν φρονήσει δοτέον: Virtus Imperatoria, non corporis robori potius quã prudentiæ est adscribenda. AGAT. li. II.

XI. Dux † Augustam venit circiter XII. Nouẽbris cum exercitu decem mille peditum, & quatuor mille arquebuzariorum equitum, & octingentorum equitum magistrantium. Transiuit mõtem S. Bernhardi, hospitiumq; Emæ sumpsit. Comes Suessionensis à Rege iussus est Musterium concedere, vbi Esdiguerium hostem expectabat. Niues tam altæ erant, vt impedirent conspectum in hostem. Qui bis tantum apparuit. Prima vice centum equites inciderunt in ducentos milites, quos Burgius ducebat cõtendens in stationem suam. Quos vbi animaduertisset, recepit se cũ suis retro murũ quendam, vnde tam viriliter se defendit, vt quamuis tergum & humeros apertos haberet, tamen hostis contra se inualere non potuerit, sed coactus fuerit discedere notis sanguinis sui circumcirca relictis. Vnius militis Galli audacia tanta fuit, vt prosiliens vnum ex eo quo rapiens pugione suo confoderit & occiderit. Altera vice apparuit iuxta transitum montis Cœlij, à cuius altera parte hostis ad pugnandum compositus stabat. Copiæ Regiæ vehementer prœlij congressum desiderabant. Milites Cæsaris non magis contenti erant, cum vidissent velum rubrum suspensum ante tentorium eius in signum futuri prœlij, quam nostri milites, vbi dictum fuit, hostem appropinquare. Rex ipse in locum venit, vt hostem consideraret ac recognosceret. Ibi mandauit cuidam gregario militi ex cohorte Burgij

† in vertice tentorii, in quo erat Imperator siue sumus Præfectus, pannus ruber suspendebatur in signũ prœlii. CÆS. li. 2. de Bell. Gall. eũ in pallioli formã fuisse. PLVT. scribit in Fabio & in Brut.

1600. vt conſcenſa arbore videret, quid hoſtis ageret. Hic non cognoſcens Regem non maiorem illi honorem exhibuit quam ſuo Capitaneo, eum vulgari more Lugdunenſium compellans.

Qui aſtabant, hominis ſimplicitatem ridebant, in qua is perſeuerabat eo audacius, vt clamaret ſe melius neſcire. Rex, qui non verba ſed rem captaret, ſibi placuiſſe viſus eſt in eius ſermone, eo quod cum ſingulari iudicio notaret geſtum hoſtis & habitum. Præterea nihil admodum notabile contigit, neq; regio valde commoda eſt. Rex, qui nolebat abire ex Sabaudia Duce non viſo, per Presbyteri cuiuſdam ſuggeſtum didicit viam, qua montes pede tranſiret ad contemplandum totum exercitum Ducalem. Ibi propoſuerat octingentos cataphractos in planiciem demittere ad eos improuiſos aggrediendum. Sed, vt *diſcipulus eſt prioris poſterior dies*, conatus hic non durauit in poſterum diem. Nam ruptus per profundiſſimas niues fuit, quæ ea nocte deciderunt, & frigus duplicatum tanta intentione fuit, vt impoſſibile fuerit non modo itinerare, ſed ipſum iter inuenire. Quod ſi conatus effectum habuiſſet, ſine dubio Rex Hiſpaniæ perdidiſſet præcipuas virium ſuarum copias. Quæ perditio & Ducem ad deſperationem redegiſſet, & Archiducis in Belgio conſilia perturbaſſet.

A. GELL. ex Publio.

Ita vterq; exercitus ſemper montibus interiectis diuiſus nihil ſibi inuicem mali intulerunt. Tãtum arquebuzarij quidam Eſdiguerianі, cum ſe longius in hoſtium loca proieciſſent, putantes ſe eſſe tutos, neglexerunt cuſtodias debitas agere; quemadmodum *incauta ſemper nimia præſumptio, & ſui negligens.* Plurimorum ſomni à Sabaudis in mortem vltimam continuati. Interim tamen hoſtis impedire non potuit, quo minus Capitaneus & principales locum obtinuerint. Interim tempus capitulationis Montmeillanæ appropinquabat, & quanquam Dux obſecrationibus & obteſtationibus perpetuo inſtabat ad protelandum tempus, tamen obſeſſi deſiderabant exire tanquam ex carcere. quos tanta impatientia agitabat, vt quãuis tempus deditionis præſcriptum fuerit ad XVI. Nouembr. tamen æſtimantes ſuccurſum eſſe impoſſibilem, inceperunt conuaſare IX. Nouembr Rex Montmeillanum venit XIV. Nouemb. & collocutus cum Comite Brandiſio eſt duas integras horas in monaſterio Prædicatorum. Die Mercurij Marchio Rhosnius & Baro Crequius, conſtituti à Rege Gubernatores, arcem ingreſſi ſunt, & cœnam in ea ſumpſerunt. Marchio Rhoſnius Comitem Brandyſium concedere in vnum deditæ arcis propugnaculum iuſſit, illudq; ſeruare. Poſtero die Comes egreſſus eſt, proteſtatusq; nolle ſe aliam recognitionem

EGESIPPVS.

quam

1600.

Obſidio Bosleducẽſis cœpta 10. Nouẽb. & ſoluta 27 Decembr. 1600.

quam teſtimonium obſidentium, quod de ſua fidelitate reddere deberent. Sed hoc tamen non ligare potuit linguas liberas, quibus per totam Europam diffamatus fuit, & excuſationes ingentium defectuum recognitorũ poſtea in fortalitio & munitionib. non fuerunt receptæ ab eius Principe. Ita Regi melius ꝓceſſit in obſidione Montmeillani, quam Comiti Mauritio in Bosleduci, à qua coactus fuit ſoluere propter extremũ frigus, quo oppugnantes fuerunt oppugnati.

Montmeillano dedito nihil reſtabat ex omnibus, quæ Dux Sabaudiæ trans montes habuerat, præter fortalitia Burgenſe & S. Catharinæ. Baro Luxius præſidiarios Burgenſes ad deſperationem omnis ſuccurſus & omnis conſtantiæ redegerat, & quamuis longè meliori conditione eſſent, quam ille, tamen ſemper ab eo fugati cæſiq; fuerunt. Maior militum numerus in arce, quam in oppido erat. Nullum præſepimentum erat, quo hoſtium eruptiones impedirentur, & tamen prudentia ac vigilantia legem dedit viribus & numero. *Vbi prudentia opus eſt, ibi vi agere nihil attinet*, vt elegãter ait Darius apud Herodotum. In Comitatu Burgundico parata erat cohors, quæ ſe in arcem cum victualibus cõijceret. Ingreſſus erat facilis per viam, quam Baro Luxius detexit. Tentabatur, an oculos firmare vellet. Sed tantum abfuit, vt aurem præberet victam eiuſmodi incantationibus, vt locum eum fortificauerit bona cuſtodia & vigilantia infatigabili. Fidelitas boni Capitanei non debet ſubijci auro, quamuis ſimilis eſſe debeat puritati auri. Vt aurum non rubiginatur, non maculatur, non mutatur, nõ minuitur, ita & fidelitas Capitanei eſſe debet: & vt aurũ, quãuis inter corrodẽtiſſima & venenoſiſſima medicamẽta poſitũ, nõ tamen corrumpitur, eodẽ modo & ipſa perdurare debet inuulnerabilis inter tot perſuaſiones & impreſſiones auaritiæ atq; ambitionis, & ſemper cum Scipione dicere, Capitaneos auaros hoſtibus tantum vtiles eſſe. Sed non ſatis eſt, vt Capitaneus euitet malum, oportet vt ſemper bene faciat, nec vnquam perdat occaſionem. Baro Luxius prius illud exſecutus reijciendo oblationes hoſtium, & ſecundum impediendo executionem conatuum, quos inſtituerant. Monitus fuit, Watenvvilerium ſimulantem, quaſi ſe recepturus ſit in Comitatum Burgundicum, & ibi arma poſiturus, ne contraueniret neutralitati, occupaſſe caſtellum haut procul Burgo, nomine Vernaium, in quo ingens quantitas victualium & prouiſionum deſtinata eſſet ad ſuccurſum arcis. Eo in continenti miſit, impediitq; ne Watenvvillerius quidquam è caſtello abduceret præter ſuam perſonam & comitatum. Poſtquam Mareſchallus Bironius redijt ex caſtris Regis, Baro Luxius ad eum acceſſit, vt rationẽ obſidionis

Notabilis defectus in obſidione hac fuit, quod præſepimentũ nullum aduerſus arcẽ erectũ fuit. Id quod neceſſariũ eſt, & exẽplum huius neceſſitatis obſeruatũ fuit in expugnatione Phoceæ apud Herodotum lib. 1.

Imperatores ſeueri & legum iuriſq; obſeruantiſſimi amicis faciles, muneribus autem inhiãtes hoſtibus ſunt perutiles. APPIAN. de Bello Hiſpan.

1600. ſuæ redderet. Tum Rex occaſionẽ ſumpſit ſcribendi,& literas miſit ad Bouentium arcis Burgi Gubernatorem,quarum ſumma hæc eſt:

Cum iam mihi arcis,quæ tibi commiſſa eſt, potiundæ in manu ſit opportunior anſa, quam vnquam fuerit, notum probatumq; tibi eſſe volo,quantum tui ſimilium virtuti bellicæ gratuler, benignitatisq; meæ promerendæ tibi facultatem præbeo deditione arcis,quæ nec diuturnitate belli nec pacis fœdere meam poteſtatem tandem effugiet.Quod ſi, cui militas, Dux Montmeillano nec intra menſtruas inducias ſuppetiari potuit,quomodo poterit intercluſo aditu, tot viarum præpeditis anfractibus hiberna tempeſtate, ſolo inimico,tibi auxiliari? Fruſtra blanditur ſpe pacis, quæ non eſt extemporanea,nec paucorum dierum deliberatio: te & commilitones tuos prius annonæ penuria premet, quam recreabit vbertas pacis. Dux enim in alieno reſtituẽdo anxius eſt morator: ſed ita ſit,pacem iniri, à qua nunquam æquis conditionibus non ille modo, ſed quilibet mortalium me alienum inueniet, ille vice Tranſalpinæ ditionis Seguſianum omnem agrum,ipſamq; arcem vltro offert. ſi occurris inſtantibus rebus, non ſine cumulo benefactorum gratiam meam promereberis. Satis ſuperq; in propugnanda arce gloriæ tibi quæſitum:omnes alios arcium præfectos conſtantia&fortitudine bellica ſuperaſti: annonæ pecunia & ipſa maleſuada fames ignauiæ omnem labem auertit;contra ipſam nulla pugna eſt,nulla contradictio, venter manibus imperat,& ſi non paſcitur, cæteri artus tabeſcunt. Mature conſule rebus tuis,neq; tibi familiæq; gloriam, fortunas & meliorem ſtatum inuides belli, ferociam & omnia extrema Martis bene conſultus auerte,& quæ tibi mens ſit per hunc tubicinem me certiorem facias. Si animi fideiq;apertius teſtimonium exigis, Bironius in caſtris tibi eſt proximus,qui voto tuo ſatisfaciat, &c.

Dux promittebat præſidiariis aut tractatum pacis cũ Rege, aut ſuppetias certiſſimas ex Comitatu Burgũdico cum victualib.

Verba promiſſis comitata magni alicuius Principis ſunt grandes & potentes machinæ.

Has literas Rex ad Bironium miſit, qui eas porrò ſuis literis comitatas ad Bouentium in arcem,quibus & ipſe eum exhortabatur, vt caperet reſolutionem iuxta neceſſitatem,& non affectionẽ principi ſuo debitam. Nam *a de conſtantia ex rebus rationi conſentaneis ſit iudicium*: quæ obſtinatio magis ac opinioſitas eſt, ſi rebus inſiſtat aut impoſſibilibus aut irrationabilibus. Ad eas literas Bouentius diſcrete, ſed animoſe ac ſtrenue reſpondit: Rex, cum fidei meæ arx iſta credita ſit, ne hanc fallam, cũ animo meo conſtitui virũ agere, omnia bello experiri, emori, ipſoq; arcis chaſmate & hiatu condi ac ſepeliri. Hoc vnum lugeo, Maieſtatem tuam tam conſtantis animi nolle facere periculum, nulla vi Martis adhibita: fames tamen ipſa dabit

a Τὸ βέβαιον ἐν τῷ εὐλόγῳ κρίνεσθαι χρὴ. AGATH. lib. 5.

famam

famam, atque inediæ ærumnosa omnia perferendo, cum commilitonibus meis non minus fortitudini bellicę tribuetur, quam si machinis bellicis oppugnemur. Interim tamen Maiestas tua hoc de me sibi persuadeat velim, me ipsius esse & mansurum in tota vita mea humillimum & obseruantissimum ministrum. 1600.

Similiter ad Mareschallum Bironium rescripsit, nimirum habere se eum pro forti & strenuo Duce, & militum honestorum amante ac æstimante, qui approbaturus sit resolutionem suam custodiendi locum, suæ fidei commissum, vsque ad extremum vitæ halitum: & æstimare se summum honorem, quem cõsequi posset, esse in eo sitũ, vt principi suo sese dignum natalibus suis præbeat. Tanta constantia eius laudata à Rege fuit, recompensata à Duce, & proposita in exemplum alijs. Sane male fecisset secus faciendo, nisi extrema & inuincibili necessitate coactus. Locus pertinebat ad Ducem, quem in custodia sua veluti depositum habebat. *a Bonum nihil aliud de deposito cogitare quam vt repetentibus reddatur.* Gubernator hoc vnum agere debet, vt principi suo conseruet, quod ab eo regendum ac tuendum accepit, nec se alijs rebus immiscere.

a HERODOT. li. 6.

Rex cogitationes suas ad pacem conuertit, non tam inclinatione sua & rerum suarum consideratione, quam reuerentia erga Papæ consilia, affectione in bonum publicum, & cognitione de infidelitate quorundam ex præcipuis suis ministris. Sed indignabatur Ducem Sabaudiæ tam prope ad sua castra accessisse, nec ausum fuisse in conspectum procedere Nam Emæ substiterat in pede montis S Bernhardi sitæ: qui locus duas tantum leucas abest Musterio, quo Rex Comitem Suessionensem & Esdiguerium destinauit. Tandem & Rex ipse eo venit, progressusq; est vlterius ad recognoscenda castra Ducis, & faciem habitumq; exercitus, vsq; ad vicum nomine Villettam vbi velitationem instituit cum quingentis militibus, qui pontis custodiam, Emam ducentis, obseruabant. Inde Rex eodem die Musterium redijt, & postero die Villartium prope Bellefortium, in quo oppido Duces Montpenserius & Espernonus hospitabantur. Ibi mandauit Nerestano, vt exploraret transitum Cornetanum, & videret num in castra hostis per eam partem irruptio fieri posset. Id quod ille feliciter executus est. Nam cohortem Mediolanensium aggressus, quam Rex ad transitum custodiendum ibi ordinauerat, cæcidit, & quosdam ad Regem captiuos adduxit. Inde Rex constituit duobus in locis hostes assilire eodem momento, ipse per viam Cornetanam, & Comes Suessionensis per Tarentasianam. Verum

1600. ea nocte castra Ducis ita niuibus fuerunt circumuallata, vt impossibile fuerit quicquam aduersus ea tentare aut efficere. Deus voluit, vt bellum finiretur, quēadmodum cœptum fuit, vt cohortes sine lachrymis essent, victoriaq; sine puluere & sudore. Aequum erat, vt populus innocens conseruaretur ad bellum Christianis multo vtilius.

Rex adhuc tres dies totos expectauit, si tempus forte mutaretur, & redderet iter accessibile: sed aliter euenit. Nam nix magis aucta quam diminuta per glaciem fuit. Inde Camberinum rediјt, & Comitem Suessionensem præmisit ad cingendum obsidione fortalitium S. Catharinæ, & Dauriacum cum duobus mille peditibus, & ducentis equitibus in Marchionatum Salutiarum per vallem Maiorem, qui & in itinere intercepit castellum Asselanum petardo admoto.

XIII. Camberini † ergo Legatus Pontificius ad Regē perduxit Arconatium & Alymæum deputatos Ducis Sabaudiæ. Quos ille recepit vt Legatos hostis sui: dixitq; ad eos, sed gratia & bonitate solita, Ducem eorum tantummodo verba dare, se verò monstraturum res ipsas: & ad Alymæum conuersus: Quum venissetis Parisios, inquit, gratos vos acceptosq; habui, & adhuc habeo, sed nolo cum quoquam tractare quam sancto hoc homine, innuens Legatum, quem manu præhensum abduxit in suum conclaue, relictis Legatis cum Patriarcha. Hæc verba in Ducem directo dicta tam alte penetrarunt in animos Legatorum, vt tristarentur, satis inde conijcientes, qualis exitus negotij futurus esset. Rex offensus erat, quod Dux non stetisset Tractatui Parisiensi. Legatus ipse metuebat, ne idem nunc quoq; faceret in hoc tractatu. Ideo nonnunquam ab Arconatio & Alymæo quærere solebat, num aliquod mandatum haberent de reseruando, quod in ipsorum instructione non esset compræhensum. Quibus respondentibus, iudicatum memoriæ suæ dependere ab eius prudentia, nec à Duce vllum aliud mandatum expressum habere, quam vt ei obedirent: addidit, Ducem esse terribilem: & si sciret, eum in hoc tractatu illusurum esse, vt in Parisiensi fecit, reuersurum se rebus infectis: esse quidem se Ducis seruitorem, & extreme dolere eius casibus aduersis, nolle se tamen eius causæ opprobrium sustinere aut despectum incurrere.

Poco si aspetta sincerita o operi fideli da chi e venuto in cōcetto degli huomini, d'esser solito à gouernarsi con duplicita & con arteficii. GVICCIARD. li. 4.

Hoc sumptum est ex Discursu ipsius Alymæi.

Diffidentia Regis non simplicibus opinionibus innitebatur, sed ipsissima euidentia. Vnus ex illis, qui in Ducis intentiones super tractatu Parisiensi intenti erant, & qui insuper missi fuerant ad supplicandum Regem vt ab armis ad certas inducias cessare vellet, monu-

Schedula ad Regem missa, in qua scriptum: *Sire, V. M. fara quello che puo, per che questo Principe la vuol ingãnare.*

erat Maiestatem eius, vt sibi caueret ab insidiis & fraudibus Ducis. 1600.

Biduo post Rex conscenso equo ad obsidionem S. Catharinæ contendit. Magistratus Geneuensis omnia quæque opum & fortunarum suarum Regi obtulit. Portas ciuitatis suæ tam apertas cunctis Regiis esse voluerunt quàm ipsius Ecclesiæ suæ semper esse volunt. Principes & cæteri Magnates plerique omnes in ciuitatem ingressi sunt. Bironius, situ & munimentis eius consideratis, dixit ad Senatores vrbis se comitantes, Ducẽ Sabaudiæ merito culpandum esse, qui obsidione vrbem cinxerit, nec expugnauerit: se intra vicesimum diem eam expugnaturum, vel cum discrimine capitis iureiurando se obstricturum, ea lege vt si postridiè dicti diei ciues deditionem non facerent, vteretur in eos summo iure belli, vt in captis vrbibus solet. Theodorus Beza primus Minister Geneuensis, & primus insuper ætate simul & doctrina inter omnes eiusdem confessionis homines, qui in Europa degunt, ad Regem in castra venit Luyselli hospitantem, qui vicus quartam leucæ partem à fortalitio abest.

Dux Sabaudiæ, qui Montmeillanum liberare non poterat, publicè sparsit se arcem S. Catharinæ succursu suo seruaturum. Ingentes & eximias copias habebat, & quas illi, qui erant in comitatu Ducis, iactitabant plus nimio sufficientes esse ad expellendos è Sabaudia Gallos. Insuper cogitabat transitum per Vallesiam volentibus nolentibus incolis facere. Plerique etiam minores Pagi Heluetiorum ei adhærebant, offensi ob non soluta stipendia ab Rege. At Vickius Legatus Regis prudentia sua inutiles reddidit Duci eiusmodi fauores. Non tamen potuit impedire, quo minus quatuor millia militum Regi Hispaniæ in quatuor aut quinq; Pagis conscriberent, pro defensione Ducatus Mediolanensis, ea cum lege, ne paterentur se duci in ditiones Regi Galliæ subiectas: qui fecerit, mortis reus esset: sed impediuit, ne tam cito procederet, quàm hostis voluisset, cui non modo mora tanta milites illos parum conducibiles, sed etiam damnosos reddidit, propter ingentes sumptus, quos inutiliter expendit.

Interim præparationes fiebant ad expugnandum propugnaculum S. Catharinæ. Nam a *virtute faciendum est, quicquid in rebus bellicis est gerendum.* Gubernator propugnaculi, qui Duci promiserat prœlii aleam tentare, & in Regium exercitum omnes vires suas effundere, nec locum nisi cum anima redditurum, pacisci cum Rege cœpit triduo post eius aduentum, vt si intra decem dies à Duce suo

a Fla. Vopiscus.

1600. non iuuaretur, exportatis ſarcinis & tertia tormentorum parte propugnaculum dederet. Dum ego cum animo meo totam rem reputo, omnino videtur Dux Sabaudiæ, tam alto alioquin ſpiritu Princeps ſemper ſatis diligenter ac prudenter conſideraſſe, quibus propugnacula ſua committeret. Excuſari poſſunt Gubernatores, qui in planis vrbibus à tempeſtate bellica compræhenſi fuerũt, antequam futuras procellas proſpicere poſſent: ſed propugnaculorum cuſtodes vinci ſe paſſi ſunt ſolis obſidentium minis. Excuſare ſe voluerunt per neceſſitatem, *a* vt eo pacto accuſarent principem imprudentiæ, qui tamen merito conqueri poteſt de illorum puſillanimitate & ignauia. In ſumma nullus eorum fuit, qui non, ſi officio ſuo reſpondere voluiſſet, melius ſe ſe gerere debuiſſet.

a Bonũ eſt, dum adhuc ſtat nauis in portu, præcauere tempeſtatẽ futuram, & non eo tempore, quo in medias irrueris procellas trepidare IOSEPH. de Iud. lib. 2. cap. 16.

Rex, relicto ad obſidionem Comite Sueſſionenſi, vt effectum capitulationis de propugnaculo S. Catharinæ præſtolaretur, quod deditum fuit die condicto, Chanæ nauem conſcendit, vt ſecundo Rhodano Lugdunum, vbi Regina eum, tanquam ſponſa ſponſum, expectabat, veheretur. Miſerat autem Nobilem cum ſingulari mandato, qui Legatum & Deputatos Ducis ad nuptias inuitaret. Gubernator S. Catharinæ propugnaculum reſignauit, egreſſus cum quadringentis militibus, ducentis Heluetijs, tribus tormentis, armis, ſarcinis, vexillis explicatis, & tympano ſonante. Ex hac tam ſubita & felici conquiſitione, notandum eſt pro regula certiſſima, nullam fortitudinem nullamque potentiam æquari poſſe cum authoritatis & reputationis robore. Authoritas & exiſtimatio atque fama Cæſaris admirabiles effectus in Gallia dedit; Alexandri Magni poſt pugnam Granicenſem occupauit propugnacula multo fortiora, quam omnia Macedoniæ & Græciæ eſſent fortalitia: Regis noſtri intercepit loca inuincibilia, ſi vel ab infantibus cuſtodita reſiſtendo fuiſſent.

Cæteris mortalibus in eo ſtant conſilia, quod ſibi conducere putent:
Principum diuerſa ſors eſt, quibus præcipua rerum
ad famam dirigenda.

1600.

SVMMARIVM QVINTÆ NARRATIONIS.

NARRATIO QVINTA.

BELLORVM extraneorum occupationes non potuerunt Regem impedire, quo minus de perfectione matrimonii cogitaret, vnde perfecta etiam pax in Regno constitueretur. Antequam Lugduno Gratianopolim proficisceretur, amandauit Bellegardium Summum Equitum Præfectum, qui Florentiæ, procuratione ad Magnum Ducem Etruriæ perlata, suo nomine desponsaret Mariam Medicæam sibi promissam. Papa sanè desiderabat, vt ea Romam veniret occasione Iubilæi, & à sua manu reciperet benedictionem nuptialem, eundemque honorem reciperet, quem Ferrariæ præstiterat Hispaniarum Reginæ. Sponsalia celebrata in Templo Florentiæ, cum tali pompa, quæ deceret tantam actionem, voluntatemq; Magni Ducis in honoranda nepte, & ostentanda sua magnitudine. Verba de præsenti stipulata sunt in manum Cardinalis Aldobrandini, ad id à Papa destinati. In continenti postea Regina nauem conscendit Liburniæ, comitantibus septemdecim galeris. Quod si bello Sabaudico & aliis occupationibus Rex non fuisset districtus, vt Lugduno abesse procul posset, obuiam Reginæ Massiliam vsq; processisset, quamuis non sit consuetudo Regũ Galliæ tam longè coniuges suas arcessere.

Simulatq; Rex de eius conscensione certior factus est, prouideri omnia Massiliæ, quæ ad eam recipiendam spectant, mãdauit, iniunxitq; Duci Guisio, Vicario suo Generali in Prouincia, vt cætera ordinaret. Misit eo Connestabilem quoq; & Cancellarium, Duces etiam Nemorosium, Guisium, Vantadurium, vt ad recipiendam Reginam præsto essent. Cardinales & ibi præsentes erant Iousa, Gondius, Giurius, Surdius, cum multis Episcopis & nonnullis Consilia-

1600. riis Regiis, quos inter & Mæſſius & Freſnius fuerunt. Nauigatio periculoſa fuit multis in locis & fretis horribilibus inde à Genua vſq; Maſſiliam. Ipſa ſola ridebat fluctus, & illudebat tempeſtati: & ſicut Rex victorioſus in terra & rupibus inacceſſis, ita ipſa victorioſa in mari & fluctibus procellarum triumphabat, & in portum appulit tertio Nouembris die, comitata à Magna Duciſſa Florentiæ, à Duciſſa Mantuana ſorore ſua, & Antonio fratre, & à Duce Bracciano. In hoc appulſu magna diſputatio orta eſt, quis teneret manum dexteram. Equites Melitenſes eam diſputationem componere prælio minabantur, cum quinq; galeris pugnaturi contra ſeptem Florentinorum, donec interuentu Magni Prioris Campaniæ tota lis cōcordaretur.

Iam pridem olim eſt, quum mare Mediterraneum non ſenſit ſe oneratum pretioſiori & ſuperbiori onere, quam nauis fuit Reginam vehens. Ea in longitudine continebat ſeptuaginta paſſus, & viginti ſeptem remiges in vnoquoq; latere; aurata vndique exterius; & puppis extremum ſegmentatum erat cannis Indicis, grenatis, carchedoniis, ebeno, conchis gemmeis, ebore & lapillis pretioſis. Ea tegumentum habebat viginti ingentium circulorum ferreorum decuſſatorum, topazijs, ſmaragdis, & alijs gemmis ornatorum, inter quæ ingens vnionum numerus pro diſtinctione reſplendebat. Intus è regione ſedis Reginæ, inſignia Regni Franciæ ſpectabantur, flores liliorum adamantes repræſentabant; in quorum latere & inſignia Magni Ducis pendebant, ex quinq; grandibus rubinis ſiue carbunculis & vno ſaphyro, & ingenti vnione ſuprapoſito, in medio autem vtrorumq; armorum maximus ſmaragdus interlucebat: & infra poſitæ erant duæ cruces, quarum vna ex rubinis, altera ex adamantibus compoſita. Feneſtræ omnes vndiq; cryſtallinæ: vmbracula ex panno aureo, & tapetia cubiculorum ſimiliter.

Regina exſcendens ex galera intrauit in theatrum duabus nauibus inædificatum, cui iunctus pons erat, qui ad palatium vſque pertingebat. Ibi Conneſtabilis eam excepit. Cancellarius etiam mandatum expoſuit à Rege acceptum. Quatuor Conſules ciuitatis Maſſilienſis obtulerunt ei claues ciuitatis, & velum argenteum, ſub quo in palatium perducta fuit. Omnium autem notabiliſſima actio fuit in magno Palatij conclaui, cum Parlamentum Prouinciæ, quod Aquis locatum eſt, Reginæ obſequium & fidem exhibuit. Ibi Vairus primus Præſes Aquenſis Parlamenti, vir ſingularis eloquentiæ in Gallia, verba in hunc modum nomine totius Curiæ habuit:

Hanc

1600.

Hanc Prouinciam appellente Maiestate tua, simulque cum ea in Galliam summa felicitate, Senatu relicto, genibus tuis proni aduoluimur, summa obsequia debita Diademati tuo, quo iam caput tuum est redimitum, professuri. Nunc profectò, atq; nunc cœlitus exaudita vota nostra, & tot salutis portenta ad Regni huius incolumitatem consummata penitus credimus, titubantemq; antea eius statum firmissimis fulcris & columnis in posterum innixum credimus. Beauit nos Deus Optimus Maximus Rege summis virtutibus inclito, comitate & probitate singulari, bellica fortitudine nulli adæquando, qui nos labore suo quieti, periculis securitati, partis de hoste triumphis gloriæ, turbatos, dubios vitæ, ingloriosq; restituit. Nos profectò fortunati, nisi tot bona, tot felicitates vna cogitatio turbasset.

Heu! feralis cogitatio, *a* qua terminus æui ante oculos mortalibus proponitur, & quod nos anxios fecit, Principis nostri in dies vitæ minus solers cura. His ærumnis leuandis, quæ non vota, quæ nō tentata remedia & auxilia, in cassum profectò & tam diu? donec decoris tui fulgurans venustas nubem & caliginem hanc curarum transmisit, & fugauit, spemq; dedit felicitatis tam diuturnæ. Inspectis enim naturæ dotibus, venustate formæ, comitate, auditoq; ingenij acumine, iudicij summa prudentia, atq; dicendi incredibili facultate, quotquot sumus Galli, te eam credimus à superis iam pridem editam, quæ miti consortio Regis vitam in laboribus anxiam leniret, conuictu iucundo annos prorogaret, & longa ac mascula prole illum vniuersumq; Regnum bearet.

a Mors naturæ lex est. Mors tributum officiumque mortalium. SENEC. Natur. quæst. lib. 6.

Te vnicam meritò censemus, in cuius pudico sinu tot Herculeis laboribus attritus Rex Regum, quos habet orbis, inuictissimus conquiescat, vt ille vnus dignus est victricibus lacertis tuis, virtutibus clarissimam & venustissimam qua Sol oritur & occidit, te vnam amplecti. Vaticinij omnem fidem ratam faciunt cœlum & tellus, quandoquidem te appellente in portus Gallicos, mare antea infestum conquiescit, & Alcyonia facit, ex nubilo fit nudum cœlum, quasi vtrumq; aduenienti gratuletur.

Θεὸς κάλλος σώματος οὐ ζητεῖ, ἀλλὰ ψυχῆς εὐγένειαν: *Deus pulchritudinē corporis nō requirit, sed animi generositatem.* BASILIVS Imp. in Parænes.

Ergo adsis bonis auibus & auspiciis, littoribus nostris faustè adsis, longæua in Gallia & ad Galliæ summum & diuturnum bonum. hic qui seculi ineuntis primus est annus, te felicem consortem Regis videat, & venturi te fœcundam matrem & Bericinthiam Regum Deorumq; prædicent.

1600. Sed quod tuæ laudis summum est fastigium, memor sis, vt Regis connubium te Reginam summam efficit, sic matrem piam & munificam tot gentium, quibus Regnator & pater est. Ergo in societatem veni Regiæ solicitudinis, & cum populorum quies & beatitas Regum sit verus & solidus honos, ale & auge quantum potes summũ hunc amorẽ & affectum, quo subditos amplectitur, vt te velut nouum amicum & propitium sydus sentiant, fulgore tuo prospera & auspicata quæcunque instillans, vt tandem nos, quibus in obsequio est summa felicitas & gloria, tibi in Liliorum solio assidenti vtriusque vitam perpetuo deuoueamus, vt hic nos proni & supplices animorum intimos affectus deuouemus.

Moderatori Respu. beata ciuium vita proposita est. CICER. lib. 5. de Repub.

Regina in dicentis sermonem intenta, nutu vultuq; indicabat, quam acceptam gratamq; haberet viri eloquentissimi facundiam. Sed à Principibus Principissisque laudata, à doctis admirata oratio fuit, Regina Aquas Sextias, relicta Massilia, concessit, & inde Auennionem, vbi maiore pompa & magnificentia fuit suscepta, quam vsquam alibi. Qua in re Ciues testari voluerũt affectionem & Principis sui Papæ & suam propriam erga Regnũ Galliæ. Quanquam quæ repræsentata fuerunt, magis spectabant ad victorias & triumphos Regis, quam ad particularem actionem huius matrimonii. Spectaculis exhibiti labores & ærumnæ Herculis, sub cuius effigie Rex innuebatur. Visebantur autem septem arcus triumphales in præcipuis vrbis locis erecti, sub quorum hypothesi I. Hydra septiceps victorias Regis: II. Cœlum humeris impositum, Regem instar Athlantis pondus Regni fulcientem: III. Viridarium Hesperidum, vrbes Regni: IV. Flammæ, amorem & clementiam Regis, quibus arserit vt Hercules Oeteus: V. Oliua & claua Pacifica, quam magnus iste Hercules dedicauerit Mercurio, postquam Gigantes vicisset: VI. Prometheus, pietatem eius & religionem: VII. Cerua, matrimonium denotabant. Plura theatra, templa, trophea, ornata pulcherrimis & ingeniosissimis inscriptionibus, à Iesuita quodam, homine docto & ingenij acutissimi, inuenta & adumbrata, passim occurrebant, quæ Reginæ & omnium in se ora oculosq; conuertebant.

Triduum tantum Auennione Regina consumpsit. Nec vllam moram in ciuitabus Prouinciæ faciens, Valentiam contendit, & inde Russilionem, vbi ostensa ei effigies releuata Regis Francisci fuit, & ipsissima eius barba. Summa diligentia Lugdunum properabat, vbi magis desiderabatur, quam expectabatur, quod tanta Ciuitas maiori patientia opus habebat ad ordinandum apparatum tam

1600.

magni & Regalis ingressus. Per cursores significari aduentum suum inter quindecim dies voluit, qui tamen ad triginta protractus. Quo interuallo perfecerunt arcus, pyramides, statuas, templa, theatra, iuxta descriptionem, quam Regina eodem tempore accepit ab ipso Authore. Appropinquanti ad vrbem Gubernator cum Nobilitate tam rustica quam vrbana obuiam processit, & facta ei reuerentia in medio campo, conscendit rursus equum, & ad hospitium reuersus est, vbi diuerti debebat. Ibi nuncium à Rege nacta est Raquelaurium, qui nomine Regiæ Maiestatis ei præsentauit collarium Regale inæstimabilis valoris, quod postero die inter cætera eius ornamentum excelluit vrbem ingredientis. In templo Mottano theatrum erectum fuit coopertum & paratum pretiosis tapetibus, in cuius medio thronus Reginæ eleuatus erat, cui insidens honores reciperet, & audiret vota ac preces omnis ordinis hominum in vrbe. Cancellarius in hac actione vrbis egit interpretem. Sacer Ordo stans perorabat: Cæteri omnes flexis genubus, exceptis illis, qui nomine Germanorum, Ciuitatum Imperialium, Heluetiorum & Rhetorum verba faciebant. Quos cum Cancellarius iussisset & se prosternere, cæterorum more, quod in tali negotio extranei nullum haberent priuilegium, sed tenerentur ad idem cum subditis officium eius Principis, sub cuius imperio commorantur: ipsi exceperunt, se in possessione esse huius priuilegij, vt stantes loquantur, nec se aliter gessisse erga Henricum II. Regem vrbem hanc ingredientem: & cum eadē difficultas mota esset in ingressu Regis nunc rerum potientis, Maiestatem eius concessisse vt in consuetudine sua firmarentur. Connestabilis, qui æstimabat rem tantæ consequentiæ non debere tam leuiter prætermitti, a nec veritatē segniter inuestigari, vt sæpe in eiusmodi casibus factum est, vt ad ea tātum quæ ante pedes sunt oculi conuerterentur, certior fieri voluit, num ita esset, vt in Regum ingressibus Heluetii & cæteri Germani aliter ad Reges accesserint quam Galli. Tum Gubernator Lugdunensis rem exposuit omnem, in cuius relatione & Connestabilis acquieuit.

a ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας: *Segnis est apud multos veritatis vestigatio, ad ea se potius, quæ in promptu sunt, conuertentes.* THVCYD. li. I.

Omnes ciuitatis Ordines ingeniculantes Reginæ obedientiam & fidem protestati sunt. Balthasar Villartius, Præses Iustitiæ Lugdunensis, laudatus ob gratiam & grauitatem orationis fuit & singularis eloquentiæ. Is nomine Iustitiariorum in hunc modum verba fecit: Mirabilia, quæ Deus notari voluit in natiuitate & progressu vitæ actionumque nostri Regis, vsq; adhuc fuerunt effecta diuinæ suæ iustitiæ, in conseruanda nostro Regi legitima

heredi-

1600. hereditate S. Ludouici: ſed quod nunc videmus cum admiratione tantæ coniunctionis, nobis eſt certiſſimum teſtimonium diuinæ eius bonitatis, & omnis boni quod pro hoc Regno ordinare inſtituit. Tempus conſueta ſua ac ſolita inconſtantia minabatur felicitati noſtræ ingentẽ caſum, quiete noſtra cum timore ac metu eius perdendæ fruebamur, proſperitates noſtræ ceu folia erãt, & pax noſtra inſtar floris, hiſtoria miſerabilis rerum præteritarum nobis ob oculos reuocabat imaginem horribilem mali futuri, & iucundiſſimi noſtri dies turbabantur ꝑ noctes ærumnarũ, quas nobis quædã violenta imaginatio præſentabat. Deus voluit vt pro integra reuolutione fati Regno noſtro fauentis, Gallia iterum recurreret ad Illuſtriſſimam domum Medicæam, vt ab ea redderetur flos Liliorum non modo florens, verum etiam fructuoſus, fœcundus & abundans in germine Regali, ſolo & vero ſuſtentaculo Regni. Delphini ſunt præſagi tempeſtatis in mari futuræ: ſed Delphinus Regius nobis pignus erit perpetuæ noſtræ ſalutis, & certitudo quietis ac pacis publicæ. Hoc eſt ſanctiſſimum Regis noſtri deſiderium, hoc digniſſimum omnium Gallorum votum. Maieſtas tua reſeruata à Deo fuit ad perpetuandam ſacram hanc lineam noſtrorum Regum, & propagandam ipſorum ſucceſſionem ad vſque mundi finem. Natura in maieſtate tua collegit omnes gratias ſuas, & pretioſiſſimas dotes, quibus te concinnaret ornamentum Galliæ, quæ eſt ornamentum Europæ. Parui aquilæ ſe exponunt radiis Solaribus, ad ꝓbandã generoſitatis ſuæ naturã, & tua Maieſtas deſcendẽs ab Aquila ex latere materno, ſola habita fuit idonea quæ proximè accederet, & liberè reſpiceret in hunc Solem, qui radiis Regalium virtutum affulget non modo Galliam, ſed vniuerſum orbem. Cæterarum omnium oculi præſtincti fuiſſent aſpectu tanti luminis: tui ſoli ſuſtinebunt hoc fulgur, & per dulcem reflexionem ſerenum tuæ Regalis faciei reponet ſpes noſtras in celſiſſimum felicitatis cœlum, & nobis oſtendet in diebus noſtris firmiſſimam certitudinem tranquillitatis noſtræ. Recipe ergo fidelitatem & obſequelam, quam Maieſtati tuæ facimus, in qua offerimus corda noſtra, vt gratas victimas noſtræ obedientiæ.

Felicitas Principat⁹ non firmatur niſi per certitudinem ſucceſſoris.

Regina audito diligentiſſimè & fauenter toto ſermone, viſaque ornatiſſima ciuitatis turba, portam ingreſſa eſt, per quam Delphini ſolent. Tranſiit cum facibus per medias acclamationes totius populi. Ibi morabatur Regem octo totos dies, cum ingenti impatientia eius, cuius laudabili deſiderio flagrabat videndi, quem

amabat nondum visum, & cui data erat ac desponsa nondum cognita, & iurauit fidelitatem coniugalem Florentiæ, cum adhuc esset in Sabaudia. Singulis momentis quærebat, ecquando Regem visura esset. Die Sabbathi circiter tertiam horam Cancellarius, qui intellexerat Regem conscendisse nauem in Rhodano, ad eam accedens bono animo esse iussit, in breui bona noua de Rege ventura. Cœna tempestiue parata: sed cœnante ea ecce Nobilem nunciantem, Regem vix vnius leucæ spatium ab vrbe abesse, & intra horam adfore. Præ gaudio huius nuncii vultus & cor apertum, sed sermo & appetitus clausus fuit. Assedit cogitabunda, & notatum fuit cum nuncii dicto lubentiã edendi abijsse. Iam Rex in conclaue intrauerat incognitus, & in turbam se astantium coniecerat, maxime Nobiliũ ad id de industria dispositorũ eo in loco, vnde eam videre posset, nec tamẽ ab ipsa videretur. Sublata mensa, Regina se in cubiculum recepit. Quam & Rex incontinenti insecutus est. Ipsa se composuit ad osculandam Regis manum profundissima cum reuerentia. Rex eam salutauit, & post pauca verba super desiderio mutui huius conspectus, & voluptate vtriusque inde capta & capienda magis, recitauit labores itineris sui, & fructus armorũ suorum. Tandem se recepit ad cœnam, & regina ad præparandum lectum, in quo Regem expectaret. 1600.

Et quamuis matrimonium fuerit perfectum, Rege per procuratorem & verba præsentia illud ratificante, nec opus fuerit alia solennitate, tamen Rex voluit, vt & populus partẽ caperet publicæ huius lætitiæ, ordonans ceremoniã in Dominicã insequentẽ, quę celebrata fuit ante summum altare Ecclesiæ S. Iohannis, vbi benedictio nuptialis sponsis impertita à Legato fuit. Finita Missa, missilia in populum sparsa aurea & argentea, notata symbolo conueniente occasioni huius liberalitatis. Post Missam itum est ad conuiuium Regale: & post conuiuium, ad choream in magno cœnaculo Archiepiscopij.

Legatus † Lugdunum ingressus est octiduo post aduentum Regis, & decimo quinto die post Reginæ. Exceptus fuit cum honoribus tantæ & tam eminenti dignitati conuenientibus. Præpositus Mercatorum eum in porta vrbis suscepit, velumq; sub quo duceretur obtulit, dixitq;, si vnquam Gallia fauorem à sede Apostolica accepit, id confitendum esse, sub Pontificatu Clementis VIII. specialiter contigisse, qui postquam procurasset tam magnam & miraculosam pacem inter nostrum Regem & Regem Hispaniæ, & coniunxisset Maiestatem eius cum virtuosissima & generosissima

V. Ballonius Præpositus Mercatorũ nomine ciuitatis excepit.

1600. totius orbis Principiſſa, tantam inſuper curam de hôc Regno & eius ſtatu habuit, vt videns ignem inflammatum in Sabaudia, miſerit hominem, quem præ omnibus hominibus amaret & æſtimaret, & qui omnino neceſſarius eſſe videbatur ad eum extinguendum. Turba Legati ingens fuit, domus bene ordinata, comitatus venerabilis, propter bonum numerum Prælatorum officij gratia ſequentium. Menſa ſumptuoſa, repleta magnis perſonis, & circumdata auditoribus multis. Diſcurſus in menſa, non de bonitate vini, nec de differentia Muſcatellorum, nec de compoſitione condimentorum, ſed de quæſtionibus ſerio iucundis, ſemper ab antiquis laudati fuerunt. Et adhuc conſuetudo eſt in Domibus Regularium, per quam animus & corpus paſcitur in vna menſa diuerſis cibis. Qui ad hanc conditionem viuunt, ſemper de virtute admonentur, & talis meditatio eſt quædam pars felicitatis. In menſa Legati ſemper erant duo iuuenes valde docti, qui diſcurrebãt de aliqua rara quæſtione, vnus affirmatiue, alter negatiue. Nec Legatus ſine eis cibum ſumere poterat. Diſcordantibus eis, vel ipſe Legatus, aut aliquis Prælatorum, verbi gratia Patriarcha Conſtantinopolitanus inter Italos, & Archiepiſcopus Viennenſis inter Gallos, iudicium ſuum interpoſuit, & controuerſiam decidit. Adducam vnum modo exemplum. Vnus diſcurrentium proponebat excellentiam vitæ actiuæ, alter aſſerebat contemplatiuæ eſſe laudabiliorem. Vbi Legatus animaduertit, vrgeri exemplum Apoſtolorum, & *a* difficultatem reſpondenti hæſitationem præbere, iudicium ſuum interpoſuit, quod auidiſſime auditum à circumſtantibus fuit. In naſcenti Eccleſia, inquit, Apoſtoli eorumq; Diſcipuli non poſſidebant temporalia, quibus auerterentur ab exercitio vitæ contemplatiuæ. Quod ſi onerati fuiſſent rebus temporalibus Eccleſiarum, vt Prælati hodie, coacti & ipſi fuiſſent alia via ambulare. Aderant qui cogitarent hoc reſponſum in vſum ſuum traducere, æſtimantes non minorem differentiam eſſe inter antiquam paupertatem & ſimplicitatem Eccleſiæ Romanæ, & pompam atq; magnitudinem quibus hodie inflata eſt, quam inter ſtatuas Iouis tempore Numæ Regis factas, & eas ſub Imperatoribus poſitas. Verum non vident iſti, Maieſtatem iſtam hierarchiæ Eccleſiaſticæ eſſe neceſſariam, vt retineantur animi in admiratione potentiæ illius inuiſibilis, vnde dependet. Et laudanda eſt principum pietas, qui tanquam boni filij pro coronis ſpinarum & martyrij, quibus primorum Paparum capita ſunt ornata, ipſis dederunt aureas & gemmeas coronas.

Homini hoc maximum bonũ, ſingulo quoque die de virtute habere ſermonem. PLATO.

a τὸ χαλεπὸν ἀπορίαν παρέχει. ARIST. in Mechan.

Omnia Regiis tẽporib. delubra parua facta, vt in cætero cultu. Quæ ſunt conſentanea, quod ſint pauperrima, ſine elegantia, ac cum caſtimonia. Quid inter, hos Ioues interſit, &

Inter cæteros homines doctos Legatum comitantes, erant duo

1600.

eos qui ex marmore, ebore, auro, nunc fiunt, otes animo aduertere, & horum temporum diuitias, & paupertatem. VARRO lib. 1. de Vita pop. Rom.

magni Prædicatores, quidam Capuccinus, & pater Paulus ex Ordine Theatinorum Pauli Caraffæ. Quos Papa ei adiunxerat, vt eorum consilio vteretur in negotiatione pacis, tamquam hominum, quorum consilia essent pura à passionibus, quæ bonis resolutionibus contrariæ esse solent. Non hi primi ex hoc genere ad eiusmodi occasiones allegati fuerunt. Verum non didicerunt in Monasterijs suis, quod in talibus materijs sciebant. Quæstiones Theologicæ & Philosophicæ, quæ in multis argumentis subtiliores quam vtiliores existunt, non reddiderunt eos capaces & idoneos. Et responsum fuit audacius quam verius Augustini Niphi, qui quæsitus ab Imperatore Carolo V. quo pacto Principes possent bene Rempublicam gubernare, respondit: Si consiliis mei similium vterentur. Persuasio scientiæ fefellit iudicium. Nam quamuis summus fuerit Philosophus, & in difficilimis Aristotelis locis explicandis non habuerit parem, tamen multo sapientior in schola quam in consilio apparuit. Nihil ineptius est, q̃ si magnis rebus gerendis se immisceat homo doctus, sed nulla experiẽtia præditus. Dicunt quidẽ tales multa præclara, sed aliter quã oporteat, & tã male ad propositũ, & sese deridẽdos propinãt. Nec seipsos intelligunt, nec volunt ab alijs edoceri. Quare qui tantundẽ Græcarũ & Latinarũ literarũ nõ didicerũt, dicunt capita plenissima nõ esse optime parata, & ingeniũ naturale superare aliquãdo omnes speculatiuas scientias. Homerus volens repsentare in persona Vlyssis, imaginem prudentis hominis, nõ laudauit eum, q̃ studuerit Athenis, nec q̃ Astrologiam à Calypso didicerit, aut magiam à Circe, aut physicam ab Aeolo: verum quod oculis suis ipse viderit id, quod alij tantum alienis oculis contemplantur; quod ipse manus ad opus admouerit, perlustrauerit multas regiones, recognouerit diuersas nationes, obseruauerit eorum mores & ingenia, tractauerit cum Principibus, contulerit cum eorum Consiliarijs res magnas, magni momenti & extraordinarias. Vel sapientissimi ingenue confessi sunt totum scientiæ suæ corpus non fuisse animatum, nisi per collationem & communicationem cum maximis ingenio & iudicio viris, qui non expiscantur verba, sed sententias, non exornant sermones, sed consilia. Dux Albanus q̃ post mortem reputatus est fuisse summus omnium Consiliariorum Domini sui, & suo seculo, appellare solebat scientiam, quæ ex libris hauritur, aquam cisternicam, eam vero quæ ab experientia venit, aquam viuam & scaturientem. Et quamuis sub omni genere vestium reperiantur animi agiles & politi, tamen Reges non temere ascilcunt eos, qui modo ex scholis &

Huius responsi Neapol. facti meminit COEL. SECVNDVS lib. 2 Acroamatum.

Iudiciũ naturale perfectè bonũ antecellit omnes alias scientias, quæ in mũdo disci possũt. PHIL. COMMINÆVS.

Costumbre de los Reyes de no escoger para los Gouiernos de Reynos personas sacadas de otras escuelas que de la escuela de la experienzia, y de sus Cortes. ANT. PEREZ

1600. Academijs veniunt, quamuis doctissimos ac literatissimos, & interdum etiam sapientes. Rebus gerendis ingenium fortificatur, contemplatione infirmatur.

Vnus ex duobus illis Prædicatoribus, nempe Theatinus, concionatus est coram Rege & Regina, post Vesperas in Natiuitate Christi, in Cathedrali Ecclesia S. Iohannis; & auditus à tota Aula fuit. Discursus eius incœpit per incomprehensibile mysterium festiuitatis, quod Trinitas apparuerit in terris trium substantiarum in vna persona, quemadmodum Trinitas in cœlo est trium personatum in vna substantia. Absolutus autem fuit per benedictiones pacis promissas terræ; & exhortatus est Regem vt eas præferret infortuniis belli. Adiunxit insuper nomen & zelum paternum Papæ, & vt exprimeret ac imprimeret viuacius, potestatem Papæ dixit esse æqualem ei, quam accepit B. Petrus, qui præ cæteris Apostolis hanc prærogatiuam habuerit, vt potuerit mari & terræ inambulare, vt ostenderet, potestatem eius extendi super vtrumq;, tam mare quàm terram. Tandem deplorauit obstinationem Christianorum inter se belligerandi, dum communis omnium hostis stabiliret in Hungaria crudelissimam & minimè ferendam insupportabilemque seruitutem.

Quæ verba eo altius in auditorum animos descenderunt, quod paucis ante diebus allatum esset de Canisa à Turcis capta, cuius fama omnes Christianorum perditiones renouabat. Deus vsus est brachio Ottomannorum ad castigandos & puniendos Christianos, quẽadmodũ sæpe patres solent, vt irã magis ostendãt, permittere, vt filii castigentur à famulis. Ita misit Barbaros istos ad faciendam iustitiam contra crimina nostra: patiturq; eos in mundo, vt olim Dionysios, Phalarides, Marios passus est. Nec sine ingenti stupore cogitare possumus, vix centum annis elapsis eos abstulisse Christianis optima & pretiosissima quæq; Regna. Tenent enim florem Orientis, Constantinopolim, Mitylenen, Lemnum, Cretam, Dyrrhachium, Carciniten, Tauricam Chersonesum, Naupactum, Modanum, Rhodum, Thunetum, Cyprum, Gulettam, Thraciam, Macedoniam, Achaiam, Epyrum, Eubœam, Bœotiam, Hungariam, Transyluaniam. Quod si continuerint suas vires, metuendum est ne equos suos aquatum in Rhenum ducant, vt nunc faciũt in Danubio. Semper lucrantur, & parum perdunt. Nihil amplius eis elabitur, quod semel comprehenderunt. Hoc anno Canisam ceperunt: proximo anno ostendent vires Christianorum in vanum laborare ad eam recuperandam. In obsidione ad

vrbem

πολλοὶ ἄνθρωποι, ὀλίγοι ἄνδρες. HEROD. lib.7.

vrbem erant quinquaginta millia hominum. Sed in omni eorum 1600. exercitu semper plures personæ sunt quàm milites, plures homines quàm viri. Suppetiæ, quas Dux Mercurii ducebat, ex quindecim millibus constabant Gallorum, Germanorum & Hungarorum: quibus omnibus animus erat certissimus eo die aut Canisam ingredi, aut pugnando mori.

Dux Mercurii se repræsentauit in planicie duobus collibus præmunita. Ibi duodecim tormenta in capite, & omnes lancearios in cauda posuit ad impediendum ne hostis explorare posset vacuũ à tergo. Turci existimantes, hanc esse tantũ antecustodiã, & quæ videbant esse minori numero, q̃ quæ sibi imaginabantur nõ videre, nec apparere. Etiã Dux Mercurii rumorẽ spargi voluit, quasi exercitũ ex triginta millibus constantem haberet, & pro quadringentis equitibus, qui paucos ante dies cũ eo se iunxerant, numerauit quindecim millia. Qui rumor effecit, vt hostis minus comparere auderet, & magis solito sese retineret. Sed quia figmentum diu durare non posset, ne per exploratores veritas referretur, Dux è re esse existimauit eos aggredi attonitos & incertos de numero copiarum suarum. Quare exhortatus exercitum ad fortiter faciendum, resoluit vel cum prœlii periculo succursum postridie in vrbem mittere, qui dies erat Sabbathi, quem sibi aiebat esse felicem, siue quod eo die particulares fortunas in rebus exequẽdis expertus esset, siue vt hac persuasione imprimeret animo militum maiorem pugnandi voluntatem, & confirmaret eorum animositatem hac assecuratione. Cum ergo Dux progrederetur, hostes se opposuerunt cum viginti mille militibus, & prœlium inchoarunt cum furiosis & impetuosis clamoribus. Ibi à tormentis bellicis ita accepti fuerunt, vt animi conciderent, & terga dare coacti fuerint, quos Christiani insequentes bonam castrorum partem occuparunt. Itaq; Mercuri-

Turci prœlium inituri clamant: *La Illah Illehah Memmet Iresul Allah*: id est, Nõ est Deus nisi vnus, & Mahometus eius propheta.

VII. us locum obtinuit victoriosus, cum duobus tormentis, & ingenti multitudine interfectorum ac vulneratorum. Bascha † postridie se vindicaturus collegit omnes vires, quas numerus militum & commoditas loci suppeditare poterant. Totam noctem, *a* quæ ad quietem data naturæ beneficio mortalibus, Mercurius milites laborare in præpedimentis, præstructionibus & repagulis exstruendis coëgit, inclusitque exercitum suum seu castello quodam, ad quod hostis appropinquare non audebat, nisi qua tormenti ictus fert. Hic tamẽ exercitum suum decussatim instruxerat, vexillo viridi in medium posito, clamoribus & vlulatibus passim perstrepentibus. In hoc ordine quinque totos dies perstitit, nec audebat propius ten-

a Dictum Perseia-pud TIT. LIVIVM lib.10. Dec.4.

1600. tare, nisi maximo semper cum damno; & nostri magis necessitatibus victualium, quàm hostium violentia premebantur. Conductores victualium in hostium manus inciderant, nec vlla spes aliunde erat: res ad aquam & carnem equinam redacta, & milites fame exerciti ad cadendum q̃ pugnandũ proniores erant. Colonelli & Capitanei recognoscentes, *a* nullum esse adeo fortem & validũ, qui possit aduersus famem pugnando militare, supplicauerunt Ducem, vt cogitaret de reuersióne: sed is eos ad patientiam cohortatus est, cui nihil sit impossibile, & quæ in momento afferat effectus desideratos magis quàm speratos. Venter auribus caret: cuncti spectabant aut ad defectionem, aut ad reuersionem. Dux nolens se onerare opprobrio huius resolutionis, nec consentire, nisi prius omnes Colonelli & Capitanei signauissent sententiã suam, iuxta quã & exercitum suum ad reuersionem disposuit. Eum in duas partes distribuit. & primæ quidem ex septem mille hominibus constanti ægros, vulneratos & tormentariam rem commisit. Alteram in duas acies pedestres diribuit, & bis mille equites, qui in medio incedebant, & sicut in pugna semper primus esse solebat, ita in fuga postremus esse volebat. Hostis, *a* qui nouerat hostium discessiones semper suspectas esse habendas, noluit temere insequi, antequam melius explorasset.

a XENOP. lib. 6. de Pædia 6.

a δεῖ τὰς ὑποχωρήσεις ὑφορᾶσθαι τῶν πολεμίων. ONOSAND.

Deus illis dedit in die profectionis suę visibile testimoniũ suæ ꝓtectionis, & impressit in animos Christianorũ hanc verissimam regulam, q̃ plurimis in locis in templis Turcorũ, (Mosquetas vocãt) literis exertissimis legitur expressa; *a* *Nullus est fortis, nisi solus Deus.* Nebula densissima eos cooperuit, vt Turci nunquã explorare potuerint, an castris promotis ꝓstructiones illas deseruissent, ꝙ cũ tarde percepissent, duplicantes iram & cursum eos insequi cœperunt: sed nescientes quo tenderent propter summam obscuritatem, cursores in equites Christianos incidentes perierunt. Exercitus incidebat semper in ordine, vt hosti resistere posset. Sed acies Gallorum offendens in egressu cuiusdam vici iter difficile & angustum, coëgit quosdam ex iis, ne aciem rumperent, & manerent in ordine, per sepes hortorum transilire, vnde ingens confusio exstitit. Nam primi putantes, postremos esse fugatos & pulsos, & sepes transilire ad se seruandos, patefacti cunctos sequentes in fugam secum perduxerunt. Id Turci videntes summa vi ingruerunt in duas postremas Germanorum cohortes, adeo vt eos funditus prostrauerint. Obscuritas oculis iudicii peræquè ac corporis tenebras obducebat, ne hostem discernere possent. Nunc ad Mercurium perfertur,

a In tẽplis Turcorũ nullæ sunt imagines, sed ingens lampadũ numerus & passim in parietibus hæc verba: *La Illah, Illelah &c.* supra posita, & insuper ista: *Fila Galib Illelah:* Nullus est fortis, nisi Deus.

aciem

aciem Gallorum esse ruptam, Germanorum cæsam, & omnia esse ad desperationem redacta. Si fama huius confusionis fuit horrida, res ipsa multo magis fuit. Extremè doluit, iustitiam suæ causæ ita iniuriatam per hostium impietatem esse, & *est ita natura comparatũ, vt homines molestè supraquàm dici poßit ferant, si videant rerum euentus virtuti non respondere.* Recollegit itaq; promptè fugientes, allocutusq; Germanos & Gallos eorum linguis, ignominiam pauidis in faciem exprobrauit, eisque animum reddidit obiiciendo, quod tam turpiter se passi sint cædi ab illis imbellibus, quos toties ipsi cæciderint. *b* Resistendo & pugnando, aiebat, aut salutem consequemini, aut mortem honorabilem; fugiendo autem turpem mortem vel seruitutem quotidiana morte deteriorem. Plures homines fugiendo cæduntur quàm defendendo. Sed non opus est multis verbis erga animosos, qui animos gerunt plenos generosorum desideriorum; & vno verbo c *præsens difficultas atq; neceßitas ipsis hostibus est terribilior.*

1600.

PAVSANIAS in Messeniac.

b *Resistendo & pugnãdo pauci viri cadunt: inclinata verò semel acie versaq; in fugã paucissimi euadunt.* DIONYS. HALICARN. lib. 9.

c Dictum Niciæ apud THVCYD. li. 6.

Postquam dispersos in propinquo collegisset (nam quidam adeo procul fugerant, vt non potuerint haberi) in hostem irruit. Nostri animati & præsentia Capitis, & spe repellendi hostem, resumpserunt animum. Et, vt *plerumq; in spe victoriæ redintegratis viribus acriùs pugnatur*, tanta vehementia hostem aggressi sunt, vt coëgerint eum vico excedere. Quo facto, sine vllo impedimento in syluam processerunt à persecutione hostium tutam. Turci namq; non ausi fuerunt vlterius progredi, & siuerunt Ducem absoluere suam reuersionem, quæ habita fuit pro memorabilissimo facinore, quod vnquam in bello Hungarico patratum sit, & ostendit nihil esse potentius constantia sapienti magnanimi Generalis, & necessitatem fortiorem esse terrore & pauore hostium. Desiderauerat sanè omnes reducere, quos perduxerat, si fieri potuisset. Sed nemo in bellum ꝓficiscitur, nisi vt aut feriat aut feriatur, nec *b* Generales exercitatum accipiunt, vt teneantur vincere nullo homine amisso. Post Canisæ amissionẽ exercitus Turcicus hibernauit in circuitu cum quinquaginta millibus hominũ. Notatum in hoc bello, Ottomannos solitam hactenus & consuetam crudelitatem immutasse, & cœpisse populis adblandiri, vt humanitate eos in suas partes pertraheret. Etiam longissimi dissiti non sunt extra teli Turcici iactum positi, quàm nihil curent aut morentur, quum hoc Imperiũ profiteatur manifestè, se ruinam quærere omnium aliorum.

IVL. CÆSAR lib. 3. de Bello Gallico.

Ita finit annus & seculum decimum sextum Christianismi. Nemo hominum nunc viuit, qui sibi promittere possit, se finem

b *Non Deus quispiã se Ducibus pro salute omniũ, qui certamen ineũt, sponsorem sistit: nec ea conditione imperiũ accipimus, vt omnes homines deuincamus, nullo ex nostris amisso.* DIONYS. HALICARN. lib. 8.

1600. decimi ſeptimi attacturum eſſe. Tam ingentia & famoſa accidentia in vniuerſa Europa, & præcipue in Gallia hoc ſeculum conuoluit, vt communi ſenſu careant oportet, qui non referenda putent ad decreta immutabilia prouidentiæ Diuinæ. Talia etenim ſunt, vt confundant faſtum ac ſuperbiam potentiſſimorum terræ, qui, cum non ſint niſi vermes quinque pedes longi, ſupra nubes extollunt, & qui modo mulum tenuerunt ante Palatium huius ſupremæ & incomprehenſibilis Iuſtitiæ, diſputare audent de cauſis & motiuis ſuarum ſententiarum.

FINIS PRIMI TOMI.

